7
10-
43

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
6
10 G
50

7-10-G-43

Digitized by Google

Digitized by Google

NOTITIA
CONCILIORUM
SANCTÆ ECCLESIÆ,

In qua elucidantur exactiſſimè tum ſacri Canones, tùm veteres, novique Eccleſiæ Ritus, tùm præcipuæ partes Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ.

AUCTORE

JOANNE CABASSUTIO
AQUISEXTIENSI PRESBYTERO
Congregationis Oratorii Domini JESU.

ILLUSTRISSIMO, AC REVERENDISSIMO D.D.

ANTONIO VIDMAN
PROTONOTARIO APOSTOLICO,
Comiti ab Ortemburg, Libero Baroni ad Sanctum Paternianum, ac Sumeregg, &c.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO E

VENETIIS, M.DCCIII.
Apud Antonium Bortoli.
SUPERIORUM PERMISSU.

Digitized by Google

ILLUSTRISSIME
ac Reverend. Domine

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

REviviſcit ex prælo, Illuſtriſſime, ac Reverendiſſime Domine, reviviſcit, inquam, ex prælo Conciliorum notitia: totque librorum copia per Germaniam, Galliam,

Digitized by Google

Roma, & Venetiis diffuſa, adhuc orbi non ſufficit. Nimirùm hoc ſibi vindicant non infimæ notæ, ſed eximiæ laudis authores, ut cùm eorum exempla ſcriptorum ſemel, atquè iterùm imprimantur; ita avidè ſuſcepta ſint, ut ubertas nulla, cumulus nullus ſatis ſit, ut ſtudentium indigentiæ, ac voto ſatisfaciant. Haud aliter ac fons, quamvis perenni aquarum effluxu manaret, riguiſque humoribus undequaque circumflueret, deficeret aliquando, quoties ab eo tantùm homines ſiti refrigeria perquirerent. Nec improbanda Lectorum aviditas. Quidquid enim præclari habent Conciliorum Hiſtoriæ, quidquid mirum perſpectum fuit in Pontificum geſtis, & notatu dignum in eorum ſanctionibus; quidquid victoriæ contra Neſtorianos, Pelagianos, Eutychianos, innumeroſque hæreticos obtinuit Eccleſia; quidquid decreverit illa, ut inſti-

tutio-

tutiones Chriſti, diſciplinamque firmaret, ut Sacrificiorum ritum, ac dignitatem augeret: omnia, inquam, in hac Notitia, ſeù totius Orbis Chriſtiani tabula non minùs ſatis, quàm abundè intuemur. At quem ad tanti operis tutelam eligerem, niſi te Illuſtriſſime, ac Reverendiſſime Domine, ex cujus animo, familia, ac ſtemmate tot decora prodeunt. Prima verſatur ante oculos familia, cujus origo quamvis antiqua, & multo à nobis temporum intervallo diſcreta, ſatis adhuc effulget. Ex illa ſcilicet cùm Ortemburgenſem Comitatum, Liberum ad Sanctum Paternianum Dominium, cæteroſque titulos attenta lance perpendimus, quales proavos habueris, intelligimus: eos nempè, qui præter ea, quæ ſtrenuè geſſere; candore animorum, conſilio, & prudentia ipſis propemodum Imperatoribus videantur æ-

quari . *Quamobrem* Lunam, & Lilia, Alas, Aquilaſque *Stemmatis ſcimus*, & *veneramur* . *Eadem inde traducta Venetias*, & *conſanguinitate cum primatibus juncta*, *Nobilitatis Venetæ florem virtute prolis adauxit* : *Hinc Xenodochiorum geſtæ piæ curæ*, *hinc ſtructa Divis altaria*, *hinc ſuppeditatæ quotannis Virginibus dotes*, *hinc alia Religionis opera toto pietatis ſtudio*, *maximoque divitiarum conatu ſuſcepta*, *vix videntibus credenda memorantur* . *Præcæteris tamen Illuſtriſſimæ Familiæ proceribus primum ſibi vindicat locum Eminentiſſimus Chriſtophorus S. R. E. Cardinalis*, *cujus virtuti dum Sacra Comitia gerendas Numinis vices deſtinaſſent*, & *Roma expectando licèt exultaret imperio* ; *fata plerumque melioribus invida Spem totius orbis*, *decuſque rapuere* . *Eadem te*, *qui ejus*

ſecta-

ſectaris veſtigia, ſervent incolumen & mitiora tibi reddant, quod illi a ſtulere. Eximia de te jam nobis e expectatio. Venuſtas oris viva ocul rum acies, hilaritas vultus, maj ſtas aſpectus, prompti aditus, h manitas ſumma, hæc inquam, tib parant dignitates, hæc tibi ſunt a honores officia. In his ſcilicet ſeſe an mi magnitudo præſefert, & quod al maximis precibus expoſtularent, h tibi naturæ dotibus vindicas. At pa va ſunt hæc, ſi cum iis quæ acturu es, cùm ad virtutem ætas acceſſerit comparemus. Cur igitur non auderen tantæ indoli, tantum opus committe re; nefas videretur alteri, quàm t bi ſacraſſe. Hoc igitur benigno anim excipias. Maximo ſanè conſilio ſin Deus hanc tibi dicari Notitiam, ſc licet ut diſcas Eccleſiæ ſuæ patrocini impartire, omnique regimini puala

tim, atque ſine labore aſſueſcas. Hæc dum precor ex animo, nequeo, quin tibi non ſemper addicam, & ſubjiciam me

Illuſtriſs. ac Reverendiſs. Domine

Dedicatiſſimum, & Humillimum Famulum

Antonium Bortolum.

L. E.

LECTORI.

PAucis præmonendum te Benevolum Lectorem duxi, quæ fuerit hujuſce Operis origo, & ratio. Cùm me comitem ſecum proficiſci juſſiſſet Romam Patronus, ac Dominus meus meritis æquè, ac dignitate Eminentiſſimus Hieronymus Grimaldus Aquarum ſextiarum Archiepiſcopus, Princeps generis ſplendore, ingenii dotibus, morum ſanctitate, rerumque publicè geſtarum in Italia, Gallia, & Germania meritis eximius, meque in ſuas ædes, & quotidianum convictum aſciviſſet, id quod mihi ſuppetebat Romana in Urbe ocium menſium circiter duodeviginti diverſis ſtudiis impendi: ſed his præſertim quæ ad Eccleſiaſticam diſciplinam, tùm veterem, tùm recentiorem pertinebant. His incumbens ſtudiis nonnulla conſcripſi ad meum unius uſum circa pleroſque ſacrorum Conciliorum Canones. Quam lucubrationem ſubodoratus unus aliquis ex ejuſdem Cardinalis familia Presbyter Theologus, meum ipſum autographum

à me

à me precariò exegit, ſibique tranſcripſit, & poſtremò regreſſus Aquas Sextias amicis ſuis ultrò impertivit, & hi ſimiliter aliis communicarunt: adeò ut, me inſcio, innumera fuerint à multis apographa deſcripta, quæ per manus multorum diverſis locis excurrebant, me admodum ægrè ferente, & paſſim (uti res erat) commonente nihil eſſe præter rudem delineationem, & opus prorſus imperfectum, confuſum, indigeſtum. Quis verò neſciat majorem exigi ſollicitudinem in iis quæ luci publicè deſtinantur, quàm in iis quæ privatim cum illis communicamus, qui nobis arctiori neceſſitudine conjuncti ſunt: ſic etiam uſu venire ſolet hominibus, ut in privato conclavi eo ſe habitu familiaribus conſpiciendos exhibere non refugiant, quo tamen in publicum prodire omninò detrectarent. Familiaribus, & intimis ſodalibus, vel nugas noſtras, & quiſquilias commonſtrare delectat: ſed in lucem publicam nihil quidquam niſi excultum, & elaboratum vir ſapiens protulerit. Quia tamen nihilò ſeciùs haud pauci qualiſcumque iſtius Operis editionem fieri urgebant, meque etiam invito ſe in publicum edituros, niſi ego curam iſtam ſuſciperem comminabantur. Illorum ut obſiſterem conatui, conceptam ab illis indebitam præcepti hujus, & immaturæ lucubrationis exiſtimationem ex eorum primùm animis delere ſtudui, & pollicitus ſum me id genus Operis accuratiùs elucubraturum, & pleraque emendaturum ex illa priſtina compoſitione, quæ jam mihi impensè diſplicebant. Hac ratione adductus manum operi ultimam admovi, melioremque in formam redactum viris aliquot eruditiſſimis explorandum, & examinandum tradidi, qui etiam me renitentem ad publicandum impulerunt, adhibitis quoque Superiorum juſſionibus, quibus obſiſtere non licuiſſet. Jam igitur priſtina hujuſce Laboris rudimenta, & exemplaria, ut fœtum aliquem informem, & abortivum abdico; ſolùmque

lumque aſſero, & agnoſco iſtud opus quale nunc prodit. Cui hoc idem contigit quod naturæ operibus, quæ à rudibus exordiis per diuturna incrementa in formam perfectionem aſſurgunt: teſtante Gregorio Niceno, quo eruditiorem Philoſophum inter ſanctos Patres neminem habet Eccleſia; ἀπὸ τῶν μικροτέρων τὸ τέλειον ἡ φύσις ποιεῖται τὴν ἄνοδον, *à minoribus ad id quod perfectum eſt natura progreditur*. Cæterùm in iſta Conciliorum diſcuſſione, tria potiſſimùm præſtare ſtudui. Primùm quidem hiſtoriæ Eccleſiaſticæ mediocrem notitiam, deinde ſacrorum Canonum illorum cognitionem quibus Eccleſiæ ordo, & diſciplina ſtabilitur, quos aliis etiam parallelis, & conformibus tum ſacris, tum prophanis Imperatorum Romanorum, nonnunquam etiam Franciæ Regum ſanctionibus locupletavi; producta etiam praxi Gallicani fori, ut legenti ſimul occurrerent quæcumque jus canonicum, ac inſuper civiles, ſeu Romanorum, ſeu Francorum Leges circa unam eamdemque materiam diverſis temporibus conſtituiſſent. Poſtremò ſuppeditare in animo habui exactiorem priſcorum Eccleſiæ rituum cognitionem ex veterum teſtimoniis hauſtam. Quam (ut eſſet uberior) non modò Synodorum canonibus interſerui, ſed etiam ſeorſim plerumque diſtinctis diſſertationibus, & corollariis fuſiùs explicavi. Hoc intendens, ut vel ex hoc uno Libro plena, & cumulata rerum Eccleſiæ peritia poſſit hauriri. Te verò Lectorem rogatum velim, ut iſtam qualemcumque operam boni conſulas, & quodcumque erratum, vel offenderis, vel ſuſpicatus fueris, pro tua humanitate, & chriſtiana charitate ignoſcas. Licet enim quanta valui ſollicitudine ad rerum quas hic trado notitiam exactiorem collimaverim, eòque ſtudioſè aciem oculorum intenderim: attamen fieri potuiſſe, ut pluries à propoſito ſcopo aberraverim, non diffiteor. Mortalibus enim etiam diligentiam exactiorem adhibentibus,

& affe-

& affectum ſincerum præſtantibus ſubrepit plerumque inſcitia, & caligo ſolet offundi. Ignorationis enim error humanus eſt, ut ait in Libro de Synodis Hilarius. Ideòque venia dignus, & ignoſcendus. Neque minùs verè, quàm modeſtè Juſtin. Aug. in præfatione pandectarum Juris ita profitetur: *Omnium habere notitiam, & penitus in nullo peccare, divinitatis magis, quàm mortalitatis eſt*. De cætero hæc omnia judicio Catholicæ Eccleſiæ, quam cum Apoſtolo agnoſco, & conſtanter profiteor, columnam eſſe, & firmamentum veritatis, quàm lubentiſſimè ſubjicio.

Et quia me procul abſente typis editum eſt iſtud opus, ad fidem exemplaris aliena, qua uti neceſſe habui, manu deſcripti; jure à te peto, & rogo, ut judicio tuo ſuppleas, nec mihi aſcribas typis imputanda errata, quæ corrigere per abſentiam non valui.

Digitized by Google

INDEX
CAPITUM
HUJUS OPERIS.

Cap. I. Concilia Apoſtolorum. pag. 1
2. Concilia reprobata circa Baptiſmum ab hæreticis collatum. 9
3. Appendix ad præcedentes Synodos. Diſcutitur authoritas Canonum Apoſtolis attributorum. 12
4. De tribus Synodis Antiochenis. 14
5. Concilium Sinveſſanum. 15
6. Concilium Eliberinum. 16
7. Concilium Ancyranum. 22
8. Neocaſarenſe Concilium. 23
9. Concilium Arelatenſe primum, aliaque in Donatiſtas. 25
10. Nicæna œcumenicæ primæ Synodi hiſtoria. 29
11. De Ordine, & Conſeſſu Patrum tùm in Nicæna Synodo, tùm in aliis inſequentibus œcumenicis. 33
12. Vicariorum Romani Pontificis differentia. 39
13. De Loco Synodi Nicænæ, &c. 41
14. Ad Nicænos canones I. & II. 42
15. Ad Nicænum canonem III. 44

16.

16. *Ad Nicænum canonem IV.* 50
17. *Ad Nicænos canones V. VI. & VII.* 54
18. *Ad canonem Nicænum VIII.* 59
19. *Ad canones Nicænos XI. XII. & XIV.* 61
20. *Ad Nicænos canones XV. XVII. XIX. XX.* 66
21. *De numero canonum Nicænorum Diatriba.* 69
22. *Concilium Romanum ſub Silveſtro Pontifice.* 75
23. *Geſta per Arianos contra Nicænam Fidem ſub magno Conſtantino, & de Tyri Conciliabulo.* 78
24. *Geſta ab Arianis poſt magni Conſtantini exceſſum.* 83
25. *Synodus Gangrenſis.* 87
26. *Concilium Antiochenum.* 91
27. *Diatriba de Provinciis Eccleſiaſticis.* 97
28. *Proſecutio canonum Antiochenorum.* 103
29. *Synod. œcumenica Sardicenſis.* 106
30. *Conc. Carthaginenſe ſub Julio Papa quod primum dicitur.* 109
31. *Ad præcedentem canonem V. Diatriba, quiſnam olim habitus fuerit, aut quis nunc habeatur proprius Clerici cujuſque Epiſcopus.* 110
32. *Mediolanenſia Concil. I. & II. Nova orthodoxorum Epiſcoporum dubia, & Eccleſiarum ab Arrianis Clades.* 115
33. *Concilium Sirmienſe, & Anciranum.* 123
34. *De Conciliabulis Ariminenſi, Seleucienſi, & Conſtantinopolitano.* 126
35. *Synodus Laodicæna.* 132
26. *Diatriba de Eulogiis ad Laodicænum canonem XIV.* 137
37. *Proſecutio Laodicænorum canonum.* 139
38. *Synodus Alexandrina ſub Liberio Papa.* 153
39. *Synodus œcumenica II. & Conſtant. I. ſimulque Romana ſub Damaſo Synodus.* 156
40. *Concilium Taurinenſe.* 170
41. *Concilium Carthaginenſe IV.* 173
42. *Appendix ad Canones Ordinationum præcedentis Concilii.* 185
43. *Concilium Carthaginenſe V.* 194
44. *Diſſertatio de litteris formatis.* 195
45. *Proſequutio Canonum Carthaginenſium.* ibid.
46.

46. *Hæreſis Pelagianæ hiſtoria.* 208
47. *Concilium Milevitanum.* 208
48. *De Concilio Plenario Affricano, & Carthaginenſi VI.* 209
49. *Concilium Toletanum I.* 217
50. *Synodus Epheſina Oecumenica.* 220
51. *Concilium Arauſicanum I.* 225
52. *Conc. Vaſenſe, ſeu Vaſionenſe.* 229
53. *Concilium Arelatenſe II.* 230
54. *Concilium Nannetenſe.* 230
55. *Synod. Chalcedon. Oecumenica.* 231
56. *Diatriba de veterum Eccleſiarum ſitu, partibus, & forma.* 246
57. *Concilium Arelatenſe.* 259
58. *Concilium Agathenſe.* 261
59. *Diſſertatio de Laica, & de peregrina communione.* 264
60. *Proſecutio canonum Agathenſium.* 268
61. *Concilium Aurelianenſe I.* 272
62. *Concilium Arauſicanum II.* 274
63. *Concilium Lugdunenſe I.* 279
64. *Concilium Turonicum II.* 281
65. *Concilium Toletanum III.* 285
66. *Concilium Matiſconenſe II.* 286
67. *Concilium Conſt. & inter æcumenica V.* 288
68. *Concilium Toletanum IV.* 303
69. *Synodus Cabilonenſis.* 308
70. *Synodus ſexta æcumenica.* 320
71. *Appendix ad ſextam Synodum, ac diſſertatio de dyptychis Eccleſiæ.* 338
72. *Synod. quiniſexta in Trullo.* 341
73. *Septima Synodus æcumenica, Nicæna ſecunda.* 350
74. *De Synodo Francfordienſi, Librisque Carolinis.* 362
75. *Concilium Vormatienſe.* 364
76. *Synodus æcumenica octava, & Conſtantinopolitana quarta.* 366
77. *Aliquot Anaſtaſianæ editionis canonum diſcuſſio.* 376
78. *Diſſertatio circa quædam impedimenta ordinum dirimentia apud veteres, quæ nunc temporis minimè dirimunt.* 377

79. *Concilium Triburienſe.* 388
80. *Gallicana quædam Concilia in cauſa Nuptiarum illegit. Philippi I. poſtmodum Philippi Auguſti Regum Franciæ celebrata, Oſtione, Claromonte, & Divione.* 395
81. *Concilium æcumen. IX. ſeu Lateran. ſub Caliſto II.* 395
82. *Concilium æcumenic. X. ſeu Lateran. II. ſub Innoc. Papa II.* 401
83. *Concilium generale XI. ſeu Lateran. III. ſub Alexandro III. Pontifice.* 403
84. *Concil. generale XII. Lateranen. IV. ſub Pontifice Innoc. III.* 408
85. *Concil. generale XIII. Lugdun. I. ſub Innocentio IV.* 422
86. *Conc. generale XIV. & Lugdunenſe II. ſub Greg. X.* 428
87. *Conc. Vienn. Gen. XV.* 347
88. *Concilia Piſanum XVI. & Conſtantienſe XVII. Gen.* 442
89. *Concil. Florent. Gen. XVIII.* 451
90. *Concilium Baſileenſe.* 456
91. *Appendix ad Concil. Baſileenſe de Annatis.* 459
92. *Conc. Lateran. V. ſub Leone X. generale XIX.* 463
93. *Conc. Trident. generale XX.* 470
94. *Diatriba Eccleſiaſtica circa Tridentinum decretum de vulgata Bibliorum editione.* 493

NO-

Digitized by Google

NOTITIA CONCILIORUM SANCTÆ ECCLESIÆ,

In qua elucidantur exactiſſimè tum Sacri Canones, tum veteres, novique Eccleſiæ ritus, tum præcipuæ partes Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ.

APOSTOLORUM CONCILIA.

TRia legimus in Actis Apoſtolorum coacta ab ipſis, atque habita Concilia. Primum quidem, quo in locum perfidi Judæ Matthias à cœtu diſcipulorum ſublectus eſt, quò convenere numero circiter centum viginti, ut refertur c. 1. Petrus ut ſacri Collegii præſes, & cœtum convocavit, & univerſo cœtui faciendam electionem propoſuit. Subjungitque ſacer Hiſtoricus. *Et ſtatuerunt* (ſcilicet diſcipuli congregati) *Joſeph qui vocabatur Barſabas qui cognominatus eſt Juſtus, & Matthiam*. Nimis demiſsè, & abjectè meo quidem judicio de hac Matthiæ promotione ſentit Venerabilis Beda. Scribens namque in primum iſtud caput exiſtimat debuiſſe diſcipulos per electionem procedere, quæ tutior, atque

rationi, uſibuſque, & Canonibus inſequentis Eccleſiæ conformis via eſt, atque in eo culpæ obnoxios fuiſſe, quatenus omiſſa electione, rem tantam ſortibus commiſerint, ſed tamen aliquam excuſationem iſtam mereri culpam, quia diſcipulis nondum fuerat Spiritus Sanctus illapſus.

At ex adverſo contendunt cæteri Eccleſiæ Doctores, Origens, Chryſoſtomus, Auguſtinus, aliique, & cum his longè maxima Theologorum inſequentium pars, proceſſum à diſcipulis fuiſſe per electionem, ac ſuffragia: & hac ratione conſtituiſſe duos præ reliquis Apoſtolico faſtigio digniores eſſe. Cùm autem ambiguum eſſet uter amborum dignior, ad orationem recurriſſe, & ad ſortes per Spiritum Sanctum dirigendas. De quibus nunc agendum nobis conformiter ad Eccleſię Doctorum mentem.

Præſtiterit in primis ipſius Joannis Chryſoſtomi os aureum loquens audire, dum hoc primum caput explicat, Hic ergo ter aſſeverat electionem à multitudine factam, ac initam. Refert verò non ipſa Petri qualia habentur in ſacro textu verba, ſed ipſorum mentem, ac ſenſum, adhibito eligendi verbo. Hæc igitur Chryſoſtomi verba ſunt. *Quam ob rem exordiens Petrus dicebat: Viri Fratres oportet* Eligere *ex nobis*. Multitudini *permittit judicium, ſimul eos qui* Eligebantur *reddens reverendos, & ſeipſum liberans ab invidia, ſimultateque, quæ poterat à cæteris oboriri. Nam hæc ſemper ingentia gignit mala. Quod igitur ſic oportuit fieri docuit adducto prophetæ teſtimonio, Ex quibus autem oporteat fieri* Electionem *ipſe interpretatur dicens ex congregatis nobis per omne tempus.*

Libet jam Origenis qui Chryſoſtomum ætate longè præceſſit, ſubjungere teſtimonium, quod his verbis legitur homil. 23. in Joſue: *Invenio (*inquit*) quod aliquando, cùm deeſſet numero Apoſtolorum unus Apoſtolus, & eſſet neceſſarium in loco Judæ alium ſubrogari, convenientes*

tes Apoſtoli qui utique multò ſapientiores erant quàm ii, qui nunc Epiſcopos vel Presbyteros, vel Diaconos ordinant Elegerunt *duos, & ſtatuerunt in medio, nec tamen de his ſemetipſis judicium permiſerunt, ut illum facerent, quem ipſi volebant, ſed orantes, inquit, miſerunt ſortem ex illis duobus, quos ſtatuerant in conſpectu Dei, ideſt Ioſeph qui vocabatur Barſabas, qui cognominatus eſt juſtus & Matthiam. Et cecidit, inquit, ſors ſuper Matthiam, & annumeratus eſt cum undecim diſcipulis, præcedente namque oratione, non jam caſu, ſed providentia ſors divinum judicium deferebat.* Ita Origines.

Teſtis in medium tertium adducatur Sanctus Auguſtinus ita loquens in Pſal.3.conc.2. *Sors non aliquid mali eſt, ſed res eſt in dubitatione humana divinam indicans voluntatem. Nam & ſortes miſerunt Apoſtoli, quando Iudas tradito Domino periit. Et ſicut de illo ſcriptum eſt, abiit in locum ſuum, cœpit quæri quis in locum ejus ordinaretur,* Electi ſunt duo Judicio humano, *& electus de duobus unus judicio divino.* Sic Auguſtinus.

Poſteriora deinceps ſæcula confertiſſimam teſtium nubem ſuppeditant, quam adducere ſupervacaneum ſit, non tamen pigebit, aliis quam plurimis prætermiſſis, proferre Nicolaum Lyranum cujus hæc ſunt verba. *Et ſtatuerunt duos. Non diſtinxerunt ab aliis per ſortem, ſed per* Electionem, *tamquam magis notabiles in ſcientia, & factorum Chriſti experientia.* Et paulò pòſt: *Et orantes dixerunt, tu Domine. Licet enim* Iſtos elegiſſent *ut notabiliores aliis, ſicut dictum eſt, tamen ignorabant quis eorum eſſet dignior ad Apoſtolatum. Propter quod imploraverunt ſuper hoc divinum judicium per temperationem ſortium, ſecundum quod dicitur* Prover 16. *ſortes in ſinum mittuntur & à Domino temperantur.* Ita loquitur Lyranus.

Noviſſimis duobus ſeculis hęc iſtius loci intelligentia de electione magis invaluit ex Græcarum litterarum peritia qua carebant anteriores Theologi, tametſi conſtantes hujus aſſertores. Itaque ubi translatio vulgata dicit & annumeratus eſt cum undecim

Apoſtolis, ipſe Sancti Lucæ, quem certum eſt Græcè ſcripſiſſe textus ſic effert: καὶ συγκατεψηφίσθη μετὰ τῶν ἕνδεκα Ἀποστόλων. Quæ verba Ioannes Gagnæus Theologus Pariſienſis probatiſſimus juxta Græci verbi indubitatam proprietatem ſic exponit: *Suffragiis, & calculis omnium cooptatus eſt cum vndecim Apoſtolis*. Franciſcus quoque Vatablus Regius Pariſiis Profeſſor ſacrarum litterarum ita vertit: *Suffragiis additus eſt ad numerum vndecim*. Xantes Pagninus, & Arius Montanus ſic transferunt. *Simul ſuffragiis electus eſt cum vndecim*. Cornelius quoque à Lapide hoc verbum *annumeratus eſt*, ſic exponendum aſſerit juxta Græcum Sancti Lucæ Archetypum: *Communibus calculis cooptatus eſt*. His disertè ſuffragantur Alfonſus, Salmeron, Lorinus. Alios innumeros ſileo Scriptores in re adeò protrita, & indubitata.

Illa tamen facta per diſcipulos electio nihil obeſt, quò minus Matthias profiteri poſſit cum Paulo ad Galatas ſcribente, eſſe ſe Apoſtolum non ab hominibus, neque per hominem, ſed per Ieſum Chriſtum: cùm perſpicuum planè ſit non ante cœpiſſe, vel extitiſſe ipſius Apoſtolatum, niſi ex quo divinitùs directa ſors in eum cecidit. Quis verò neget has ipſas (circa) duos diſcipulos ſortes fuiſſe ab hominibus datas? cùm id liquidò teſtetur Lucas: Et dederunt (non alii ſanè quàm diſcipuli, qui ipſi homines erant) ſortes eis. Et tamen ſortes hæ ab hominibus collatæ propius attingunt divinam illam, & ſupernaturalem Apoſtolicæ dignitatis collationem, quàm iſta anterior facta ab eiſdem hominibus per ſuffragia electio. Si ergo ſortes ab hominibus collatæ nihil obſiſtunt divinæ huic vocationi, ſed potius inſerviunt; multò minùs obſiſtent remotiora illa, & anteriùs collata communia ſuffragia, per quæ duo diſcipuli reliquis ſociis prælati ſunt, necdum tamen conſtituti Apoſtoli.

Iſte nimirum eſt conſtans ordo, ac diſpoſitio divi-

næ providentiæ ut cauſas creatas naturales, & humanas inflectat, dirigat, ordinetque ad ſibi propoſitos quamtùmvis ſupernaturales fines. Exercitium prórſus humanum piſcandi contribuit vocationi Petri, & Andreæ, & Jacobi, & Joannis, quatenus hac occaſione illos offendit Chriſtus Dominus, dum ambularet ſecus mare Galilææ, eoſque à piſcium captura traducens ad piſcationem hominum conſtituit ſibi Socios, & Apoſtolos. Egreſſio Samaritanæ mulieris ad hauriendam aquam in ordine divinæ providentiæ cauſa fuit per accidens, & externa ad ſupernaturalem ejus, & divinam converſionem. Quin etiam peccata ipſa ſeriem ipſam ingrediuntur divinæ providentiæ ad eliciendos ſupernaturales effectus, unde affirmat Petrus act. 2. Chriſtum definito conſilio, & præſcientia Dei traditum, per manus iniquorum affigentes interemiſtis. Quod perinde eſt, ac ſi diceret: Deum uſum fuiſſe per conſilium altiſſimæ providentiæ ſuæ impiorum malitia, quam conſultò permittebat, ut ſic exequerentur mirificum illud humanæ Redemptionis opus. Si ergo malorum hominum perverſæ machinationes, & flagitia plerumque ſupernorum conſiliorum executioni famulantur, cur non inſervient ad divina beneficia piorum quoque hominum intentiones, & actus?

Sed ne extra Sacrum Synodorum, in quo verſamur, campum diutiùs divagetur oratio, ipſi ſanè Patres, qui in Concilium ad definiendas fidei ambiguitates conveniunt & homines ſunt, & humanis rationibus, diſputationibus, argumentationibus futuræ circa fidem definitioni præludunt: ut ex veterum, & recentiorum Synodorum actis compertum ſit. Ipſa tamen fides, quæ per hujuſmodi diſceptationes inveſtigatur, non ſyllogiſmis, non ratiocinationibus, ſed revelatione, qua mentes noſtræ supernè illuſtrantur, nititur & ſubſiſtit. Sanè S. Auguſtinus de Theologia loquens, quæ humanis rationibus res fidei inveſtigat, & com-

probat, ſic ait l. 4. de Trinit. cap. 1. *Huic ſcientiæ tribuitur id quod fides ſaluberrima gignitur, nutritur, defenditur, roboratur*. Sanctus quoque Ambroſius in cap. 5. Lucæ verba hæc Chriſti ad diſcipulos in mari Galilææ piſcantes: Laxate veſtra retia in capturam, ſic allegoricè exponit, *Hæc quæ Apoſtoli jubentur laxare retia, verborum ſunt complexiones, & diſputationum receſſus, quibus fideles quos ceperint non amittant*. Quod verò ibi Chriſtus ad Petrum dicit, Duc in altum, idem ſic interpretatur Ambroſius, hoc eſt in profundum diſputationum.

Recurſus porrò ad ſortes in his diſcipulis non jure reprehenditur à Beda. Certum namque eſt non modo fuiſſe apud Hebræos frequentem, ſed à Deo etiam vel præſcriptum, vel approbatum. Inter duos Hircos, quorum unus erat immolandus, alter in deſertum ablegandus, ſors præcipiebatur jacienda, *Levit.* 16. Aaron ſorte aliis prælatus eſt ad Summum Sacerdotium ipſo Deo ſic jubente, *Num.* 17. cujus etiam juſſu Samuel Saulem in Regem elegit per ſortem 1. *Reg.* 10. Terra Promiſſionis ſorte diviſa eſt inter Iſraelitas, *Num.* 25. Sacerdotalia munera ſorte obringebant, 1. *Paral.* 24. Ideoque narrat Lucas ſorte obtigiſſe ut Zacharias Joannis Pater thura Deo intra Sanctuarium ſuccenderet. Denique ait Auguſtinus in Pſal. 30. conc. 2. *Sors non aliquid mali eſt, ſed in dubitatione humana res eſt divinam indicans voluntatem*. Et allegatur in decreto Gratiani 26. *q.* 2. *c.* 1.

In multis caſibus ſortis remedium jura civilia præſcribunt. Nam cohæredes inter ſe ſortiri poſſunt apud quem ex ipſis remanſuræ ſint cautiones hæreditariæ, *L ſi quæ ſunt cautiones*, ff. *familiæ erciſcundæ*, & ſortitio hæreditatem dividit, *L.* 2. *quando*, *& quibus quarta pars debeatur*. Et in judiciis familiæ erciſcundæ, communi dividundo, & finium regundorum, quibus confines poſſeſſores, vel hæredes, vel ſocii de partitione decertant, ſi quæratur litis ordinandæ gratiæ

uter

uter actor ſit uter reus, res ſortè diſcernitur. *L. ſed cum ambo ff. re judiciis.* Et ſi plures Legatarii inter ſe circa rerum legatarum optionem diſſentiant, ſortè dirimitur controverſia, ut ad quem ſors veniat, illius ſententia in optione præcellat §. *optionis inſtitut. de legat.* ait verò Salomon Prov. 18. *Contradictiones comprimit ſors, & inter potentes dijudicat.* Denique ſortium aliæ conſultivæ ſunt quæ ſolæ reprobantur, aliæ diviſæ, aliæ electivæ. Harum legitimus eſt uſus ſaltem quando aliter ambiguitas non poteſt commodè expediri.

Secundum Apoſtolorum cæterorumque diſcipulorum Concilium refertur Act. 6. ubi collecto per Apoſtolos diſcipulorum grege, electi primum fuere ſeptem diaconi communibus ſuffragiis. Eccleſiaſtica Hierarchiam cœleſtem imitatur ut docet Dionyſius. Sicut ergo ſeptem Angeli aſtant ante Deum. *Tobiæ* 12. *& Apoc.* 1. Similiter in Eccleſia ante Sacrum altare, & circa Hierarcham divina facientem diaconi ſeptem: quem olim numerum non licebat excedere, ut conſtat ex Neocæſarienſis Concilii can. 15. qui citatur *c. diaconi ſeptem*, *diſt.* 93. & Cornelius Papa *epiſt. ad Fabium Antiochenum* quam refert Euſebius recenſens Clerum Romæ conſiſtentem, ſeptem numerat diaconos, totidemque ſubdiaconos; in Concilio quoq. Romano ſub Silveſtro I. numerantur diaconi in urbe Cardinales ſeptem.

Tametſi Diaconi ſucceſſerint in menſarum miniſterium, quo viduæ olim fungebantur, non tamen in hac menſarum præfectura ſtat præcipuum eorum munus. Conſtituti quippe ſunt in altaris miniſterium, quod eſt ſublimioris dignitatis. Idque liquidò conſtat, quia per manum impoſitionem cum ſolemnibus orationibus ab Apoſtolis ordinati ſunt. Act. 6. Vir Apoſtolis coætaneus Ignatius epiſt. ad Hæronem Diaconum, & epiſt. ad Trallianos tradit officium Diaconorum in eo eſſe, ut Epiſcopis & Sacerdotibus ſacrifi-

cantibus, & Sacramenta divina miniſtrantibus ſubminiſtrarent. Quin etiam in eo verſabatur etiam horum officium, ut vivificum Chriſti ſanguinem communicantibus præberent, ut teſtantur Juſtinus Martyr *Apolog.* 2. Cyprianus *ſermon. de lapſis*; & de Sanctiſſimo Diacono, & Martyre Laurentio idem ſcribit Ambroſius lib. 1. Officiorum.

Tertium Apoſtolorum Concilium fuſius deſcribitur Act. 15. ubi unà convenerunt Apoſtoli, & ſeniores unanimi ſenſu ſtatuentes eſſe fideles immunes à jugo circumciſionis, & Moſaicarum cæremoniarum: tantum ut abſtinerent ab immolatis ſimulacrorum, & ſanguine, & ſuffocato, & fornicatione. Concilium iſtud Jeroſolymæ celebratum fuit anno Chriſti, ut ſupputat Baronius, quinquageſimo primo. Huic Paulus, & Barnabas interfuerunt ex Antiochia profecti, anno ab ipſius Pauli converſione decimo quarto, cum ſcribat Galat. 2. *Deinde poſt annos quatuordecim iterum aſcendi Jeroſolymam cum Barnaba aſſumpto, & Tito.*

Gravis hic exurgit difficultas: cùm enim hoc ipſo Concilio prohibeantur fidelibus carnes idolis immolatæ, quæ Græcè idolothyta dicuntur; nihilominus Paulus aliquantò poſt ſcribens primam ad Corinthios epiſtolam cap. 8. negat eos peccare qui veſcuntur idolothytis, niſi vel ſcandalum ingenerent infirmis, vel erroneè credant ipſi ſe ſic faciendo peccare. Huic nodo convenientem cuneum adhibet Baronius admonens præceptum de idolothytis, & ſanguine, & ſuffocato non fuiſſe ab Apoſtolis impoſitum univerſis fidelibus; ſed tantùm Eccleſiis Judææ, Syriæ, Ciliciæque, in quibus orta erat illa, quæ iſti Concilio cauſam dedit, controverſia. Etquidem Synodica epiſtola, quam refert Lucas, ita inſcribitur: *Apoſtoli, & ſeniores fratres his qui ſunt Antiochiæ, Syriæ, & Ciliciæ, fratribus ex gentibus.* His ergo, propter Judæorum converſorum multitudinem, cum quibus cohabitabant, ad eorum offenſionem decli-

cli-

clinandum, neve fraterna charitas, & pax interturbaretur, hæc interdicta fuerunt, quæ cæteris fidelibus libera relicta ſunt.

Nihilominus præceptum iſtud à ſanguine abſtinendi in univerſam Eccleſiam dimanavit, uſq; omnium receptum eſt ita, ut multis ſæculis, tàm in Occidente, quàm in Oriente invaluerit; qua de re conſulito, quæ inferius collegi ad Gangrenſis Synodi Canonem 2. Chryſoſtomus *homil.* 3. *in Acta Apoſt.* obſervat in his Conciliis prudentiam, & ſummam in Petro animi moderationem, qui cùm eſſet Summus Pontifex, Chriſtique per univerſam Eccleſiam Vicarius. & Spiritus Sancti luce pleniùs illuſtratus; nihil tamen quidquam per ſeipſum, aut Jure propriæ quamvis ſacroſanctæ authoritatis, & poteſtatis decernere voluit: tametſi hoc quoque potuiſſet, ſed Eccleſiæ ſuffragia per iſtas Synodorum convocationes exquiſivit. Eamdem animi moderationem, & prudentiam imitati ſunt plurimis ſæculis Romani Pontifices, quoties gravis aliqua præſertim de fide cauſa emergebat, ut perſpicuum ſit ex frequentibus Conciliis olim à Romanis Pontificibus convocatis, quorum ductu & placito commiſſum ſibi dominicum gregem providiſſimè regebant, Sic verò loquitur Chryſoſtomus. ὅρα δὲ πέτρον μετὰ κοινῆς πάντα ποιοῦντα γνώμης οὐδὲν αὐθεντικῶς οὐδὲν ἀρχοντικῶς. Intuere Petrum nihil niſi de communi fratrum conſilio agentem, nihil verò per imperium, nihil ex propria authoritate.

CONCILIA REPROBATA.

Circa collatum ab Hæreticis Baptiſmum.

VAleretne Baptiſmus ab Hæreticis collatus diu magna animorum contentione diſputatum eſt.

In

In primis Africanorum Epiſcoporum Concilio, cui præ ſedit Agrippinus Cartaginis Epiſcopus, decretum fuit nullum prorſus, & invalidum ejuſmodi Baptiſmum eſſe: Ideoque ab Eccleſia iterandum: Teſtatur id Cyprianus *epiſt. 71. ad Quintum*.

Ipſe deinde Cyprianus Cartaginis quoque præſul, hoc idem decretum coactis tribus aliis Africanis Synodis confirmavit: dum regeret Stephanus Eccleſiæ univerſæ clavum, Imperatoribus Valeriano, & Galieno. Primas harum trium Synodi litteras Synodicas conſcripſit Cyprianus. Vide hujus epiſt. 73. ad Jubajanum.

Ut verò decretum iſtud pleniorem ſortiretur auctoritatem, plenior quoq; Africanorum Patrum Synodus ab eodem Cypriano indicta eſt, convenientibus uno, & ſeptuaginta Africæ, & Numidiæ Epiſcopis qui præcedens decretum firmarunt, & innovarunt. Scripſitque de eo Cyprianus Synodicam ad Stephanum Pontificem, ſub cujus finem ne hac occaſione ſchiſma naſceretur, ipſe conteſtatur per iſtud decretum nihil præjudicari aliorum libertati, ut poſſint oppoſitam ſi lubet ſententiam ſequi, ſine ulla Eccleſiaſticæ unitatis labefactione. His verò acceptis litteris Stephanus Papa Synodi hujus ſanctionem reprobavit, vetuitque ne quis auderet à contraria Apoſtolica traditione diſcedere. Huic Stephani reſcripto minimè acquievit Cyprianus, ſed contra eum plenam querelarum ſcripſit epiſt. 74. *ad Pompejum* qua Stephanum ipſum tum ſuperbiæ, tum imperitiæ, tum imprudentiæ inſimulat qua in re moderationis limites Cyprianus tranſilivit. Quin etiam tertiam ſine mora convocat Africanorum Antiſtitum Synodum, cui ex Africa, Numidia, & Mauritania interfuerunt Epiſcopi ſeptem & octoginta. Initio Synodi præfatur non eſſe dirimendam ab his qui diſſentirent communionem, & pacem. Deinde tacito Stephani nomine, ipſum paulò acrius perſtringit his verbis; *neq; enim ſe quiſquam noſtrum Epiſcopum Epiſcoporum*

rum

rum conſtituit, aut tyrannico terrore ad obſequendi neceſſitatem collegas ſuos adigit, Hoc ex loco, atq; ex Tertulliani libro adverſus Pſychicos cap. 1. ubi Romanum Pontificem *Epiſcoporum Epiſcopum* nuncupat, conijcitur hunc fuiſſe priſcis illis ſæculis unum ex titulis ejus. Iſtud demum pleniore Concilio præcedentium Conciliorum Africanorum innovatum fuit decretum. Hac ſanè in re ſanctiſſimum virum etiamſi iſta ex officio agere crederet, à noxa non exemerint, Hac in peregrinatione mortali, magna etiam ſanctitas non eſt ab omni culpæ labe immunis. A culpa iſta Patres Africanos, & maximè Cyprianum mox reſiliiſſe produnt Hieronymus contra Luciferianos, & Auguſtinus l. 2. de Baptiſ. contra Donatiſt. c. 4. & epiſt. 48.

Circa idem tempus altera Synodus hiſce Africanis conformis habita eſt Iconii in Phrygia, convenientibus eò ex diverſis Aſiæ Provinciis, Epiſcopis præſide Firmiliano Ceſareæ in Cappadocia Metropolitæ: cujus ſupereſt inter Cypriani epiſtolas, ad Cyprianum ipſum epiſtola 61. ex qua conſtat fuiſſe hanc Aſianorum Synodum à Stephano Papa damnatam, ejuſque Aſſertores à fidelium communione excluſos. In eumdem erroris lapidem impegiſſe Dionyſium Alexandriæ Patriarcham refert Euſebius l. 7. *hiſt. Eccl. cap. 6.* non tamen in hunc, aut in Cyprianum Stephanus hanc exercuit ſeveritatem, reveritus amborum ſanctitatem, eruditionem, & dignitatem.

Ex multiplicibus Synodis hiſce Africanis & Aſianis, quibus tam eximii, & in Eccleſiæ cœlo quaſi primæ magnitudinis ſidera præ cæteris Illuſtriſſimi Præſules interfuerunt, & tamen juremerito reprobatis à Romana Sede, conſtabilitur illa regula inconcuſſa, nullam eſſe cujuſcumque Concilii authoritatem, cui Romanus Epiſcopus refragetur. Quam rem infra pleniùs proſequar ad Romanum Concilium ſub Damaſo Pontifice.

AP-

APPENDIX.

Ad præcedentes Synodos, in qua diſcutitur Canonum Apoſtolis attributorum authoritas.

MIrari ſubit, ſi quum habita fuere illa de rebaptizandis iis quos intinxerant Hæretici, Concilia; fuerit aliqua Canonum Apoſtolis attributorum notitia, qui fieri potuerit ut neque à Latinis Cypriano, & octoginta ſex aliis patribus quibus præfuit, quorum vota omnia Synodica ſuperſunt, facta ulla mentio fuerit trium Canonum Apoſtolicorum ſcilicet 45. 46. & 68. qui perſpicuè decernunt inanem eſſe baptiſmum ab Hæreticis collatum, cùm tamen potuiſſent hi Canones ſuppeditare præcipuum ſententiæ iſtorum præſidium, ac munimen. Maximè cum Stephani reſcriptum ex adverſo urgeret ipſam eis adverſantem Apoſtolorum traditionem. Ipſi quidem Africani recurrunt interdum ad Apoſtolicam authoritatem, ſed illam dumtaxat, quæ ex eorundem ſacris Libris depromitur, quale eſt Pauli affatum ſæpiſſimè ab eis repetitum: unus Deus, una fides, unum Baptiſma. His adjunge Auguſtinum, qui nec in totis ſeptem Libris de Baptiſmo contra Donatiſtas, in quibus fuſiſſimè de hac quæſtione diſputat, ullius meminit Apoſtolorum canonis. Imò verò l. 5. cap. 23. ſic ait: *Apoſtoli nihil exinde præceperunt ſed conſuetudo illa, quæ opponebatur Cypriano ab eorum traditione exordium ſumpſiſſe credenda eſt ſicut multa, quæ univerſa tenet Eccleſia, & ob hoc ab Apoſtolis præcepta rectè creduntur, quanquam ſcripta non reperiantur.* Hæc Auguſtinus.

Neque etiam antiquiores Græcis canones iſtos agnoverunt, alioqui namque Firmilianus Epiſcopus Græcus, & Græcæ Synodi adverſus hæreticorum Baptiſmum convocatæ Præſes, qui in ſua ad Cyprianum epiſtola, quæcumque poteſt ſuæ ſententiæ argumenta,

pro-

probationesque congerit, hoſce Apoſtolicos canones non ſiluiſſet. Scio utique à patribus Græcis interdum Apoſtolis attribui nonnulla, his canonibus ſancita. Verùm hæc ab illis accepta ferunt ſancti Patres, non quatenus in illa vulgari canonum ſerie continentur, ſed quatenus ab Apoſtolis ejuſmodi traditio, & uſus in Eccleſias præſertim Orientales dimanaverat.

Porrò Clementem & natu, & Epiſcopatu Romanum hos collegiſſe canones mihi nemo perſuaſerit; tum quia, ut ſatis oſtendi, canones iſti veteribus patribus præſertim Occidentalibus incomperti erant, tum quia in eiſdem non pauca damnantur, quæ fuerunt à beato Petro, cujus fuit Clemens diſcipulus, & Succeſſor tradita Romanæ Eccleſiæ; ut eſt canon quintus de uxore Epiſcopi, vel Sacerdotis, vel Diaconi non dimittenda obtentu Religionis. Et canon 65., quo ſtatuitur pœna depoſitionis, aut excommunicationis in eum, qui ſabbatho jejunaverit. Qua de re pleniùs infra diſputabimus. Et canon 68. quo eiſdem multantur pœnis, qui feria quarta non jejunaverint. Hoſce canones avidè Græci ſuſcipiunt, ex quo ſe ſchiſmate à nobis divulſerunt, ut prætextum arripiant damnandi Romanam Eccleſiam: ut liquet ex ſchiſmatica Synode Quiniſexta, quæ magnam his canonibus arrogat authoritatem, & Romanam damnare audet Eccleſiam canonum iſtorum infractricem.

Ex adverſo Concilium Romanum Epiſcoporum ſeptuaginta ſub Gelaſio Papa librum canonum Apoſtolorum pronunciat apocryphum, & allegatur in *c. Sancta Romana Eccleſia diſtinct.* 15. His adiungenda Iſidori cenſura relata in decreto *c. canones diſt.* 16. canones, qui dicuntur eſſe Apoſtolorum, nec receptos eſſe ab Apoſtolica Sede, nec Sanctos Patres aſſenſum illis præbuiſſe, atque ab hæreticis ſub nomine Apoſtolorum fuiſſe compoſitos: in eis tamen aliqua utilia contineri. Marcellus Papa, & Martyr tres Apoſtolorum ſan-

ſanctiones perhibet, quarum tamen nulla ad illos vulgò Apoſtolis adſcriptos canones referri poteſt. Primò, ut undequaq; à quibuſcumque judiciis liceat Epiſcopis Apoſtolicam Sedem appellare. Secundò, ut nullum haberi Concilium poſſit, niſi de ſupremæ ſedis conſenſu. Tertiò, ut Epiſcopi criminum accuſati judicari non poſſint niſi in Synodo, quæ fuerit Romani Epiſcopi authoritate indicta. Et Concilium Ancyranum can. vlt. allegat canonem prohibentem, ne ſeptenarius diaconorum numerus excedatur. Qui citati canones cùm non poſſint ad eam referri collectionem vulgarem canonum Apoſtolis attributorum, ſatis inde arguitur, non eſſe neceſſariò referendum ad illam canonum trivialem congeriem, quidquid legitur prioribus Eccleſiæ ſæculis canonibus Apoſtolicis attributum, etſi fortaſſe tale aliquid in ea collectione legatur: in qua etiam complures leguntur ſuppoſititii canones Apoſtolicę traditioni planè contrarii: ut ſunt qui rebaptizari hæreticos ſanciunt, aut ſacerdotem cum uxore convivere.

De tribus Synodis Antiochenis.

TRia memorantur Antiochena Concilia, quorum priora duo fuerunt contra Paulum Samoſatenum Antiochiæ Patriarcham, impiè aſſerentem de Chriſto, nihil fuiſſe quàm merum hominem. Primùm quidem convenerunt Antiochiæ Præſules Aſiani ſub Imperio Gallieni, inter quos exſtit, celeberrimus ille Neocæſareæ Ponti Antiſtes Gregorius Thaumaturgus, & Firmilianus Cappadocum Metropolites, anno octavo poſtquàm fuerat à Stephano Papa de fidelium ſocietate exciſus. Quod argumentum eſt, Firmilianum poſtmodo ab errore reſipuiſſe, alioqui non admittendum in legitimam Synodum. In hac damnatus eſt Paulus. Qui tamen ſubdolè pœnitentiam ſimu-

mu-

mulavit, & polinodiam dixit. Idem tamen, digreſſis in proprias ſedes Epiſcopis, vitaque functo Thaumaturgo, larvam depoſuit, & perverſum dogma pertinaciùs aſſeruit.

Quo circa Epiſcopi Aſiæ ſecundam Antiochiæ Synodum celebrarunt, in qua Paulus denuo condemnatus, & ſede dejectus. Sed parere recuſans, & ſuorum factione munitus, Patres neceſſitate adegit interpellandi ethnicum Imperatorem Aurelianum, brachii ſæcularis auxilium ad ſanctiſſimi decreti executionem implorando. Aurelianus cauſam judicio Romani Epiſcopi Dionyſii commiſit, qui re penitus explorata, Paulum juſtè depoſitum declaravit. Id judicium Imperator executioni demandari juſſit, & Paulum ejici. Legendus Euſebius lib. 7. hiſt. Eccl. c. 24.

Tertium denique Antiochiæ Concilium habuerunt Ariani tempore Conſtantii Principis, de quo inferius ſuo loco.

CONCIL. SINVESSANUM.

QUum Romanæ præeſſet Eccleſiæ Marcellinus, deſæviente atrociſſima Diocletiani perſecutione celebratum Concilium fuit in quadam Sinveſſæ crypta circa Marcellini cauſam, qui ethnicæ crudelitatis metu idolis thura adoleverat. Erat Sinveſſæ Campaniæ oppidum, quod nunc vocari perhibent *Rocca di Mondragone*. Iſtud Concilium refert Baronius in annum 303. ejuſque acta ut vera, germanaq; admittit; fatetur tamen aliquot mendis vitiata. Idem conjicit indictam fuiſſe Synodum iſtam a Romano Clero, ad quem totius Eccleſiæ ſpectabat regimen ac ſollicitudo in defectum Romani Pontificis, ut ex multis liquere poteſt Cypriani litteris. Hic verò novum, & antea inauditum pe-

periculum urgebat, ne Pontificis ſummi lapſus totius Eccleſiæ ruinam ſecum traheret, aut exitiale ſchiſma inveheret. Non enim fuiſſe à Marcellino Synodum convocatam convincitur inde, quia culpam ſuam prorſus negavit coram ipſo Concilio, donec productis pluribus teſtibus, jam amplius diſſimulare non valens, ſuum poſtremò delictum profuſis lacrymis confeſſus eſt: neque dignum ſe eſſe qui verſaretur in ordine Sacerdotali. Cui Patres reſponderunt: *ore tuo condemnaberis, quia prima ſedes non judicatur à quoquam*, ut legitur in hujuſce Concilii actis. Meminerunt pariter Anaſtaſius in Marcellino, & Nicolaus Papa I. Epiſt. ad Michaelem Imperatorem. Cæterum Marcellini lapſus non fuit infidelitas erroris in intellectu, ſed puſillanimitas contra debitam fidei profeſſionem, qualis fuerat triplex Petri negatio. Sed hanc ruinam Marcellinus paulò poſt Martyrio reparavit.

CONCIL. ELIBERINUM.

SIcut Diocletiani cum Maximiano, & inſequentium Imperatorum Galerii, Maxentii, Maximini, atque Licinii perſecutio multis fuit occaſio triumphi; ita pleroſque ex oppoſito impulit in ruinam. Quare Patrum ſedulitate multis locis proviſum fuit circa lapſos. In Oriente quidem per Synodum Ancyranam, cui Vitalis præfuit Antiochiæ Patriarcha, & per Synodum Alexandrinam, in qua Petrus Alexandriæ Patriarcha, & deinde ſub Maximino Martyr ſuos edidit canones pænitentiales circa lapſos. In occiduis plagis pariter circa lapſos proviſum eſt per congregatum Eliberi Concilium, quæ eſt Hiſpaniæ Bæticæ civitas dicta vulgo *Eluira*. Huic ſubſcripſere inter alios Oſius ille Cordubæ Epiſcopus, qui poſtmodum

Ni-

Nicæno Generali præſedit, & Valerius Cæſaraugustæ Epiſcopus, ille idem qui præſtantiſſimum Martyrem Vincentium habuerat adminiſtrum. Contigit iſta Synodus an. Chr. 305. aut circiter Galerio, & Conſtantio Imp.

Hic, ut fideles in officio continerentur rigidiores, canones procuſi ſunt, quàm in Conciliis Ancyrano, & Alexandrino, in quibus communio poſt lapſum pænitentibus ſaltem in vitæ diſcrimine indulta eſt, quam lapſis denegat Eliberinum. Hujuſce Concilii tacito tamen nomine meminit Innocentius I. epiſt. ad Exuperium Toloſanum Epiſcopum his verbis: *Et hoc quæſitum eſt quid obſervari oporteat de his qui poſt Baptiſmum omni tempore incontinentiæ voluptatibus dediti, in extremo vitæ ſuæ fine pænitentiæ, ſimul & communionis reconciliationem expoſcunt. De his obſervatio prior durior, poſterior interveniente miſericordia inclinatior eſt. Nam conſuetudo prior tenuit ut concederetur pænitentia, ſed communio negaretur. Nam cum illis temporibus perſecutiones crebræ eſſent, ne communionis conceſſa facilitas homines de reconciliatione ſecuros non revocaret à lapſu, negata meritò communio eſt, conceſſa pænitentia, ne totum penitùs negaretur, & duriorem eſſe remiſſionem fecit temporis ratio. Sed poſtquam Dominus noſter pacem Eccleſiis reddidit, jam depulſo terrore Communionem dari obeuntibus placuit, &c.* Ita Innocentius.

Eliberina itaque Synodus interdicit communione in fine vitæ eos, qui poſt Baptiſmum lapſi ſunt in idololatriam can. 1. & 2. eoſque, qui poſt peractam pœnitentiam lapſi ſunt in fornicationem can. 7. & illos qui per maleficium hominem occiderunt can. 6. & paſſim aliis canonibus prolapſos in alia gravia crimina. Verùm poſterior Eccleſiæ diſciplina mitior exſtitit, quæ non permittit viatici communionem cuiquam pœnitenti in fine vitæ ſubtrahi, ut liquet ex Ancyrani Concilii can. 6. & Nicæni can. 12. & Aghatenſis can. 11. atque ex præfato Innocentii reſcripto, nec non ex univerſalis Concilii Carthaginenſis quarti can. 77. & 78.

Cæterum Eliberinis Patribus immitiores fuere Novatiani, & Cataphryges Hæretici, ſeù Montaniſtæ, qui nedum viatici communionem, ſed etiam omnem reconciliationem pœnitentibus moribundis recuſabant, ut teſtantur de Novatianis Cyprianus epiſt. 52. ad Antonianum, & epiſt. 67. ad Stephanum Papam, atque Ambroſius, & Pacianus in ſuis de pœnitentia libris. De Montaniſtis verò Tertullianus ipſe Montaniſta l. de pudicitia c. 1.

Itaque ne immanitatem, quam in illis hæreticis Eccleſia Dei ſemper execrata eſt, in iſtud Concilium refundamus, illa communionis in ipſo vitæ exitu ſtatuta privatio nullatenus reconciliationis, ſeu abſolutionis, ſed Euchariſtiæ Sacramentum admit. Quis verò non abhorreat, & deteſtetur pœnitenti veniam in ipſo vitæ exitu, atque imminentis jam irrevocabilis judicii limine ſuppliciter, & lacrymosè roganti, reconciliationis præſidium, & opem in tanto diſcrimine ſubtrahere? Quis non perhorreſceret illius inhumanitatem, qui prohiberet, nequiſquam manus auxiliares ei porrigeret, qui ſua culpa in gurgitem prolapſus, & jam fluctibus obruendus ſupplices manus tenderet, ut eriperetur, præſertim ſi facilè, & abſque Liberatoris periculo poſſet eripi? An verò major erga corporalem vitam adhibenda eſt charitas, quàm erga redemptam Chriſti ſanguine animam, quæ pœnitens, & lugens in ultimo vitæ confinio, & extremo ſalutis æternæ diſcrimine piæ Matris Eccleſiæ opem, ac præſidium jamjam in circunſtantium, & frementium dæmonum manus caſura efflagitat, & miſerabiliter implorat?

Scio equidem dici poſſe communionem de reconciliatione pęnitentis perinde, ac de Euchariſtiæ beneficio, verum de hac ſola exponendi ſunt illi canones Eliberini. Id enim diræ, ne dicam diabolicæ immanitatis horror ſuadet, ſimulque apertum Nicæni canonis 13. teſtimonium ſtatuentis ſervandam eſſe, quam vocat an-

antiquam, & canonicam legem, ut qui ex hac vita egrediuntur ultimo, & neceſſario viatico non fruſtrentur: ita tamen ut ſi poſt acceptam Euchariſtiam convaluerint, inter illos dumtaxat recipiantur, qui ſolis fidelium orationibus participant. Quibus ex verbis liquidò conſtat mentionem hic tantùm eorum eſſe, qui in pęnitentium ſtatu verſantur. Cùm igitur Nicænum Concilium (in quo præſidebat qui Eliberino Concilio ſubſcriptus legitur Oſius) atteſtetur hanc eſſe antiquam, & canonicam legem circa pęnitentes de vita periclitantes, Canones illi Eliberini, quamvis Nicænæ diſpoſitione contrarii, non ſunt trahendi ad extremam immanitatem, quam Eccleſiæ ſpiritus perhorreſcit, ſed ad eam moderandi ſunt ſeveritatem, quam verba ipſorum neceſſariò præ ſe ferunt. Denique illam uſque adeò ſiniſtram à quibuſdam neotericis excogitatam Eliberinorum canonum explicationem ſatis condemnat antiquæ pietatis, & eruditionis ſpecimen Cyprianus epiſt. 2. ad Antonianum, ſic dicens contra Novatianos: *Miror quoſdam ſic obſtinatos, ut dandam lapſis non putent pænitentiam, aut pænitentibus exiſtiment veniam denegandam*. Scriptor quidem ad miraculum doctiſſimus Dionyſius Petavius in ſuis ad Epiphanium notis hanc Eliberinis canonibus affixerat inclementiam; ſed conſultiùs poſtmodum ab ea ſententia receſſit in ſuis ad Syneſium notis. Refert Ambroſius lib. 2. de pęnit. 3. quòd pęnitentis abſolutionem, & reconciliationem ſemper comitari ſoleret dominicæ carnis communio: veruntamen ex juxta cauſa tantiſper ab hoc inſtituto receſſerunt Eliberini patres.

Canon Eliberinus 34. *Cereos placuit per diem in Cæmeterio non accendi: inquietandi enim Sanctorum Spiritus non ſunt*. Hæc prohibitio, qua novatores contra pium Catholicorum uſum abutuntur, illis temporibus conveniebat, quum inter paganos verſabantur Chriſtiani, nè iſti ſuperſtitioni participarent. Ethnici enim perſua-

ſum erat mortuorum animas tùm cibis, tùm lucernis indigere, quibus, & famem, & tenebras diſpellerent: ideoque dapes, lac, & vinum funeribus inferebant, ut fidem facit Plutarchus initio vitæ Romuli, aliiqui veteres. Homerus ſcribit Odyſſeæ undecimo ab Vlyſſe oblatam cum ſanguine, & vino farinam inferiorum animabus: & has accedentes avidè quæ appoſuerat abſorpſiſſe. Præterea in exequiis Miſeni apud Virgilium Æneid. 6. *Averſi tenuere facem congeſta cremantur turea dona, dapes, fuſo crateres olivo.* Ait Tertull. *de reſurr. car. c.1.* Ethnicos ita defunctis parentare, ut eis eſculenta apponat quæ comedant, eodemque igne & corpora ipſorum, & appoſitas dapes abſumere. Idem ſimilia refert l. de teſtim. animæ cap. 4. Itemque Epiphanius in Ancorato c: 87. Quin etiam tumulis accenſas lucernas includebant, cujuſmodi etiam nunc ad effoſſas eorum urnas reperiuntur. Cauſa cur fideles funalia, cereoſque in exequiis adhibent tota myſtica eſt, ad ſignificandam lucem æternam, quæ poſt caducam hanc vitam piorum animis affulget, Verbum porrò inquietandi, quo utitur canon, diſplicentiam ſignat, quam Sancti poſt hanc vitam ex viventium ſuperſtitione concipiunt. His adde gentiles luminibus ad ſepulcra plerumque uſos per magicam impietatem, & necromantiam, eoquè videri pertinere vocem inquietandi, qua uſus eſt etiam Samuelis Spiritus à Phytoniſſa rogatu Saul Regis evocatus. Quare inquietaſti me ut ſuſcitarer? 1. *Reg.* 28. poſtquam verò fatiſcente gentilitate liberum caput extulit Chriſti religio, tum demum fideles procul ablegato metu, vel ſuſpicione approbandi, vel imitandi profanos gentilium ritus, cereis accenſis Chriſtianorum exequias proſequuti ſunt. Scribit namque Hieronymus ad funus ſanctæ Paulæ ingentem fuiſſe concurſum Clericorum, & Monachorum cereos ardentes deferentium, Gregorius etiam Niſſænus in vita Macrinæ Sororis commemorat Cleri-

cos,

coſ, qui ei juſta perſolvebant funus comitantes, cereos accenſos præ manibus habuiſſe. τὰς ἐκ τοῦ κηροῦ λαμπάδας ἔχοντες πάντες.

Canon 36. quem nobis etiam objectant Hæretici, ita ſancit: *Placuit picturas in Eccleſia eſſe non debere, ne quod colitur & adoratur, in parietibus depingatur*. Ut mens Concilii percipiatur, habenda temporis ratio eſt, quo deſæviebat in Chriſtianos gentilium inſectatio. Favet quippè canon iſte imaginibus ſacris, quas ideò vetat parietibus appingi, ne gentilibus ludibrio eſſent. Quod ſanè periculum, haud ita timebatur in imaginibus, quæ in Eccleſiis appendebantur, aut alioqui mobiles collocabantur, ut ſubduci, & aliò transferri perſecutionis exurgente procella poſſent. Simili ex cauſa in Codice Juſtinianæo lib. 1. tit. 8. lex promulgatur Theodoſii, & Valentiniani Imperatorum prohibens ſignum Salvatoris in ſilice humi inſculpi, aut pingi, ne videlicet conculcetur, aut conſpuatur ab iis, qui in locum ſacrum conveniunt. Quod item ſanxit Quiniſexta Synodus can. 73. cum hac ratione, ὡς ἂν μὴ τῇ τῶν βαδιζόντων καταπατήσει τὸ τῆς νίκης ἡμῖν τρόπαιον ἐξυβρίζοιτο. Ne incidentium conculcatione victoriæ nobis trophæum injuria afficiatur.

Prætereà non immeritò ſuſpicatur Baronius Canonem iſtum ab Iconoclaſtis, qui olim Hiſpaniam incoluerunt confictum, & ſuppoſitum. Ratio ejus eſt, quia licet proferatur ab Jvone lib. 3. decreti, non tamen ab iis, qui eum præceſſere canonum compilatoribus Fernando Diacono, Dionyſio exiguo, Creſconio: tum quia veterum Iconomachorum Hiſpanorum nemo quantavis diligentia, undecumque argumenta contra ſacras imagines conquiſita collegerit, Elliberini Concilii in ipſa Hiſpania celebrati canonem ullum profert, non Vigilantius, non Claudius Taurinenſis Epiſcopus, ambo in Hiſpania verſati ſacrarum Imaginum impugnatores.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

CONCIL. ANCYRANUM.

Iſtud coactum eſt, ſimulatque morte Maximi extincta eſt dira in Oriente in Chriſtianos accenſa perſecutio: providet enim circa eos, qui tyrannidis formidine lapſi fuerant. Eſt verò Ancyra Galatiæ Metropolis. Synodo iſti nonnulli Epiſcopi interfuerunt, qui deinde ſubſcripti in Nicæna œcumenica leguntur, videtur habita an. Chr. 314.

Canon. 1. Diaconis ipſis permittit uxorum uſum, ſi ante ordinationem Epiſcopo fuerint proteſtati ſe nolle, aut non poſſe ab uxore continere: citatur à Gratiano *c. Diaconi diſt.* 28. de cœlibatu ſacri Cleri, conſulito inferiùs annotata ad Nicæni Concilii can. 3.

Canon. Ancyranus 13. cavet ne Chorepiſcopi Presbyteros, aut Diaconos ordinent citra veniam Epiſcoporum, quibus ipſi Chorepiſcopi ſubſunt. Huc ſpectat Antiocheni Concilii canon 10. ſolam Chorepiſcopis permittens Exorciſtarum, Lectorum, & Subdiaconorum ordinationem; prohibens verò Sacerdotum, & Diaconorum *etiamſi* (inquit) *Chorepiſcopi ordinationem acceperint Epiſcoporum*. Hic porrò Antiochenus canon duo circa Chorepiſcopos edocet. Primò illos non in civitatibus, ſed in vicis, & minoribus oppidis conſtitui.

Secundò poſſe contingere, ut Epiſcopali quoque Ordine præfulgeant Chorepiſcopi. Quæ obſervatio egregiè conciliat canonem Antiochenum cum epiſtola decretali Papæ Damaſi negante Chorepiſcopos ullam habere ordinandi poteſtatem, eò quòd nihil amplius ſint quàm Presbyteri, nec ullatenus Epiſcopi. Loquitur namque Damaſus de poteſtate Chorepiſcopi præcisè, quæ talis eſt, non tamen negat fieri poſſe, ut Epiſcopus curam ſubeat Chorepiſcopi, aut Chorepiſcopus in Epiſcopum conſecretur. Sic enim reperimus in priſcis

Con-

Conciliis Epiſcopos à propriis Eccleſiis dimotos, permitti, ut alicubi Chorepiſcoporum fungantur officio. Cujus rei exemplum ſuppeditat Nicænæ Synodi canon 8. Simile videmus in titularibus Epiſcopis, qui aſſignati Eccleſiis in remotioribus infidelium partibus conſtitutis, habent quidem ordinem epiſcopalem, ſed omni juriſdictionis exercitio carent præter eam, quæ ipſis ab aliis Epiſcopis pro ſuo libito in propriis finibus, ac diœceſibus indulgetur. Præclarè verò Damaſus in illa de Chorepiſcopis epiſtola, confert Epiſcopos qui amore quietis, & otii ſnum Chorepiſcopis munus committebant cum nefariis illis meretricibus, quæ ut liberiùs fœdæ libidini indulgeant, ſobolis ſuæ curam penes conductas pretio nutrices abjiciunt. Quod idem proh nefas: aptari poteſt quàmplurimis hujus ſæculi Prælatis. Cæterùm illa Damaſi conſtitutio (ſi tamen ipſius eſt) non obſiſtit, quin extiterint complures deinceps Chorepiſcopi, quorum mentio in poſterioribus Conciliis paſſim occurrit.

NEOCÆSARÆENSE CONC.

SYnodus Neocæſaræenſis Nicænam præceſſit, ſubſcriptus namque Neocæſaræenſi legitur Baſilius Amaſææ Epiſcopus, qui ſub Licinio Martyr occubuit, ut refert Euſebius in Chronico. Eſt Neocæſaræa Ponti in Aſia civitas.

Can. 8. decernit eſſe ſacris ordinibus inhabilem, & irregularem, cujus uxor fuerit adulterata. Citatur in decreto *c. ſi cujus uxorem. diſt*. 34.

Canon 9. irregularem dicit reſpectu ſacerdotii: & canon 10. reſpectu quoque diaconatus, eum qui fuerit aliquando fornicatus, ut ſi poſt tale delictum contingat ordinari, ſit ſuspenſus ab illius, quem cœpit ordinis

exercitio. Hic non eſt in uſu: Unde colligito quantam illis temporibus ſanctitatem, vitæque anteactæ innocentiam requirebat Eccleſia ad ordinum ſuſceptionem, ſacrumque miniſterium. Similiter Nicænus canon 2. viam illi ad ſacros ordines præcludit, qui vel ſemel peccatum animale commiſerit: quod idem ſtatuitur Eliberini Concilii can. 30.

Can. 12. Illum à ſacerdotio excludit qui ægrotans fuerit illuminatus, ideſt Baptizatus, eò quòd per acediam, & animæ ſuæ neglectum ad id tempus Baptiſmum diſtulerit. Eos qui lecto per ægritudinem decumbentes lavacrum regenerationis accepere ſanctus Cyprianus per ludibrium clinicos vocat; qui ſani, peripateticos, epiſt. 76. ad Magnum. Neque verò hanc primam irregularitatem Synodus Neocæſaræenſis induxit: longè enim anteà Cornelius, qui Romæ ſedebat an. 255. in ſua ad Fabium Antiochenum epiſtola, quam refert Euſebius lib. 6. hiſt. Eccl. cap. 35. disertè aſſerit Novatianum non debuiſſe ordinari Presbyterum, quia non licet in lecto baptizatos (ſicut Novatiano contigerat) aſſumere in Clerum.

Canon 15. ita decernit: *Diaconi ſeptem eſſe debent ex canone, etiamſi magna ſit Civitas: ejus autem fidem facit liber actorum*. Habetur in decreto *c. diaconi ſeptem. diſt.* 93. Idque adeò religioſè ſervabatur, ut neque Romæ numerus hic excederetur. Cornelius enim Papa Cleri Romæ conſiſtentis numerum ita recenſet, Epiſcopum unum, Presbyteros quadraginta ſex, Diaconos ſeptem, Subdiaconos ſeptem, Acolythos quadraginta duos, Exorciſtas, & Lectores cum Oſtiariis quinquaginta duos. Hæc refert ex Cornelii epiſtola ad Fabium Antiochiæ Epiſcopum Euſebius.

CON-

CONC. ARELATENSE I.

Aliaque habita tempore Conſtantini Imperatoris in cauſa Donatiſtarum.

ORigo hæc fuit in Africa pertinaciſſimi Donatiſtarum ſchiſmatis, qualem deſcribunt optatus Milevitanus, & Auguſtinus. Lucilla mulier Hiſpana præpotens, & ambitioſa Carthagine verſabatur. Hæc à Cæciliano Carthaginis Eccleſiæ Diacono reprehenſa, quòd oſſa cujuſdam, quem Eccleſia non retulerat in Sanctorum album, deferret, & ante ſacram communionem exoſcularetur. Illa correctionis impatiens ulciſcendi de Cæciliano captabat occaſionem: contigit ut Menſurius Carthaginis Epiſcopus à tyranno Maxentio Romam evocatus, ſenioribus quibuſdam Eccleſiæ vaſa ſacra diſceſſurus commendaverit. Intereà peregrè moritur Menſurius, atque in hujus ſedem promovetur Cæcilianus, qui ex officio vaſa Eccleſiæ repetit. At eorum depoſitarii, qui ſacrilego auſu illa ſibi retinebant, ejus protinùs communionem averſantur, cauſantes eum non eſſe Epiſcopum, quippe qui ordinatus à Felice Aptungitano fuiſſet, quem illi criminabantur fuiſſe ſub Diocletiani perſecutione ſacrorum librorum traditorem. His ſe Lucilla ultrò adiunxit, & quidquid opibus, & autoritate valebat magno ſtudio contulit ad ſchiſmatis novi fulcimentum, & propagationem. Præcipuus ſchiſmatis autor fuit Donatus cui cognomen à caſis nigris. Hic ſceleris ſui conſcium Majorinum ordinavit Carthaginis Epiſcopum. Cui ſubinde mortuo ſuffectus eſt Donatus alter.

Donatiſtæ Conſtantinum primo Imperii poſt ſublatum Maxentium anno interpellant adverſùs Cæcilianum,

num, Imperator cauſam remiſit primum quidem tribus Epiſcopis Gallicanis, Retitio Herduenſium, Materno Agrippinenſium, & Maino Arelatenſium, deinde Melchiadi Romæ Epiſcopo, qui ad iſtius cauſæ judicium Romæ Concilium indixit anno 313. cujus ſententia Cæcilianus dictus eſt legitimus Epiſcopus, & adverſariis mandatum, ut ſe illi ſubjicerent: At iſti majore inſolentia per Africam tumultuantur: dumque Ælianus Africæ Proconſul eos in officio continere ſtudet, illi ab hoc ad Conſtantinum provocant, ſuamque cauſam accuratiùs examinari poſtulant quam feciſſet Concilium Romanum, quod ſibi ſuſpectum querebantur.

Conſtantius nimia ductus erga procaciſſimos, & ſceleratos facilitate, futurumque ſperans, ut ſic ad quietem demum ſe componerent, procurat novam, & confluentium Epiſcoporum numero ampliorem Synodum Arelatis congregari, ubi cauſa denuò exactiſſimè diſcuſſa iterum condemnantur Donatiſtæ anno 314. Iſti verò intolerabili pervicaciâ rurſus ad Conſtantinum provocant, qui eorum deputatos primùm Romam, deinde Mediolanum accivit: ubi cauſa denuò dijudicata novæ condemnationis judicio ſuccubuerunt. Cæterum nec ſic effracta eſt eorum contumacia: ſed uſque ad Arcadii, & Honorii tempora omni præcipiti furore tumultuati, graſſatique ſunt. Atque vix tandem magni illius Auguſtini Epiſcopi laboribus aſſiduis, & diſputationibus invictis, præcipuè verò Marcellini Tribuni potentia, & ſeveris coercitionibus quem ad compeſcendam Donatiſtarum veſaniam Honorius Auguſtus cum ampliſſima poteſtate, & copiis militaribus delegaverat, ipſiuſque Honorii pænalibus Edictis domita eſt impiorum protervia.

Quæ in Donatiſtarum cauſa mandante Conſtantino Auguſto, & approbante Papa Sylveſtro Arelatæ Synodus convenit multis nominibus celebritatem habet: quippe

quippe in qua Conſtantinus per ſe interfuit, & innumeri propemodum Epiſcopi ex univerſa Gallia, ex Hiſpania, ex Britanniæ, & Hiberniæ Inſulis, ex Italia, Sicilia, & Africa eò confluxerunt. Interfuere quoque Summi Pontificis Legati Claudianus, & Avitus Preſbyteri, Eugenius, & Quiriacus Diaconi anno Chriſti 314. Voluſiano, & Aniano Conſulibus. Aſſerit Ado Vienenſis in Chronico ſexcentos ad hanc Synodum Patres conveniſſe. Ejuſdem meminit Auguſtinus lib. 1. contra epiſt. Parmeniani cap. 6. complectitur verò canones 23.

Canone 1. decernitur Paſchæ Domini feſtum eodem die per univerſum orbem celebrandum eſſe: & juris atque officii Romani Epiſcopi eſſe, ut juxta receptam conſuetudinem litteras ea de re quotannis ad univerſas dirigat Eccleſias. Quod idem non multò poſt ab œcumenica Nicæna Synodo conſtitutum eſt. Et olim Papa Victor coacto Romæ Concilio per univerſum ſervari orbem præceperat ſub excommunicationis pœna, reclamantibus licèt Aſianis maximè Polycrate Epheſi Epiſcopo, & diſſuadente Irenæo Lugdunenſi, quam hiſtoriam fusè proſequitur Cæſarienſis Euſebius.

Can. 5. communione fidelium excludit Theatricos, & Hiſtriones. Conformatur Eliberino canoni 62. Jus verò civile illos infamia notat, qui artis ludicræ pronunciandive cauſa in ſcenam prodierint. *l. 1. ff. de his qui not. infam.*

Canon 9. uſum abolet libellorum à Martyribus, & Confeſſoribus proficiſcentium, quorum intuitu, & precibus canonicum pœnitentiæ tempus ab Epiſcopis minuebatur, lapſique ante præfinitum tempus reconciliabantur. Ejuſmodi libellorum haberi rationem prorsùs dudùm vetuerat Concilium Eliberinum can. 25. Meminere quoque iſtiuſmodi libellorum nec ſine querela, quòd per illos Eccleſiaſticæ diſciplinæ relaxaretur vigor Tertullianus lib. ad Martyres, & Cy-

pria-

prianus epiſt. 10. 11. 12. 14. 15. Illa pœnitentiæ canonicæ ad Martyrum preces concedi olim ſolita mitigatio præludebat hodiernis indulgentiis, ut ad Cyprianum Scholiaſtes Pamelius adnotat.

Can. 13. Eos qui ſacros libros, aut vaſa ſacra gentilibus tradiderint, aut nomina fidelium eiſdem detulerint amovet à clero. Sic tamen ut ſi quis ignoranter, & bona fide ordinem à quoquam eorum ſuſceperit, ordine utatur, nec ei ſit fraudi talis ordinatio. Cæciliani cauſa canoni huic præbuit occaſionem.

In hujus Synodi Patrum ſubſcriptione attribuuntur Provinciæ Viennenſi, quæ eſt in Gallia, urbes Arelate, Vienna, Vaſio, Arauſio, Carpentoractum. Quæ quidem attributio conformis eſt Provinciarum Gallicanarum diſtributioni, quam tradunt itinerarium Imperatoris Antonini, & liber notitiæ Romanorum. Maſſiliam quoque Vienenſi Provinciæ aſcribit Synodus Taurinenſis in cauſa Prochli Maſſilienſis Epiſcopi. Amianus quoque Marcellinus l. 15. ſic ait, Viennenſis Provincia civitatum exultat decore multarum, quibus potiores ſunt Vienna ipſa, & Arelate, & Valentia, quibus, & Maſſilia jungitur. Quando iſtud agebatur Concilium, Arelatenſem Eccleſiam Marinus moderabatur. Cùm verò Viennenſi Provinciæ finitima eſſet ſecunda Narbonenſis. Mirum eſt nullum iſtius Epiſcopum exprimi: Cùm tamen ex Narbonenſi prima hic ſubſignaverint Epiſcopi Toloſæ, & Biterrarum. Inſignes præ reliquis hic interfuerunt tres illi Gallicani Epiſcopi Rheticus Auguſtodunenſis, Maternus Agrippinenſis, & Marinus Arelatenſis, quos primò ſuo reſcripto Conſtantinus ab Anulino Proconſule Africæ interpellatus, conſtituerat ſolos in iſta cauſa judices: & quos altero deinde reſcripto Romam proficiſci juſſit, ut una cum Melchiade Pontifice Romano, aliiſque quindecim Italiæ Epiſcopis judicium ferrent. Quod, & factum eſt, habito ab iiſdem Concilio in ipſo Palatio

La-

Laterano, ut prodit Optatus Milevitanus lib. 1. contra Parmenianum, & Auguſtinus in breviculo, & alibi.

Nicænæ œcumenicæ primæ Synodi Hiſtoria.

NUnc tempus agendi de primo œcumenico Concilio, cui cauſam dedit hæreſis Ariana. Arius itaque Presbyter Alexandrinus novam in orbem terrarum peſtem invexit, negans Filium Dei Patri eſſe coæqualem, conſubſtantialem, & coæternum; ſed eum aſſerens à Patre de nihilo in tempore creatum. Huic ſe peſti in primis oppoſuit Alexander Epiſcopus Alexandrinus, qui præmonitum Arium, ſed indocilem, & obſtinatum anathemate percutit. Arius ad Euſebium Cæſaræ in Paleſtina Epiſcopum confugit, quem hæreſis ſuæ ſocium, & fautorem nactus eſt cum aliis Epiſcopis, Paulino Tyri, Patrophilo Scytopoleos, Mari Chalcedonis, Theogni Nicææ, alioque Euſebio Nicomediæ, cujus magna erat apud Conſtantinum Auguſtum gratia, & authoritas, omnemque Maletianorum factionem in dogmatis perverſi contagionem attraxit. Serpente latius malo, Arianiſque inſolentius in dies tumultuantibus, Alexander encyclicas per univerſam Eccleſiam litteras conſcripſit præcipuè verò Sylveſtrum Romæ Epiſcopum tantæ perniciei ingraveſcentis admonuit. Sylveſter Oſium ſapientiſſimum, & religioſiſſimum virum Cordubæ Epiſcopum delegavit ad Conſtantinum, & ad Alexandrinum Epiſcopum, & quocumque opus eſſe videretur ad extinguendum hoc incendium.

Oſius ad Conſtantinum acceſſit, à quo & litteras accepit ad Alexandrum, & Arium tum increpatorias, tum ad pacem hortatorias, quarum exemplar Euſebius Cæſarienſis refert in vita Conſtantini. Hiſce litteris cauſam, & originem turbarum Imperator in Alexandrum rejicit, ut principem jam intelligas ab

Epi-

Epiſcopo Nicomedienſi deluſum, & præterea quæſtionem iſtam circa Dei Filium levem eſſe, nec ad fidem Catholicam ullo modo pertinere aſſerit: cùm tamen Chriſtianæ fidei ſumma præcipuè in Chriſti divinitate conſiſtat.

A Conſtantino digreſſus Oſius Alexandriam conceſſit, eaque in urbe Concilium indixit, cujus meminit Athanaſius apologia 2. vocatque generale Concilium. Meminit ejus etiam Socrates l. 3. c. 5. ex quorum relatu conſtat diſcuſſam fuiſſe Arii, & Melationorum cauſam: ſimulque damnatum impii Sabellii dogma divinarum perſonarum diſtinctionem inficiantis. Addit Athanaſius in eadem Synodo Colluthum Presbyterum Alexandrinum, eò quod cùm Epiſcopus non eſſet, munus tamen Epiſcopale obire, multoſque ordinare clericos attentaſſet, fuiſſe ab Oſio redactum in ordinem.

Cùm verò Ariani deſpecta Concilii Alexandrini authoritate ſe inſolentiùs efferrent, & perverſum dogma propagarent, viſum eſt controverſiam eſt ecumenica & inſigniori Synodo dirimendam. Hanc itàque Sylveſter Papa conſpirante una Conſtantino Auguſto Nicææ in Bithynia indixit. Imperator egregium religionis ſpecimen edidit miſſis in omnem partem curſoribus, & litteris, quibus Epiſcopos ad Synodum invitavit: eorum pro Dei cultu, fidei integritate, Eccleſiæ pace, & dignitate, quàmmaximè potuit zelum, ac ſtudium ſuccendit: vecturas itinerum, omneſque victus impenſas tàm ipſis, quàm eos comitantibus clericis, & familiaribus largè providit. Nicæam itaque convenerunt ex diverſis orbis terrarum plagis trecenti decem & octo Epiſcopi, an. Chr. trecenteſimo vigeſimo quinto.

Concilio præſederunt Romanæ ſedis legati Oſius Cordubæ Epiſcopus, Victor, & Vincentius Presbyteri Romani, qui ante Patriarchas ipſos conſederunt, primique ſubſcripſerunt. Interfuerunt Alexander Alexan-

ndriæ, Euſtachius Antiochiæ, Macarius Jeroſolymorum Patriarchæ, aliique Præſules, quorum eximia ſanitas Eccleſiæ faſtis conſignatur, & colitur Nicolaus Myræ in Lycia Epiſcopus, Paphnutius Thebarum Ægypti, Potamon Heraclææ Ægypti, Spiridion Tremituntis Cypri (his duobus Potamoni, & Spiridioni olim propter fidei confeſſionem in perſecutione Maximini alter oculus fuerat effuſus,) Paulus etiam Neocæſaræ Euphrateſiæ, qui ſub Licinio in cauſa fidei fuerat candentibus laminis excruciatus, Jacobus Niſibis in Meſopotamia, qui mortuos (ut refert Theodoritus) in vitam revocavit, Alexander Conſtantinopolis cujus poſtea precibus Arius fęda, & inopina morte conſumptus eſt, Aroſtanes quoque in Armenia ſuperiori Epiſcopus. Denique Magnus Athanaſius tunc Eccleſiæ Alexandrinæ diaconus, quem ſibi comitem Alexander Patriarcha delegerat, cujuſque inſignis eruditio, & animi vigor in Sacro Concilio mirificè effulſit contra Arianos diſputantis. Unde illorum in ſe odia infenſiſſima concitavit.

Verumtamen quod ſcriptum eſt in libro Job hic pariter contingit: *cum veniſſent filij Dei, ut aſſiſterent coram Domino, adfuit inter eos etiam Satan.* Interfuere namque cum illis Ariani Epiſcopi uterque Euſebius Cæſarienſis, & Nicomedienſis. Paulinus Tyri, Theognis Nicææ, Menophantes Epheſi. Patrophylus Scytopolis, aliique Præſules Arii aſſeclæ. Hi primum calumnioſis accuſationibus, & famoſis libellis orthodoxos Antiſtites inſectati ſunt apud Imperatorem, qui tamen porrectos ſibi libellos legere noluit, ſed concremavit, palam profeſſus Epiſcopos à Deo ſolo judicandos: ſe verò ipſorum judicio in iis, quæ ad ſalutem animæ pertinent, ſubeſſe. Occultanda eſſe præterea ſacerdotum delicta, ne inde aliqui anſam arriperent ſcandali, aut contemptus Sacri Miniſterii, ut ſcribunt Rufinus l. 1. cap. 2. Sozomenus l. 1. cap. 16. Theodoritus lib. 1.

cap.

cap. 11. Gregorius Papa l. 4. epiſt. 75. ad Mauricium.
Statutum in primis eſt pro incuſſo fundamento à patribus Nicæni nihil contra fidem ab antiquo traditam, & hactenus in Eccleſiam receptam innovandum eſſe, ut eo loco teſtatur Sozomenus. Lecta ſunt deinde Arii ſcripta, necnon Euſebii Nicomedienſis damnabilis epiſtola: dogmata Arii nefaria cum execratione rejecta ſunt: tandemque conclamatum eſt Filium eſſe Patri coeſſentialem, & coæternum, neque ex nihilo creatum, ſed ex Patris ſubſtantia genitum, ideoque ſuo ſymbolo Synodus profeſſa eſt eum eſſe genitum non factum ὁμοούσιον conſubſtantialem Patri, Deum verum de Deo vero.

Conſtantinus dum in Concilio diſputabatur, attente auſcultabat, rumores ſubnaſcentes ſopiebat, ſuum modeſtè ſenſum inſinuabat, ſingulos ſuaviter alloquebatur, ut refert Euſebius l. 3. vitæ Conſtantini c. 13. deniq. formulæ fidei ſubſcripſerunt tùm Catholici, tùm etiam Ariani, ut Principi complacerent, ſuoſque retinerent Epiſcopatus. Euſebius tamen Nicomediæ & Theognis quem alii Theognum dicunt Nicææ plus aliis repugnarunt. Itaque ſuis per Concilii ſententiam dejecti ſunt ſedibus, in quibus conſtituti ſunt Nicomediæ quidem Amphion, & Nicææ Chreſtus. Attamen Euſebius, & Theognis, ut ſedes priſtinas recuperarent, Concilio ad extremum ſubſcripſerunt, & pro illis intercedente Conſtantino in priſtinum gradum à Concilio reſtituti ſunt, ut commemorat Socrates l. 1. cap. 5. & 10. Ambo tamen Nicænam fidem omni poſtmodum ſtudio impugnarunt, ejuſque aſſertores & occultis dolis & apertis viribus inſectati ſunt. Ipſe Arius à fidelium ſocietate divulſus eſt Synodali decreto, & à Conſtantino in exilium pulſus, ſed ab eodem ob ſimulatam reſipiſcentiam deinde revocatus poſtliminio, hac tamen lege, ne Alexandriam ingredi auderet: horum fidem facit Hieronymus dial. adver. Luciferianos.

Da

De ordine, & conſeſſu Patrum tùm in Nicæna Synodo, tùm in aliis inſequentibus œcumenicis.

PErtinet hæc notitia ad alia quoque Concilia præſertim generalia. In primis ſciendum, delegatos ab Epiſcopis abſentibus eodem ſediſſe ordine, quo ipſi delegantes Epiſcopi conſediſſent. Idcircò in multorum veterum Conciliorum actis permulti Presbyteri, & Diaconi ſubſcribunt ſupra complures Epiſcopos.

Ex iiſdem pariter actis conſtat Legatos Apoſtolicæ Sedis utpotè vicem gerentes Summi Pontificis, ſediſſe, & ſubſcripſiſſe ſupra quoſcumque Patriarchas, fuiſſeq; Conciliorum præſides. Inductione id patet. In prima Nicæna Synodo Legati præfuerunt Sylveſtri Papæ Oſius Epiſcopus, Vitus, & Vincentius Presbyteri: hós ſequebantur Alexander Alexandriæ, Euſtachius Antiochiæ, & Macarius Jeroſolimorum Patriarchæ.

Paucis a Nicæna annis præſederunt Synodo Sardicenſi nomine Sylveſtri Oſius Epiſcopus, Vincentius Capuenus, Calepodius Neapolitanus, deinde ſequitur Athanaſius Alexandriæ.

In Concilio Conſtantinopolitano primo nulli interuerunt Apoſtolici Legati, quia tunc temporis Damaſus Papa aliud Romæ Concilium Epiſcoporum Occidentis in eadem cauſa celebrabat. Orientales autem, quibus præerat Nectarius Conſtantinopolis Epiſcopus fuiſſe animis cum Damaſo conjunctos, docent mutuæ litteræ Damaſi ad Concilium Conſtantinopolis, & Concilii ad Damaſum apud Theodoritum, *lib.* 5. *cap.* 9. & 10.

In Epheſino præfuit Cyrillus Alexandriæ Patriarcha ut legatus Cœleſtini Papæ quem tamen Cyrillum, nomine proprio præeſſe Aſiani Antiſtites non ſuſtinuiſſent extra propriæ Patriarchiæ fines in aliena Diœceſi quam ſibi Conſtantinopolis Epiſcopus vindicabat, ut ſecundus à Romano Epiſcopo Patriarcha.

In hujus ergo Synodi actis paſſim legitur Cyrillo Alexandriæ præſidente, & locum tenente ſanctiſſimi, & religioſiſſimi Archiepiſcopi Romanæ Eccleſiæ Cœleſtini. Mox ſubſignant Iuvenalis Ieroſolymæ Epiſcopus, Mennon Epheſi, Flavianus Vicarius, & locumtenens Rufi Epiſcopi Theſſalonices, Theodatus Ancyræ in Galatia, Firminus Cæſarææ in Cappadocia prima Epiſcopus.

In Chalcedonenſi Act. 1. Paſcaſinus, & Lucentius Epiſcopi, & Bonifacius Presbyter, Legati Sanctiſſimi, Deoque amantiſſimi Archiepiſcopi Veteris Romę Leonis: tùm Anatolius Sanctiſſimus Archiepiſcopus novæ Romæ Conſtantinopolis, Dioſcorus Archiepiſcopus Alexandriæ, maximus Antiochiæ, Iuvenalis Ieroſolymæ, Quintilius Heraclææ Macedoniæ locumtenens Anaſtaſii Epiſcopi Theſſalonices, Thalaſſius Cæſarææ Cappadociæ, Stephanus Epheſi, Lucianus Byſe locumtenens Cyriaci Epiſcopi, Heraclæ Thraciæ, Euſebius Ancyræ Galatiæ Epiſcopus. Hæc ita ſingillatim recenſeo, ut dignoſcantur præcipuæ Orientis Metropoles.

In 5. Synodo quæ eſt ſecunda Conſtantinopolitana præfuit Eutychius Patriarcha Conſtantinopolis nouæ Romæ, approbante Vigilio Papa, ad quem ſic ſcribit Eutychius: Potuimus præſidente veſtra beatitudine de tribus Capitulis quæri & conferri: quam epiſtolam continent iſtius Synodi acta. Et Zonaras in Iuſtiniano ſcribit ejus principem fuiſſe Vigilium Romæ veteris Epiſcopum. Qui etiam, ut Photius ſcribit *lib. de Synodis ſeptem*, iſtius acta Concilii confirmavit. In ejus actis, & ſubſcriptionibus hæc notatur Epiſcoporum ſeries: conſidentibus in Secretario Venerabilibus Eutychio ſanctiſſimo Patriarcha Regiæ Conſtantinopolis novæ Romæ, Apollinario Sanctiſſimo Archiepiſcopo Alexandriæ, Domno Sanctiſſimo Patriarcha Theopoleos, id eſt Antiochiæ, Stephano Epiſcopo Raphiæ, & Georgio Epiſcopo Tiberiadis, & Damiano

no Epiſcopo Solytanæ vicem agentibus Euſtochii ſanctiſſimi Epiſcopi Ieroſolymitani, Benigno Epiſcopo, Heracleæ Thraciæ, vices agente Eliæ Theſſalonicenſis Epiſcopo, Theodoro Epiſcopo Cæſaræ primæ Cappadociæ, Andrea Epiſcopo Epheſi, &c.

In ſexta Synodo Conſtantinopolitana tertia Act. 1. ſub Conſtantino Auguſto (huic erat cognomen Pogonato) in Secretario ſacri Palatii, quod cognominatur Trullus, conveniente ſancta, & univerſali Synodo, id eſt Theodoro, & Georgio venerabilibus Presbyteris, & Joanne venerabili Diacono vicem agentibus ſanctiſſimi, & beatiſſimi Archiepiſcopi Romæ veteris Agathonis, & Joanne ſanctiſſimo Archiepiſcopo magnæ Conſtantinopolis novæ Romæ, & Petro Presbytero, & Monacho locum ſervante Sedis Alexandriæ (Græcè, τοποτηρήτου Ἀλεξανδρείας) & Macario Archiepiſcopo Theopolis, & Georgio Presbytero, & Monacho, & Apocriſario Theodori venerabilis Vicarii τοποτηρήτου Sedis Jeroſolymorum, & Theodoro Epiſcopo *Epheſi*.

In ſeptimà Synodo, quæ eſt Nicæna ſecunda, Act. 1. præſidentibus Petro Archipresbytero Romanæ Eccleſiæ Sanctorum Petri, & Pauli, & altero Petro Preſbytero Monaco, & Abbate ſancti Sabæ Romæ. Vicariis ſanctiſſimi Archiepiſcopi veteris Romæ Adriani. Sequitur Taraſius Archiepiſcopus Conſtantinopolis novæ Romæ, Joannes, & Thomas Presbyteri Monachi, & Vicarii Sedium Orientis Patriarchalium Alexandriæ, Theopolis, & Jeroſolymorum, Agapius Cæſaræ Cappadociæ Epiſcopus, Joannes Epheſi Epiſcopus.

Octava Synodus, quæ eſt quarta Conſtantinopolitana, præmittit Act. 1. Donatum, & Stephanum Epiſcopos, & Macarinum Diaconum Legatos Adriani Papæ ſecundi: ſubditque Ignatium Archiepiſcopum Conſtantinopolis novæ Romæ. Deinde Vicarios τοποτηρητὰς ſedium Patriarchalium Orientis.

Obiter in his inſcriptionibus, & ſubſcriptionibus obva nomen Archiepiſcopi pluribus ſæculis non fuiſſe attributum, ut tunc Epiſcopis Metropolium, ſed iis dumtaxat, quibus ſubjecti erant Metropolitani ipſi, ſcilicet Patriarchis, & Primatibus. Decreſcente demum & religione, & potentia Græcorum, ſimúlque eorumdem creſcente ſuperbia cœptum eſt novum in Oriente genus Archiepiſcoporum nomine tenus, qui tametſi nullis præeſſent Epiſcopis, ex reſcripto Imperatoris hoc inane nomen adipiſcebantur, médiique erant inter Metropolitas, & cæteros inferiores Epiſcopos. Hinc effectum eſt, ut in Leonis Imperatoris διατυπώσει ſubjectæ Conſtantinopolitano Patriarchæ recenſeantur Metropoles una, & octoginta. Deinde Archiepiſcopatus prædicti generis novem & triginta: Et legatur aliquoties apud Neotericos Græcos. Ex Archiepiſcopatu civitas Metropolis facta eſt.

Euſebius Cæſarienſis, qui in Concilio Nicæno ſedit *l. 3. vitę Conſtantini*, eum qui primus ſedebat à dextro latere conſeſſus orationem habuiſſe refert gratiarum actionis, & laudum Conſtantini. Theodoritus autem *l. 1. hiſt. Eccl. c. 7.* ſcribit eum, qui orationem pronunciavit gratiarum actionis fuiſſe Euſtachium Epiſcopum Antiochenum. Attamen cùm hic eſſet ordine, & dignitate inferior Alexandrino, ex ea ſeſſione primæ Sedis à dextero latere infert Cardinalis Bellarminus *de Conciliis, & Eccleſia l. 1. c. 19.* fuiſſe in Concilio Nicæno tres Sedium ordines ſive exhedras: Primum in capite Aulæ, ibique ſediſſe Conſtantinum medium inter Oſium, & Alexandrum Alexandriæ Epiſcopum. Secundamque exhedram fuiſſe à dextra parte, ubi primus ſedit Euſtachius. In tertia denique ad ſiniſtram tenuiſſe primum locum Macarium Jeroſolymorum Epiſcopum.

Certè Oſium, Virum, & Vicentium præſediſſe perſpicuum eſt, tum ex Athanaſio teſte oculato *epiſt. ad Solitar.* ubi refert Oſium fuiſſe Synodi principem, & Ni-

Nicænæ fidei ſimbolum compoſuiſſe, tùm ex ipſius Synodi ſubſcriptionibus: tùm ex Photio *lib. de Septem Synodis*: tùm ex Gelaſio Cyziceno, qui hujus Concilii acta edidit juxta vetus Dalmatii Epiſcopi Cyzici exemplar: cujus etiam meminit in ſua bibliotheca Photius. Scribit ergo Gelaſius l. 2. c. 5. Oſium Legatum Synodo præſediſſe nomine Sylveſtri Papæ, adducitque teſtimonium Euſebii *l. 3. vitę Conſt. c. 7.* cujus verba diſerta atque ut ipſe loquitur κατὰ λέξιν profert: quamquam in exemplaribus Euſebii hodiernis aliter legitur. Verùm longè major habenda fides exemplaribus, quæ ante annos mille ducentos extabant temporibus Dalmatii, Gelaſiique veterum Græciæ Epiſcoporum, quàm iis, quæ nunc temporis circumferuntur à Gręcis Schiſmaticis accepta, à quibus etiam conjicere pronum eſt fuiſſe in iis, quę ad Romanæ Sedis dignitatem pertinent, depravata. Et verò ipſe Oſius, præſentibus Patriarchis in aliena regione, eaque Orientali, & longiſſimè ab Hiſpanicis oris diſſita pręſidere nullatenùs valuiſſet, niſi titulo cohoneſtatus Apoſtolici Legati.

Cardinalis Baronius paulò aliter Nicęnorum Patrum conſeſſum diſponit, cujus potior mihi hac parte videtur ſententia, utpotè conformior poſterorum Conciliorum ordini, ac uſui. Cenſet verò Conſtantinum in capite aulæ ſediſſe humili, ac demiſſo ſedili aureo, ut in ejus vita ſcribit Euſebius l. 3. c. 10. addens non ante ſediſſe quàm rogatum à patribus, nec fuiſſe ſolito ſatellitio ſtipatum, ſed primariis aulæ proceribus. Baronius atque duos tantùm fuiſſe conſeſſus patrum autumat: dextrorſum unum, ſiniſtrorſum alterum, atque in iſto Legatos Romani Papæ primos conſediſſe, ſub his verò aſſediſſe Alexandrinum Epiſcopum. In dextero item conſeſſu primum locum tenuiſſe Euſtachium Antiochenum, & ſub eo Macarium Jeroſolymitanum, alioſque deinceps, hinc deinde Epiſcopos. Id etiam confirmant ſequentium Synodorum acta, quas

Non eſt dubium, ſe ad Nicænę exemplum conformaſſe. Enim verò refertur in Chalcedonenſi act. 1. Senatum in medio ante cancellos ſacri Presbiterii conceſſiſſe, à ſiniſtris verò Legatos ſanctiſſimi veteris Romæ Archiepiſcopi Leonis: poſt hos deinde Anatolium Conſtantinopolis novę Romæ Archiepiſcopum, & Maximum Antiochię. A dextero autem latere Dioſcorum Alexandriæ, & Juvenalem Jeroſolymorum Epiſcopum. Itaque prima dexterę exhedræ Sedes reſervabatur ſecundo Patriarchæ, qualis erat in Nicæna Synodo Antiochenus, in Chalcedonenſi Alexandrinus: quia jam tum Conſtantinopolis Epiſcopus ſibi primę Sedis poſt Romanum Epiſcopatum vindicaret honorem.

Ad hæc in ſexta Synodo *Act.* 1. refertur ſediſſe ſeorſim Conſtantinum Auguſtum cum Patritiis, & Conſulibus: à læva autem parte Legatos Apoſtolicæ Sedis: deinde Vicarium, ac Apocriſarium Epiſcopi Jeroſolymorum, alioſq. deinceps Præſules. A dextera verò parte Epiſcopum Conſtantinopolis, deinde Theopolis, tertioque loco Vicarium Epiſcopi Alexandriæ, cur autem Epiſcopus Jeroſolymitanus inferior Alexandrino, & Antiocheno immediatè tamen Legatis Apoſtolicis aſſederit, ideò factum, quia cùm multi eſſent Apoſtolici Legati, quos non erat æquum diſiungi ab invicem, Jeroſolymitanus ex conſequenti multos ante ſe habebat Seſſores: Antiochenus ex alia parte unicum ſupra ſe patiebatur Seſſorem Conſtantinopolitanum. Ideòque Antiochenus Epiſcopus honoratiorem præ Jeroſolymitano locum occupare reputabatur in hac Synodo. Probat rationibus ſolidis Baronius *ad ann.* 325. *n.* 52. *& ad ann.* 213. *n.* 6. in ſacris, & Eccleſiaſticis rebus præcelluiſſe olim ſiniſtram prę dextera parte tùm in Oriente, tùm in Occidente. Quę res ſi comperta fuiſſet Damiano Cardinali, dum in tractatu de picturis Apoſtolorum Petri, & Pauli diſceptaret quorsùm depingi ſoleret Petrus ad ſiniſtram, & Paulus ad dexteram, non

ſe-

ſe fatigaſſet in conquirendis Pauli ſupra Petrum prærogativis.

Vicariorum Romani Pontificis differentiæ.

VIcariorum Romani Epiſcopi multiplex diſcrimen fuit. Quidam enim dicebantur Legati à Latere, alii Cognitores, ſeù commiſſarii, alii in diœceſibus, aut Parochiis, Vicarii. Quoſdam enim delegabat Romanus Pontifex ad Synodos, tum generales, tum particulares, ut illis ſuo nomine præeſſent. Hos vocat Leo Papa *epiſt.* 14. *ad Fauſtum*, Legatos à Latere. Cùm enim (ait) propter cauſ.. .n fidei quam Eutyches perturbare tentavit, de latere meo mitterem, qui defenſioni veritatis aſſiſterent.

Alii Papæ Legati dicebantur ἐπιγνώμονας (ſic enim vocat Concilium Sardicenſe *can.* 3. & 5. id eſt, Cognitores; erantque Commiſſarii à Papa ad Diœceſes, Provincias, aut Parochias delegati, ut cauſas controverſas inquirerent, aut judicarent, aut reviſerent, maximè in judiciis appellationum ad ſupremam Sedem.

Tertii Pontificum Legati dicebantur Apocriſarii, ſeù reſponſales quorum hodie locum, & munus implent Nuncii Apoſt. Mittebantur quippe ad Imperatores, ut res Eccleſiæ procurarent, juraque Rom. Eccleſiæ tuerentur. Frequens horum mentio eſt *in epiſt. Gregorii Papæ*. Quin & alii Epiſcopi ſuos quum opus erat, mittebant Apocriſarios; nam Anatolius, quem Dioſcorus Alexandrinus Epiſc. promovit ad Conſtantinopolitanam Sedem, fuerat anteà ipſius Dioſcori in urbe Regia Apocriſarius. Et Georgius Presbyter ſubſcriptus legitur in ſexta Synodo cum titulo Apocriſarii Sedis Jeroſolymorum. Nec ſolùm ad Principem, ſed ad diverſos etiam Epiſcopatus mitti ſolebant Apocriſarii, præſertim ad Patriarchas, Ad Exarchas, & ad Metropolitas, ut fidem facit Juſtinianus *novella* 6. *c.* 6. *circa fin.*

& cap. 3. *& novella* 123. *c.* 15. ubi decernit, non poſſe Apocriſarios validam inire conventionem ultra Epiſcopi, vel Eccleſiæ delegantis mandatum. Scribit S. Gregorius Papa *l.* 14. *Moralium c.* 29. ſe Apocriſarij munere jubente Pelagio prædeceſſore functum olim Conſtantinopoli apud Tiberium Imperatorem.

Quartum Vicariorum Romani Pontificis genus conſtituebant Primates, quibus tamquam Vicariis ſupremæ Sedis, conferebatur poteſtas, & juriſdictio ſupra plures Metropolitas, hiſque ſubjectos Epiſcopos. Ita Leo Papa *epiſt.* 84. Anaſtaſium Theſſalonices Epiſcopum Vicarium ſuum creat per univerſas Aſiæ Provincias: addens Anaſtaſii prędeceſſores fuiſſe ſimiliter prædeceſſorum Romanorum Epiſcoporum Vicarios. Huc referunt nonnulli cauſam canonis 20. Concilii Sardicenſis prohibentis extraneis Clericis diutinam Theſſalonicæ moram, & rationem addunt, quia propter Primatis Theſſalonices reſidentiam, eò confluere ſolebant complures ex univerſa Aſia Clerici, qui ſæpè numero, vel ſupervacanea negotiorum apud auditorium Primatis geſtione, vel capti civitatis ipſius ſplendore, diutius à propriis Eccleſiis aberant. In veteribus Conciliis antequàm Juſtiniano intercedente Vigilius Papa Vicarium ex Theſſalonica tranſtuliſſet in Acridum, quæ Juſtiniano Patria fuit, quamque ideò primam Juſtinianam vocari edixit, ſubſcribit Theſſalonices Epiſcopus inter Primos à Patriarchis, ut ſuperiori capite commonſtravimus. Videnda circa rem iſtam Juſtiniani novella 131. c. 3. Cœleſtinus etiam Pontifex in cauſa Neſtorianæ hæreſis, Cyrillum Alexandrię Epiſcopum vicarium ſuum creat, ut Conſtantinopolis Eccleſiam regat, quam Neſtorius devaſtabat. Superſunt ea de re litteræ Cęleſtini ad Cyrillum, & Cyrilli ad Clerum, & plebem Conſtantinopolis *tom.* 4. *operum Cyrilli*, deinde Hormiſda *epiſt. ad Saluſtium*. Hiſpalis Epiſcopum conſtituit ipſum Apoſtolicum per omnem Bęticam, &

Lu-

Luſitaniam Vicarium. Idemque Remigio Rhemenſi Epiſcopo eamdem confert poteſtatem per univerſum Ludovici Regnum, ſic enim vocat Clodovæum Francorum Regem. Litteras ſileo Pontificum Zoſimi, Symmachi, Vigilii, Gregorii Magni, quibus promovent Arelatenſes Epiſcopos ad Vicariam Apoſtolicam ſupra pleraſque Galliæ Provincias. Omitto complures alias primatias, quas diverſis temporibus Romani Pontifices, tùm in Gallia, tùm in Hiſpania, tùm in Germania, tùm in Anglia conſtituerunt.

De loco Synodi Nicænę, nonnullarumque aliarum inſequentium.

VEterum Orientis Conciliorum quædam convenerunt in ædibus Imperialibus: atque in primis iſtud Nicænum in aula Palatii Conſtantini, ut fidem facit Euſebius *l. 3. vitę Conſtantini, c. 12.* ſexta pariter Synodus ſub Conſtantini Pogonati Imperio in ea Regiæ parte, quæ Trullus dicebatur. Quo eodem loco habita fuit Synodus Quiniſexta ſub Juſtiniano II.

Cœteræ per Orientem œcumenicæ Synodi intra ſacras Baſilicas celebratæ ſunt, Conſtantinopolitana quidem, quæ eſt inter œcumenicas ſecunda; convenit intra Oratorium Sanctorum Pantaleonis, & Marini Martyrum, qui ſacer locus ex tunc ὁμόνοια, id eſt concordia nominatus eſt, propterea quod centum, & quinquaginta Epiſcopi in eamdem fidei ſententiam convenere adversùs Macedonii dogma, ut ſcribit in ſuo de ſacris Imaginibus Tractatu Joannes Damaſcenus, Epheſina quidem intra Beatæ Mariæ templum, Chalcedonenſis intra Virginis, & Martyris Euphemiæ Eccleſiam in ipſo Sanctuario. Nicæna altera in templo ante ambonem. Octava Synodus in æde Sophiæ in ipſo Cathecumenorum loco, ut earum acta teſtantur. Quæ duę poſtremæ pariter afferunt ſacros Euangeliorum codices

ces fuiſſe in medio Patrum conſeſſu repoſitos. In octava Synodo additæ ſunt vivificæ crucis reliquiæ, προτεθέντων τῶν τιμίων ξύλων καὶ τῶν ἁγίων Εὐαγγελίων, propoſitis venerabilibus lignis, & ſanctis Euangeliis.

Ad Nicænos Canones primum, & ſecundum.

PRimus Canon de Eunuchis, & Spadonibus decernit arceri à Clero, qui ſponte, & citra neceſſitatem ſe mutilaverint. Cui irregularitati locum in iis eſſe negat, qui à Medicis etiam ſponte ex morbi cauſa, vel ab aliis per vim, & injuriam exciſi fuerunt. Refertur in decreto *c. ſi quis à medicis diſt.* 55. Iſti canoni dediſſe videtur occaſionem Leontius Presbyter, qui ut ſcribunt Athanaſius *apol. de fuga ſua in fine*, Socrates *l.* 2. *cap.* 21. *Theodoritus lib.* 2. *cap.* 24. accuſatus inhoneſtæ, aut ſuſpectæ cum muliere converſationis, juſſuſque ab Antiocheno Præſule Euſtachio, ut ab ea conſuetudine deſiſteret: cum obſequi detrectaret, ſibi virilia ad amovendam mali ſuſpicionem reſecavit, perinde ac, ſi liceret homini ſe quomodolibet, nullaque urgente morbi vi mutilare; & quaſi verò amputata illa parte ſimul excideretur quidquid fęda libido poteſt vel cogitatu, vel ſenſu, vel quoquis opere exequi: qua de re fusè diſputat Baſilius *l. de vera, & incorrupta virginitate*. Leontium igitur duplici titulo, & jure, tum illicitæ reſecationis, tùm prohibitæ conſuetudinis depoſuit Euſtachius. At Leontius per novum ſcelus ſe Arianis adiunxit, quorum factione ſub Conſtantio ipſam etiam Sedem Antiochenam invaſit.

Refert quoque Euſebius *l.* 6. *Hiſt. Eccl.* Originem cùm fęminas aliquot Theologicis diſciplinis, & ſacris litteris erudiret, velletque aut malum ipſum, aut mali ſuſpicionem antevertere, adverſus ſeſe adhibitis quibuſdam medicaminibus feciſſe Eunuchum, verba iſta Chriſti aliter quàm par erat, intelligendo; Sunt Eunuchi

chi qui ſe ipſos caſtraverunt propter regnum cœlorum. Quapropter Demetrius Alexandriæ Epiſcopus ſacram ordinationem petenti recuſavit. At Origenes in Palæſtinam commigrans ſacros ordines, ipſumque ſacerdotium ſumpſit ab Epiſcopis Cęſarienſi, & Jeroſolymitano, Unde graves exortę Demetrii cùm ipſis querelæ. Quam pariter refert hiſtoriam Epiphanius *hęreſ.* 58. & Hieronymus *de ſcript. Eccl. in Alexandro*. Itaque genus hoc irregularitatis etiam longè ante Nicænam Synodum ſumpſit exordia : eamque ſtabiliunt Apoſtolorum canones vigeſimus primus, & vigeſimus ſecundus.

Nicęnus canon. 2. prohibet cathecumenos baptizari necdum ſatis iſtitutos, aut probatos, niſi gravis urgeat neceſſitas. Vetat etiam recens baptizatum, ac Neophytum ordinari Epiſcopum, aut Presbyterum : cùm id prohibeat Apoſtolus 1. *Timoth.* 3. ſtatuit inſuper excludendum de Clero eum qui duobus, aut tribus teſtibus convictus ſit reus, ψυχικῶ ἁμαρτήματος, peccati animalis.

Dubitatur, quidnam ſit animale peccatum. Exponit Theodorus Balſamon de quacumq; culpa incompatibili cum divina gratia. Alii delicta intelligunt, quorum expiationi publicam injungebant Eccleſiæ leges pœnitiam : cujuſmodi erant apoſtaſia circa fidem, homicidium, fornicatio: quæ peccata vocari ab antiquis ſolent per antonomaſiam capitalia, & mortalia. Hoc ſenſu Iſidorus ait *lib.* 2. *de divin. offic.* conſuetudinem Eccleſię hanc eſſe, ut ſordidati peccato mortali ad ordines non promoveantur : & ſi quis poſt ordinationem mortalis peccati reus factus ſit non poſſit ſacrum exercere miniſterium, Præterea Concilium Valentinum in Gallia ſub Damaſo Papa cap. 4. prohibet ab Epiſcopatu, Sacerdotio, & Diaconatu eos qui ſe mortali crimine fatentur pollutos. Concilium etiam Agathenſe can. 32. decernit clericum, qui capitale crimen

com-

commiſerit deponi, & in Monaſterium conjici. Concilium ſimiliter Toletanum quartum *cap.* 52. ſancit eos qui publicam agentes pœnitentiam, mortale delictum publicè confeſſi ſunt, non poſſe clericos ordinari. Et utique paſſim ſacri canones, eos qui publica pœnitentia perfuncti ſunt, ordinari vetant, ut infra ſuo loco monſtrabitur.

Secunda iſta ſententia probabilior eſt quàm prima, ſecundum quam vel unicus actus odii, invidię, aut libidinoſæ cogitationis ab ordinibus in æternum excluderet, quin etiam ordinatos redderet ordinum functionibus perpetuò inhabiles: unde uberrima ſcrupulorum, & anxietatum ſeges emergeret, ob ambiguitatem ſive memoriæ, ſive judicii circa ejuſmodi culpas, Innumeris quoque viris aditus ad Eccleſiæ Miniſteria intercluderetur eximiis, & ſanctitate morum, & animi dotibus, vixque unus, aut alter reperiri poſſet ad clerum idoneus.

Tertia denique maximèque omnium probabilis explicatio eſt de completa per actum externum luxuria poſt Baptiſmum ſuſceptum. Eaque conformis eſt canonibus 9. & 10. Concilii Neocæſarienſis, de quibus ſuperiùs actum eſt. Et Eliberino canoni 30. porrò Nicænus iſte canon refertur *diſt.* 48. *c. quoniam*. Sanctus Auguſtinus Epiſcopus fuerat quidem fornicator, & hæreticus Manichæus, ſed ante Baptiſmum, quo purgabantur irregularitates ex delictis, ut tradit undecimus Canon Ancyranæ Synodi.

Ad Nicænum Canonem. Can. 3.

STatuit Canon. 3. clerico nequaquam licere ſubintroductam (græcè *συνείσακτον*) habere mulierem, niſi Matrem, Sororem amitam, vel eas ſolas quæ omnem removent ſuſpicionem. Citatur *c. interdixit per omnia diſt.* 52. nulla uxoris hic mentio, non quia clerico ha-

habere liceret, ſed quia nulla eſſe poterat ex lege Clericalis cœlibatus, ut mox perſpicuè probabitur.

Paphnutii verò inſtantiam iſtiuſmodi à nuptiis continentiæ oppoſitam, cujus meminere Socrates, & Sozomenus, cenſendum eſt vel à Socrate primùm confictam à quo plurima de more ſuo hauſit ſine ullo delectu Sozomenus, vel potius à Græcis poſteriùs inſequutis ſchiſmaticis, & continentiæ clericalis adverſariis illic inſertam, & ſuppoſitam: aut ſaltem ſi quid habet veri, nullam fuiſſe illius habitam à ſacro Concilio rationem. Non enim poſſet eruditus quiſpiam negare, quanta diſtrictione primis quinque ſæculis univerſa ubique terrarum Eccleſia ſacro clero conjugium interdixerit, ut ſubinde conſmonſtrando teſtimoniis, & exemplis quibus reſtragari nemo poſſit. Poſteriores quidem Græci, qui ſe ſchiſmate ab Eccleſia divulſerunt, matrimonii uſum Epiſcopis ſubtrahunt, ac prohibent; ſed inferioribus ſacerdotibus permittunt, ſi jam fuerant tempore ordinationis ſuæ conjugati: nova enim contrahere poſt ordinationem connubia non permittunt, ut ex ſchiſmaticæ Synodi Quiniſextæ canone 12. liquet.

Operæ pretium faciam proferendo Canones, & ſcripta Patrum ex quibus clareſcet priſca circa iſtud veteris Eccleſiæ, tàm Græcæ, quàm Latinæ diſciplina, & ritus. Sciendum in primis continentiæ hujus præceptionem non eſſe abſolutè divini juris. Alioqui namque non licuiſſet Generalibus Conciliis Lugdunenſi, & Florentino diſpenſare cum Sacerdotibus Græcis circa Matrimonii ante ordinationem initi uſum. Neque valuiſſet Ancyrana Synodus can. 10. quem refert Gratianus *can. Diaconi*, *diſt.* 28. Diaconis permittere uxorum conſuetudinem, ſi ante ordinationem proteſtati coram Epiſcopo fuerint, nolle ſe, aut non poſſe continentiæ lege aſtringi. Jure tamen Eccleſiaſtico, atque ab ipſis Apoſtolis tradito

(Apo-

(Apoſtolicarum enim traditionum aliæ divini juris ſunt, aliæ Eccleſiaſtici) illicita eſt Sacerdotum, & Diaconorum cum uxoribus conſuetudo, votumque continendi ſacris ordinibus annexum.

Concilium Eliberinum ſub ipſis gentilium perſecutionibus habitum ſic decernit can. 33. *Placuit in totum prohibere Epiſcopis, Sacerdotibus, Diaconis, & Subdiaconis poſitis in Miniſterio abſtinere ſe à coniugibus, & non generare filios; quod quicumque fecerit honore clericatus exterminetur.*

Concilium Cartaginenſe ſecundum c. 2. *Ita* (inquit) *placuit, & condecet Sacroſanctos Antiſtites, & Dei Sacerdotes, nec non & Levitas, vel qui Sacramentis divinis inſerviant continentes eſſe in omnibus, quò poſſint ſimpliciter quod à Deo poſtulant impetrare: ut quod Apoſtoli docuerunt, & ipſa ſervavit antiquitas* (obſerva teſtimonium de veteri Eccleſiæ uſu, & Apoſtolica traditione) *nos quoque cuſtodiamus. Ab univerſis Epiſcopis dictum eſt. Omnibus placet, ut Epiſcopi, Presbyteri, Diaconi, & qui Sacramenta contrectant, pudicitiæ cuſtodes etiam ſe ab uxoribus contineant.*

Hoc idem renovatur in concilio Carthaginenſi quinto can. 3. Et in Arelatenſi ſecundo can. 2. cujus verba ſunt iſta: *Aſſumi aliquem ad Sacerdotium non poſſe ſub Matrimonii vinculo conſtitutum, niſi fuerit promiſſa converſio.* & can. 3. *Si quis de Clericis à gradu Diaconatus in ſolatio ſuo mulierem præter aviam, & matrem, & neptem, ſororem, filiam, vel* Converſam Secum Uxorem, *habere præſumpſerit, à communione alienus habeatur: par quoque mulierem ſi ſe non ſeparaverit pœna percellat.* Hoc Arelatenſi canone permittitur cohabitatio uxoris, ſed continens, nec maritalis, ut perſpicuè conſtat ex canone præcedenti, & ex voce converſam. Qua eadem ratione intelligendus eſt Canon ille Apoſtolorum ſextus, quo Græci abutuntur, & cujus obtentu veriti non ſunt in Pſeudoſynodo Quiniſexta damnare Romanam Eccleſiam. Vult autem Canon ille ſextus Apoſtolis vulgò aſcriptus, ut Epiſcopi, & Sacerdotes, & Diaconi curam

uxorum habeant, nec eas religionis ſpecie abjiciant, quemadmodum curam etiam gerere tenentur matris, aviæ, & ſororum, ſine ullo cubiliscommercio. Quæ verò ſit canonum Apoſtolis attributorum vis, & authoritas pertractavi jam in appendice ad Concilia circa reprobationem Baptiſmi hæreticorum habita.

Agatenſe Concilium cælibatum clericorum aſtruit *can.* 28. Item Turonenſe ſecundum *can.* 20. ita ſancit: *Si inventus fuerit Presbyter cum ſua Presbytera, aut Diaconus cum ſua Diaconiſſa, aut Subdiaconus cum Subdiaconiſſa* (ſic vocabantur poſt ordinationem quas illi antea duxerant) *annum integrum excommunicatus habeatur: & depoſitus ab omni officio clericali inter Laicos ſe obſervare cognoſcat.*

Hieronymus *lib.* 1. *contra Iovinian.* non modo de Sacerdotum cœlibatu teſtificatur, ſed argumento deducto ex Apoſtolo, qui vult ipſos etiam Laicos ad tempus à conjugio abſtinere ut orationi vacent. 1. *Cor.* 7. cœlibatum clericalem his verbis roborat: *Si Laicus, & quicumque fidelis orare non poteſt, niſi careat officio coniugali: Sacerdoti, cui ſemper pro populo ſacrificia offerenda ſunt, ſemper orandum eſt: ſi ſemper orandum eſt, igitur ſemper matrimonio carendum.* His conformia docet Ambroſius *lib.* 1. *de officiis cap. ult.*

Leo Magnus *epiſt.* 82. *cap.* 3. & 4. ad Anaſtaſium ſic ſcribit: *Omnium Sacerdotum tàm excellens eſt electio ut hæc, quæ in aliis Eccleſiæ membris vacant à culpa, in illis tamen habeantur illicita. Nam cùm extra Clericorum ordinem conſtitutis nuptiarum ſocietati, & liberorum procreationi ſtudere ſit liberum; ad exhibendam tamen perfectæ continentiæ puritatem, nec Subdiaconis quidem connubium carnale conceditur: ut & qui habent, ſint tanquam non habentes, & qui non habent permaneant ſingulares. Quod ſi in hoc ordine, qui quartus eſt, à capite dignum eſt cuſtodiri, quantò magis in primo, vel in ſecundo, tertiove ſervandum eſt? ne aut in Levitico Miniſterio, aut Presbyterali honore, vel Epiſcopali excellentia, quiſ-*

quam

quam idoneus æſtimatur, qui ſe à voluptate uxorea necdum frenaſſe detegitur.

Gregorius item Magnus *lib.* 4. *Dial. c.* 11. de Urſino Sacerdote ſic refert: *Hic ex tempore ordinationis ſuę Presbyteram ſuam ut ſororem diligens, ſed quaſi hoſtem cavens, ad ſe propriùs accedere nunquam ſinebat.* Et ſubinde memorat quòd quum venerabilis hic ſenex quadrageſimo ſuæ ordinationis anno, ultima ægritudine decumbens vix extremos ſpiritus traheret, ejuſque presbytera incerta ſi expiraſſet, aurem naribus ejus admoviſſet ad explorandum; recollectis viribus in has erupit voces: *Diſcede mulier adhuc igniculus vivit, amove paleam.*

Oppoſita Græcorum conſuetudo cœpit quintò ſæculo invaleſcere paulò antè Synodum Quiniſextam. Enim verò Hieronymus diù in Orientis oris verſatus, ita ſcribit adverſùs Vigilantium: *Quid facient Orientis Eccleſiæ, Quid Ægypti, & Sedis Apoſtolicæ; Quę aut Virgines Clericos accipiunt, aut continentes, aut ſi uxores habuerint, mariti eſſe diſiſtunt?* Hanc certè incontinentiæ labem ſpargere nitebatur Vigilantius per Occidentem, ſed parùm ille proceſſit irrumpentibus in Gallias tranſmiſſo Rheno Vandalis, & Alanis quos Stilico, ut filio Eutherio aditum in Imperium per rerum turbationem patefaceret, clàm exciverat.

Sed Latinis omiſſis veteres Græciæ patres audiamus. Aſtipulatur in primis œcumenicum Calcedonenſe Concilium *can.* 14. *Cùm in quibuſdam Provinciis* (ait) *conceſſum ſit Lectoribus, & Cantoribus uxores ducere.* Non igitur aliis conceſſum erat Clericorum ordinibus, ac ne ubiq; quidem lectoribus, ſed in aliquibus dumtaxat Provinciis.

Origenes *homil.* 23. *in Num. Illius inquit ſolius eſt offerre Deo Sacrificium, qui indeſinenti, & perpetuæ ſe devoverit caſtitati.*

Euſebius *lib.* 1. *demonſt. Euang. c.* 9. *Veruntamen* (ait) *eos qui ſacrati ſunt, atque in Dei cultu & Miniſterio occupati continere ſe deinceps ab uxoris commercio decet.*

Baſi-

Baſilius *epiſt.* 17. inter poſteriùs additas, Sacerdotem ſeptuagenarium, qui dimiſſam in ſua ordinatione conjugem, in ſuas iterum ædes receperat, acriter objurgat, & mandat, ut Presbyteram ſuam in Monialium Monaſterium dimittat, & canonem iſtum Nicænum proponit, quem ab eo violatum conqueritur.

Chryſoſtomus *homil.* 2. *de patientia Iob.* Ita loquitur: *Sic dicit Apoſtolus unius uxoris virum, non ea ratione, ut id nunc ab Eccleſia obſervetur, oportet enim omni prorſùs caſtitate ſacerdotem ornatum eſſe.* Epiſanius ad finem operis contra hæreſes ſic loquitur: *Sanctorum Sacerdotium ex Virginibus ut plurimum, aut ex ſolitariis, aut ſi hi ad Miniſterium non ſuffecerint, ex his conſtituitur, qui propriis ab uxoribus ſe continent. Et ſi quis ab initio continens fuerit, aut viduus, habere poteſt locum Epiſcopi, Presbyteri, aut Diaconi, aut Subdiaconi.* Idemque *Hæreſ.* 59. quæ eſt Catharorum, *ſed & adhuc* (ait) *liberos gignentem unius uxoris virum Eccleſia non diſcripſit, ſed eum qui ſe ab una continuit, aut in viduitate vixit Diaconum, aut Hypodiaconum, aut Epiſcopum, aut Presbyterum, maximè ubi ſinceri ſunt Canones Eccleſiaſtici. At dices mihi quibuſdam in locis, filios gignere Presbyteros, Diaconos, aut Hypodiaconos: at non eſt juxta canonem, ſed hominum mentem, quæ per tempus elanguit.*

Ex his poſtremis Epiphanii verbis colligitur eo jam tempore alicubi ſuboriri cœpiſſe illam, quam Græci hodierni conſuetudinem ſervant. Certè ſub Iuſtiniani primi vitæ finem, illam tandem prævaluiſſe in Oriente, inde infero, quia cum ejus novella ſexta cap. 5. dicat: *Nihil ita in ſacris ordinationibus diligimus ſicut in caſtitate viventes, aut cum uxoribus non cohabitantes* & *cap. poſtmodò novella* 22. *cap.* 24. nihil ampliùs circa Clericorum continentiam ſtatuit, quàm quæ nunc temporis Græci communiter ſervant ex præſcripto Synodi Quiniſextæ cap. 12.

 vel

vel 13. Quod enim Summarium novellę dicit de uxoris dimiſſione additìtium eſt, nec prorsùs in textu legitur.

Ad Nicænum Can. IV.

QUartus Canon Nicænus decernit *conſtitui, & ordinari Epiſcopum ab omnibus aliis, ſi fieri poſſit, Provinciæ Epiſcopis: ſin minus à tribus ſaltem congregatis accedentibus reliquorum abſentium ſuffragiis, unà cum Metrotropolitani conſenſu*. Refertur *in cap. Epiſcopum ab omnibus diſtinct. 64.* Et repetitur in Concilio Nicæno ſecundò can. 3. nullatenus hìc audiendus Teodorus Balſamon ſcribens in hunc can. 4. Epiſcopos olim quidem fuiſſe ab univerſa plebe electos. Quia tamen in hiſce popularibus comitiis multa jactabantur indecora in eos, quorum proponebatur electio, fuiſse iſto Nicæno Canone conſuetudinem illam abrogatam, ſtatutumque ut ſoli Epiſcopi eligerentur. Sed errat Balſamon, cùm nullum hìc appareat abrogationis veſtigium, & conſtat, fuiſse perequè poſt Nicęnum Concilium admiſsa ubique in Epiſcopis eligendis populi ſuffragia: ſic tamen, ut moderationi, & regimini ſubeſſent Epiſcoporum: quemadmodum Athenis πρόεδροι popularibus ſuffragiis pręerant, ut docet Julius Pollux lib. 8.

Et utique ſanctus Athanaſius, qui Diaconus in hac Synodo interfuerat, evectus poſtmodum fuit ad Patriarchalem Alexandrię ſedem univerſę plebis ſuffragiis, ut refert Gregorius Nazian. orat. in ejus laudem. Cœleſtinus quoque Romę Papa epiſt. ad Epiſcopos Narbonenſis Provincię cap. 5. *Nullus* (ait) *invitis detur Epiſcopus: Cleri, plebis, & ordinis conſenſus requiratur*. Simile ſcribit Leo Magnus epiſt. 89. Et ſecundum Arelatenſe Concilium ſtatuit can. 54. ut tres ab Epiſcopis nominentur de quibus Clerici, & Cives

po-

poteſtatem habeant unum eligendi. Id confirmatur Concilii Cabilonenſis can. 10. & Cartaginenſis quarti can. 1. prætereà Synæſius epiſt. 76. refert Antonium Epiſcopum fuiſſe ab univerſo populo Olbiatarum creatum. Synodus autem Nicæna id unum ſanxit, ut novi Epiſcopi electionis, atque ordinationis cura, præfecturaque ſit penes Metropolitem, cæteriq; Epiſcopi ad ejus, qui electus fuerit, ordinationem conveniant: fiatque ordinatio hæc ut minimum à tribus.

Porrò in Epiſcopi novi conſecratione requirunt ſacri Canones Epiſcopos tres. Præter enim Nicænum iſtum Anacletus *epiſt. 2. citata in decreto diſtinct. 66. can. fin.* & Anicetus *epiſt.* 1. Ambo Pontifices, qui Apoſtolorum ætate vixerant, non modò iſtud de tribus Epiſcopis ordinatoribus præſcribunt, ſed etiam Apoſtolos hoc tradidiſſe confirmant. Quin etiam à tribus Apoſtolis Petro, Jacobo Majore, & Joanne fuiſſe Jacobum Minorem fratrem Domini conſecratum Jeroſolymæ Epiſcopum, ut hoc factotraderetur in poſterum ordinationum Epiſcopalium ritus, & forma, memorat Anacletus. Qui primus eſt Canon Apoſtolorum: præſcribit, ut Epiſcopi à duobus, aut tribus Epiſcopis ordinentur. Innocentius Papa epiſt. ad Victricium Rhotomagenſem Epiſcopum prohibet quemquam Epiſcopum conſecrari, niſi à tribus Epiſcopis. Syneſius item epiſt. 67. ad Theophilum Alexandrinum, Siderium contra leges Eccleſiæ perhibet renunciatum Palebiſcæ Epiſcopum, quatenus nec Alexandriæ Epiſcopus facto iſti conſenſit, neque fuit à tribus conſecratus Epiſcopis. Denique in Concilio Rheginenſi reprobatur Armentarii ordinatio, qui fuerat renunciatus Ebreduni Epiſcopus, nam eo nomine quòd tres Epiſcopi ad eam non intervenerant, tùm quòd Metropolitani conſenſus defuerat: quæ tamen ſimul utraque requirit quartus hic Nicænus Canon. Quinimò Concilium Arelatenſe primum canon. 21.

exigit, ut qui Epiſcopum conſecrat, ſeptem ſecum alios aſſumat Epiſcopos: ubi verò compleri numerus ille non poterit, ne minùs quam tres Epiſcopi interveniant.

Quæſtio illuſtris eſt, ſit ne de neceſſitate quoque Sacramenti, an ſolùm de neceſſitate præcepti, ut tres hìc interveniant Epiſcopi? Tres ventilantur in hac re Theologorum ſententiæ. Contendunt aliqui hoc eſſe de Sacramenti neceſſitate, ut ſi ſecus fiat nihil agatur. Alii concedunt eſſe quidem de Sacramenti neceſſitate, non tamen abſolutè, ſed hac reſtrictione, ſi non fuerit ab Eccleſia diſpenſatum ut ſecùs fiat. Quo etiam modo docent pleriq; circa confirmationis Sacramentum eſſe de Sacramenti neceſſitate, ut adminiſtretur ab Epiſcopo: ubi tamen intervenerit Papæ, aut Concilii generalis diſpenſatio, poſſe ſimplicem Sacerdotem eſſe illius miniſtrum. Tertia demum opinio eſt, poſſe etiam citra diſpenſationem ſuſcipi validè ordinationem, & characterem Epiſcopalem, tametſi illicitè ab unico etiam Epiſcopo. Præcitatus quidem Anicetus Pontifex declarat ejuſmodi ordinationes viribus carere, atque irritas eſſe. Illius tamen Canonis gloſſa id exponit de executione officii; hoc eſt, ut non liceat ſic ordinato illa exequi, quæ ſunt muneris Epiſcopalis, donec diſpenſetur.

Tertia hæc potior ſententia eſt propter illa quæ ſequuntur argumenta. Primùm enim Innocentius Papa epiſt. 22. ad Bonifacium, diſſidium componens Antiochenum, mandat eos, qui fuerant ab Euagrio Paulini in Sede Antiochena ſucceſſore ordinati, recipi cum ſuis ordinibus, & honoribus: & tamen Euagrius contra ſacras Eccleſiæ leges fuerat à ſolo Paulino ordinatus Epiſcopus, ut fidem facit Theodoritus *l.* 5. *hiſt. eccl. cap.* 23.

Syneſius perhibet de Siderio ſuperius memorato fuiſſe ab uno Epiſcopo Cyrenenſi Philone conſecratum Epiſcopum, neque id tamen obſtitiſſe, quominùs magnus Athanaſius abſque nova conſecratione cum

ipſo

ipſo diſpenſaverit, eumque ad Eccleſiæ Metropolitanæ clavum admoverit.

Ad hæc Synodus Regienſis cum præfato Armentario diſpenſavit, ut Baptizatos, ſeu Neophytos confirmaret: cumque ordinatis ab Armentario Clericis, ſi ſint alioqui vitæ inculpatæ, ut in ordinum miniſterio retineantur.

Apoſtolorum etiam præcitatus Canon probat Epiſcopi conſecrationem à duobus Epiſcopis.

Simon Apoſtolus apud Clementem Papam *l.* 8. *conſtit. Apoſt. c.* 27. ſancit valere Epiſcopi ordinationem à duobus factam Epiſcopis: & hoc addit licere in neceſſitatis caſu, Epiſcopum ab unico Epiſcopo conſecrari.

Item Dionyſius *lib. Hier. eccl.* deſcribens Epiſcopi augurandi ritum, meminit unius dumtaxat Epiſcopi conſecrantis.

Idque ampliùs inde confirmatur quod fieri vix poterat, ut Apoſtoli totum terrarum orbem peragrantes, novaſque in Provinciis ad quas accedebant, fundantes Eccleſias, copiam ſemper habere poſſent Epiſcoporum quos paſſim conſtituerent, aut quorum ope novos Epiſcopos ordinarent.

Teſtatur Henriquez ſummæ ſuæ *tom.* 1. *l.* 10. *cap.* 24. Papam Gregorium XIII. diſpenſaſſe cum recens à ſe conſtituto Æthiopiæ Patriarcha è Soc. Jeſu, ut ſolus ſine aſſiſtentibus Epiſcopis poſſet novos Epiſcopos conſecrare, ubicumque operæ pretium eſſet.

Quærenti Auguſt. Angliæ Primati quot ſint Epiſcopi neceſſarii ad novum Epiſcopum conſecrandum? reſpondet Greg. Magnus reſp. 8. ad interrogata Auguſtini verbis quidem obſcuris, quorum tamen hic eſt genuinus ſenſus. Cùm ſit ſolus in Anglia Epiſcopus Auguſt. expectandos eſſe ex vicina Gallia Epiſcopos, qui novos Epiſcopos ordinaturo Auguſtino aſſiſtant: & poſtmodum adhibendos eſſe noviter ordinatos in Anglia epiſcopos ad novam aliorùm conſecrationem.

Ad Nicænos Canones V. VI. VII.

QUintus canon ſancit *latam excommunicationem ſive in Clericum ſive in Laicum per ſententiam proprii ipſorum Epiſcopi ſervandam eſſe in aliis quoque Provinciis, aut Parochiis, ad quoſcumque tranſierit excommunicatus, neque ab aliis ullibi Epiſcopis poſſe reconciliari, & ad communionem fidelium admitti*. Quæ ſanctio inſerta legitur *in Gratiani decreto* 11. *q.* 2. *can. ſervetur iſta ſententia*. Eademque renovatur in Concil. Sardicenſi can. 13. ſolùm itaque ſupereſt excommunicato remedium vel abſolutionis, vel recurſus ad ſuperiorem antiſtitem per appellationem, quæ tamen haud ſuſpendit excommunicationem, de qua fuerit appellatum, ſed ad ſuperius Tribunal devolvit juxta *cap. cum ad hæc de appellat.* Sanè ubi excommunicationis ſententia eſſet apertè invalida, ut ſi ulla præceſſiſſet præmonitio, eo caſu nullatenùs ligaret, nec eſſet opus appellatione, *c. ſtatuimus de ſent. excommun. in 6. & c. 1. de ſent. & re jud.* Eſt enim, licet excommunicatio ferenda eſt non modò in peccatorem, ſed etiam in contumacem, alioquin irrita.

Præſcribit hic idem Nicænus Can. 5. ut ſingulis annis bis convocentur ad Synodum omnes in ſingulis Provinciis Epiſcopi. Primùm quidem apparente quadrageſimæ tempore: deinde autumno. Atque ut Synodus examinet prolata à ſingulis per Parochias Epiſcopis ſententias, quæ ibi prout videbitur, vel confirmabuntur, vel corrigentur, vel revocabuntur. Eamdem iterat conſtitutionem Concilium Antiochenum can. 20. & œcumenicum Chalcedonenſe. can. 19. & Leo Papa I. *epiſt.* 82. *cap.* 7. Quæ ſimul omnia compilantur in decreto Gratiani *diſt.* 18. Quin etiam Apoſtolorum canon 37. Jubet quotannis Epiſcoporum Provinciæ convocari Synodos, tùm hebdomade quarta Pente-

co-

coſtes, tùm die duodecima menſis hyperberetei, qui noſtro ferè Octobri reſpondet, ibique appellationum cauſas terminari, ſingulorumque Epiſcoporum prolatas in ſuis Parochiis ſententias, & acta examinari.

Hoc ipſum olim Romanus quoque Pontifex ſingulis annis ſervabat, duaſque Synodos Epiſcoporum cogebat. Primam quidem Provincialem convicinorum Antiſtitum, quibus præeſt ſpeciali titulo Metropolitani: ſecundam nationalem menſe octobri, Italiæ, atque Siciliæ Epiſcoporum, quibus ipſe præficitur ſpeciali jure Primatis. Hujus rei notitiam ſuppeditat Leonis Magni *epiſt. 62. ad Epiſcopos Siciliæ cap. 4.* his verbis: *Ut quia ſaluberrimè à ſanctis Patribus conſtitutum eſt, binos in annis ſingulis Epiſcoporum debere eſſe conventus, terni ſemper ex ipſis ad diem tertium Kalendas Octobris Romam fraterno Concilio ſociandi occurrant*. Nonnunquam etiam, ſed rariùs cogebat ſummus Pontifex, ut Occidentis Patriarcha Concilium Epiſcoporum, non modò Italiæ, & Siciliæ, ſed etiam Galliæ, Hiſpaniæ, & Britanniæ, Africæ, Illyrici, quale ſuperiùs vidimus Arelatenſe in cauſam Donatiſtarum. Denique ad Romanum ſpectat Epiſcopum, ut ſummum univerſi gregis dominici paſtorem, Concilii œcumenici convocatio.

Nicænus canon 6 ſic ait: *Antiqui mores ſerventur in Ægypto, Libia, & Pentapoli, ut Alexandrinus Epiſcopus horum omnium habeat poteſtatem, quandoquidem, & Epiſcopo Romano hoc eſt conſuetum. Similiter & in Antiochia, & in aliis Provinciis ſua Privilegia Eccleſiis ſerventur. Illud autem eſt omnino manifeſtum, quòd ſi quis abſque Metropolitani ſententia factus ſit Epiſcopus, cum magna Synodus definit eſſe Epiſcopum non oportere*. Hæc ſunt canonis verba, cui tamen initium deeſt, ſupplendum ex Concilii pariter œcumenici Calcedonenſis actione 16. ubi Nicænus iſte canon ſic allegatur à Paſcaſino Apoſtolico Legato: *Eccleſia Romana ſemper habuit principatum: conſuetudo viget in Ægypto, &c.* Deinde eadem actione Chalcedo-

nentes Patres ſic proſequuntur: *Videmus omnes ante omnia primatum, & præcipuum honorem*, ſecundum Canones *Deo Amantiſſimo Archiepiſcopo veteris Romæ conſervari*. Rufinus Canonem iſtum verbis ambiguis, atque adeò intelligentia, & conſtructione vacuis non tàm vertit, quàm pervertit: nec ille tanti eſt, ut ejus ineptiis ſit immorandum. Iſta porrò canonis verba ἐπειδὴ καὶ τῷ ἐν Ῥώμῃ Ἐπισκόπῳ τοῦτο συνηθές ἐστιν. *Quandoquidem*, & *Epiſcopo Romæ hoc eſt conſuetum*, ſic intelligenda ſunt, ut ideò præfata in Ægyptum, Lybiam, & Pentapolin, Alexandrino Præluli competat authoritas, quia id ei jus tribuere ſolet Romanus epiſcopus.

Joannes Morinus Oratorii Domini Jeſu Sacerdos ingenio, & doctrina conſummatiſſimus, in ſuis eruditiſſimis exercitationibus eccleſiaſticis, de limitibus trium Patriarchatuum Romani, Alexandrini, & Antiocheni fusè diſputat: commonſtratque, univerſam Africam præter regionem Ammoniacam, quam Alexandrinus Patriarcha complectebatur, pertinuiſſe ad Romanum epiſcopum ſpectatum, ut Occidentis Patriarcham.

Idemque probat, Patriarchæ Antiocheno ſubiectas fuiſſe omnes Orientis eccleſias ab Helleſponto ad uſq; Euphratem, & ultra. Sanè compertum eſt, fuiſſe ſemper Antiochiam etiam in civili partitione totius Orientis Metropolin: ſic enim eam vocat Zoſimus l. 1. hiſt. & Chryſoſtomus civis ipſe Antiochenus hom. 3. ad pop. Antioch. & Hieronymus adversùs errores Joann. Jeroſolym. Quia verò multiplex olim erat Orientis acceptio. Prima quidem quæ Thraciam, & Myſiam (quæ poſt modum Bulgariæ ſortita eſt nomen) omnemque Aſiam ab Helleſponto ad Tygrim amnem, quin etiam Ægyptum ipſam, & Lybiam, atque Pentapolin complectebatur. Has enim regiones omnes moderabatur conſtitutus à Magno Conſtantino Auguſto præfectus Prætorio Orientis, ut teſtatur Zoſimus hiſt. l. 2. Nec multum differt hæc præfecti prætorio Orientis for-

ſortitio à partitione Provinciarum Orientis, quæ Conſtantio ex Conſtantini patris teſtamento obtigit, nec non ab ea, quæ obvenit Archadio, cui Theodoſius Pater Orientem, quemadmodum Honorio Occidentem in Imperium conceſſit. Altera eſt Orientis ſignificatio multò contractior, pro Syria, Phæniclaque, & Meſopotamia. Præfecto prætorio Orientis ſubjectæ erant quinque iſtæ Diœceſes, Ægypti Aſianæ, Ponticæ, Thraciæ, & ſpecialis Orientis, ut docet Liber notitiæ Imperii, quem eruditis commentariis illuſtravit Pancirolus, & inſuper *l.* 2. *&* 3. *c. de milit. veſte lib.* 12. *& leg. ultima c. de diverſis officiis lib.* 12. his adde *lege* 1. *cap. ut nemo ad ſuum patrocinium ſuſcipiat*. Singuli harum Diœceſum Præfecti dicebantur Vicarii. Cæterum ſpecialis Diœceſis Orientis Vicarius dicebatur ſpeciali nuncupatione Comes Orientis. Ad hanc ſpecialem Orientis Vicariam pertinebant omnes illi Orientales Epiſcopi, qui Joannem Patriarcham Antiochenum ad Epheſinum concilium Comitati fuerunt, multaſque turbas adversùs Cyrillum, & œcumenicam Epheſi Synodum, ut infra ſuo loco videbimus concitarunt. Et hi conſtituebant Exarchiam, ſeu Primatum Antiochenum: Ipſa verò Antiochena Patriarchia ad Helleſpontum protendebatur, Aſiam minorem, & Ponticam complectens.

Tertia denique Orientis acceptio protenditur ab ora Aſiatica littoris Ægei verſus ſolis ortum: deducta Ægypto, Libyaque. Et ſecundùm hanc deſignationem Antiochenſis Patriarchia, ſeu Eccleſiaſtica Patriarchæ Antiocheni Diœceſis omnes Orientis Eccleſias regebat, & cum majori Aſia, minorem Aſiam ſimul, & Ponticam comprehendebat. Synodica Nicæni Concilii ad Eccleſias Ægypti epiſtola, loquens de ſedata veteri circa Paſchalem diem contentione, affirmat Orientales, qui hanc in re Judæos conſectabantur, eodem poſthac die Paſcha ce-

celebraturos quo reliquæ orbis Eccleſiæ. Perſpicuum verò eſt illos, de quibus dicit Orientales Quartadecumanos fuiſſe Aſiæ minoris incolas, quorum Princeps, Eccleſia erat Epheſina Metropolis, ut legitur apud Euſebium *l.* 5. *hiſt.c.* 22. 23. 24. Epiphanius inſuper hæreſi 70. Audianorum ait, in celebranda Paſchali ſolemnitate diſſidium exarſiſſe inter Orientem, & Occidentem: quibus locis ſub nomine Orientis intelligitur Aſia minor, quæ nunc etiam Anatolia, hoc eſt Oriens nominatur. Et verò teſtatur Hieronymus *adv. err. Joan. Metropolin.* Totius Orientis eſſe Antiochiam, nimirum ab Aſiatico littore ad Indos. Itaque poſtmodum ad conſtituendum Conſtantinopoli Patriarcham, Provinciæ Aſianæ, & Ponticæ ab Antiocheno Patriarcatu deciſæ ſunt, & Thracia ſubducta Romano fuit Epiſcopo.

Canon Nicænus 7. *Mos* (ait) *antiquus obtineat, ut Æliæ ideſt, Jeroſolymæ* (quam Ælius Adrianus everſam inſtauraverat) *Epiſcopus honoraretur, ſalva Metropolis propria dignitate*. Tametſi Jeroſolymorum Eccleſia cæteras omnes antiquitate præceſſerit, fueritque Domini prædicatione, miraculis, morte, reſurrectione decorata, & præterea à Spiritus Sancti deſcenſu, primiſque Apoſtolorum prędicationibus, Jacobi etiam Apoſtoli ſede, & martyrio, multiſque aliis nominibus inclyta, nihilò ſecus Metropoli Cęſarçæ, Palęſtinæ ſubiecta, ſuffraganeaque fuit adeò, ut à Jeroſolymitani Epiſcopi judiciis ad Cęſaræenſem devolverentur appellationes, ut fidem faciunt Hieronymus ad Pammachium. *Et lib. adu. err. Joan. Jeroſo.* & Leo Magnus *epiſt.* 62. *ad Maximum Antiochenum*. Suprema verò jura Pręſulis Jeroſolymitani in ſolis majoribus Synodis effulgebant, in quibus ille ſecundò ab Antiocheno Patriarcha loco ſedebat. Veruntamen in Provincialibus Synodis Metropolita Cęſarienſis præſidebat, eique proximè aſſidebat Ælię Epiſcopus. Hinc factum, ut in Synodo coacta Cæſarçæ in Pālęſtina, in qua concluſum eſt contra.

Quar-

Quartadecumanos præſederit Theophilus Cæſarienſis, cui aſſedit Narciſſus Jeroſolymitanus, ut colligitur ex Euſebio *l. 5. Eccleſ. hiſt. c.* 15. ſimile poſteà accidit in Synodo Dioſpolitana. Require inferiùs, quæ hac de re obſervamus ad Can. 5. Concilii Lateranenſis ſub Innocentio III. deque nova erectione Jeroſolymitani Epiſcopatus in abſolutum Patriarchatum.

Ad Canonem Nicænum. VIII.

OCtavus canon ſtudio pacis componendæ remittit de veterum Eccleſiæ canonum ſeveritate, eoſque, qui ſe Catharos dicunt (hi ſunt Novatiani) ad Eccleſiæ unitatem revertentes, in priſtinum reſtituit Epiſcopatus, vel ſacerdotii, vel alterius Clericalis ordinis gradum. Si tamen eidem Eccleſiæ, alius jam non fuerit proviſus ortodoxus Epiſcopus. Quo caſu, cum qui ex Novatiani ſchiſmate eamdem occupaverat ſedem, contentum eſse jubet Sacerdotis, aut Chorepiſcopi gradu: *ne*, inquit, *in una Civitate duo ſint Epiſcopi*. Canonem iſtum deſignat Auguſtinus epiſt. 110. ſic dicens: *Adhuc in corpore poſito beatæ memoriæ Patre, & Epiſcopo meo ſene Valerio Epiſcopus ordinatus ſum, & ſedi cum illo, quod Nicæno Concilio probibitum fuiſſe neſciebam, nec ipſe ſciebat*.

Ceterò qui hæc ipſa Nicæna Synodus can. 10. lapſos ita excludit à Clero, ut ſi quis aliquando lapſus Clero aſcriptus fuerit, aut ordinatus, deponi eum jubeat ſimul, ac præcedens ejus lapſus innotuerit. Et antea Synodus Eliberina can. 51. quemcumque ex quavis hæreſi converſum, ita excludit à Clero, ut eos etiam qui fuerant ante hæreſim ordinati deponi præcipiat, Cornelius Papa, & Martyr in ſua ad Fabium Antiochenum epiſtola penes Euſebium *l. 6. hiſt. Eccleſ. c.* 35. ait, ſe vix dum idque in gratiam univerſi populi pro eo ſupplicantis admiſiſſe ad laicam communionem unum de

tri-

tribus Epiſcopis, graviter facti ſui pœnitentiam, qui Novatiano manus impoſuerant. Et refert Cyprianus *epiſt.* 52. *ab Antonianum*, ab eodem Papa Cornelio Epiſcopum, olim Schiſmaticum, ſed jam pænitentem Theophimum fuiſſe ad laicam communionem admiſſum: ſed tam effuſæ benignitatis cauſam fuiſſe fratrum recolligendorum neceſſitatem, quorum plurimi ductore Trophimo ad Eccleſiæ unitatem ſe recipiebant. Item Cyprianus *epiſt.* 64. *&* 68. Contendit non eſſe recipiendos lapſos, quantumvis pænitentes ad priſtinum ordinis gradum. Teſtatur Auguſtinus *epiſt.* 162. *ad Epiſcopos Donat. & in Breviculo Collat.* Melchiadem Papam Donatiſtis Epiſcopis, qui à Schiſmate diſcederent, conditionem obtuliſſe, ac decreviſſe, ut ad Epiſcopale Miniſterium admitterentur & in quibuſcumque locis duo eſſent, contrarium partium Epiſcopi, confirmaretur is qui prior fuiſſet ordinatus: alteri verò plebs alia regenda provideretur: quod Melchiadis propoſitum collaudat Auguſtinus. Idemque *lib.* 2. *contra Creſconium cap.* 11. *& epiſt.* 5. refert, Africanum Concilium, eadem ratione, & neceſſitate adductum pro lapſorum reductione, & Eccleſiaſtica pace, reſtituiſſe Donatiſtas Epiſcopos ad priſtinum dignitatis gradum: quam rem approbat, additque ſub finem epiſtolæ quintæ, reſtitutionem quandoque factam in priſtinos Epiſcopatus favore Arianorum in Eccleſiam redeuntium, hoc tamen adjungens, citra gravem, & urgentem neceſſitatem inſiſtendum conſtanter eſſe canonum diſciplinæ, prorsùs interdicentium Clericis lapſis reditum ad priorem gradum. Similiter ſcribunt Socrates *l.* 3. *cap.* 7. 8. 9. & Theodoretus *lib.* 3. *cap.* 4. *&* 5. Athanaſium cum Alexandriam per Juliani Edictum poſtliminiò revertiſſet, Synodum habuiſſe, quæ decrevit, ut Ariani Epiſcopi hæreſim ejurantes priſtinas ſedes recuperarent. Quam indulgentiam cùm ægrè ferret Lucifer Epiſcopus Calaritanus, ita communionem averſatus eſt,

eſt & redeuntium in Eccleſiam, & eoſdem recipientium, ut novum ab eo ſchiſma pullulaverit. Verùm, ut ait Bonifacius Papa VIII. regula juris 70. *In argumentum trahi nequeunt, quæ propter neceſſitatem aliquando ſunt conceſſa*. Denique Apoſtolis aſcriptus can. 29. ſic ait: *Ne Epiſcopus, vel Presbyter, vel Diaconus juſtè depoſitus miniſterium priſtinum reſumat*. Et Canon 61. *Ne convictus de crimine ad Clerum promoveatur*. Et Can. 62. *ut lapſi Clerici deponantur, & ſi pœnitentia ducuntur, ne recipiantur niſi ut laici*.

Ad Canones Nicænos XI. XII. & XIV.

Canones Nicæni 11. & 12. tres diſtinguunt pœnitentium claſſes, auditorum, proſtratorum, & citra oblationem communicantium. Auditores extra fores, atque in veſtibulo Eccleſiæ verſabantur. Proſtrati admittebantur intra navim ad pavimentum demiſſi, valvis Eccleſiæ proximi, ubi à tergo fidelium, preces fundebant, & lugebant: deinde jubebantur de loco ſacro egredi tempore Offertorii, ne divinis myſteriis intereſſent. Tertii denique integræ ſynaxi uſque ad finem cum cæteris fidelibus aſſiſtebant, ſed ſacrę Euchariſtię minimè participabant.

Gregorius Thaumaturgus, & Baſilius Magnus in ſuis pęnitentiarum canonibus, aliique veteres publicè pęnitentium ordines quatuor diſtinguunt, 1. τὴν σκλαυσιν fletum, ἀκρόασιν, auditionem ὑπόπτωσιν proſtrationem, σύςασιν conſiſtentiam, quibus tandem ſuccedebat μέθεξις participatio divinorum. Exempli cauſa Baſilius ei, qui męchatus fuerit, pręſcribit in ſuis ad Amphilochium Canonibus annos pęnitentię publicę quindecim: quatuor annos in fletu, quinque inter audientes, quatuor inter proſtratos, reliquum inter conſiſtentes.

Gre-

Gregorius Neocęſarienſis can. 11. flentes, ait, excludi à foribus Eccleſię, audientes intra fores admitti, verſarique in Narthece, juxta januam poſt Cathecumenos, ſed ipſos omnes antequam celebrentur ineffabilia Dei myſteria cum Cathecumenis depelli foras, & conſiſtentes demum unà cum populo fideli ad finem uſque ſacrificii perſiſtere, privari tamen Euchariſtię participatione. Aut verò Judęis, & Gentilibus, ipſiſque Hęreticis permittebatur, intra Eccleſiam conſiſtere, atque Dei verbum, pſalmoſque audire uſque ad finem Miſſæ, ſive collectę Cathecumenorum, id eſt, uſque ad offertorium; ut fidem facit Cartaginenſe Concilium quartum can. 84. ſolis verò pœnitentibus primę claſſis interdicebatur Eccleſię ingreſſu.

Pœnitentium habitus erant pullę veſtes cinere conſperſę, ſacci, cicilia, ſquallor capitis inculti, totiuſque corporis neglectus; ſeveris pręterea jejuniis, orationum frequentia, vigiliis, chameuniis, aliiſque σκληραγωγίαις, ſeu aſperitatibus jugiter exercebantur; à deliciis, conviviis, balneis, & hominum congreſſibus abſtinebant: nec eis militare licebat, vel inire coniugia; hęc docent Arelatenſe *Conc.* 2. *can.* 21. Leo Magnus *epiſt.* 92. *c.* 11. *&* 12. Tertull. *lib. de pœnit.* Pacianus *Parenæſi ad pœnit.* Hieronymus *in epitaphio Fabiolæ* quo hujus ſanctę viduę graphicè deſcribit publicam in Baſilica Laterana pœnitentiam. Et Concilium Agathenſe *can.* 15. & Toletanum 3. *can.* 12.

Nec verò ſemper publicæ fiebant ob publicè nota delicta pœnitentiæ; ſed plerumque etiam propter occulta. Itaque publica confeſſio non ſemper publicam pœnitentiam comitabatur, ut ex Ambroſio colligitur *l. 1. de pœnit. cap. 16. Si quis,* (inquit) *occulta crimina habens, propter Chriſtum tamen pœnitentiam ſtudioſè egerit, quomodo iſthic recipiet, ſi ei communio non refunditur?* Ibi vero, imò toto illo opere non de alia quam de publica tractat pænitentia. Subjungit enim; *Volo veniam reus*

ſpe-

ſperet, petat cum lachrymis, petat gemitibus, petat totius populi fletibus. Idemque *l.* 2. *de pœnit. cap.* 10. hortatur ad publicam pœnitentiam quos ab ea pudor deterrebat. Hoc verò utitur argumento, non eſſe cur pudeat Deo publicè ſupplicare, & humiliari, cùm ipſos non pudeat ſua peccata homini quem ipſi lateant confiteri. *An* inquit, *pudeat te Deo ſupplicare quem non lates, cùm te non pudeat peccata tua homini, quem lates confiteri?* Quæ Ambroſii ratio prorsùs inepta foret depellendo pudori, ſi publica Exhomologeſis, ſeu confeſſio indivulſa ſemper eſſet cum publica pœnitentia; cùm nemo ignoret, graviorem multò pudorem naſci ex publica ad univerſum populum confeſſione criminis antea ignoti, quàm ex privata, ſecretaque ad unum ſacerdotem. Hoc igitur Ambroſii loco, pudor exurgens ex publica pœnitentia, cujus tamen cauſa ignoretur, cum pudore confertur, quem parit ſecreta penes unum ſacerdotem manifeſtatio, præterea Concilium Toletanum 4. can. 52. ſtatuit per publicam pœnitentiam, in qua nulla fuerit publica delicti confeſſio neminem ab ordinibus Eccleſiaſticis excludi. Nam alioquin publica pœnitentia perpetuam pariebat ad ordines Eccleſiaſticos irregularitatem, ut docent Origens *l.* 2. *contra Celſum.* Hieron. *Dialog. adver. Lucifer.* Siricius Papa *epiſt.* 1. *c.* 1. aliique communiter Patres.

Abſolutio, quam veteres manuum impoſitionem, reconciliationem, paciſque communionem vocabant, nunquam (ſecluſo mortis diſcrimine) impertiebatur pœnitenti, niſi poſt tranſactum omne, ſecundum Canones, pœnitentiæ tempus; ut liquidò teſtificantur Cyprianus *epiſt.* 11. *ad Confeſſores, & epiſt. ad Antonianum, & epiſt.* 59. *ad Fidum*, Canones paſſim Eliberini, & hujus Nicænæ Synodi canon. 13. ſtatuens, ne cuiquam in fine vitæ viaticum negetur, ſed ſi ſumpta reconciliatione, atque viatico æger de periculoſo morbo convaluerit, jubet Canonicæ pœnitentiæ tem-

po-

pora continuari, eoque durante negat eſſe adminiſtranda Sacramenta. Mos quidem aliquando viguit ſub paganorum inſectationibus, ut prolatis Confeſſorum, ac Martyrum libellis, ac precibus Epiſcopi citius veniam, pacemque pęnitentibus darent, ſed in contrarium graviſſimi viri ſæpè numero reclamarunt, Cyprianus. Tertullianus, atque hoc ultra fieri vetuerunt Synodus paſſim Eliberina, & Arelatenſis can. 9.

Numquam verò pęnitentibus reconciliatio intra Eccleſiam indulgebatur, quin ſimul ſacra eis daretur Euchariſtia. Perſpicuè namque dicit Ambroſ. lib. 2. pęnit. c. 3. *Quotieſcumque peccata donantur; corporis eius Sacramentum ſumimus, ut per ſanguinem ejus fiat peccatorum remiſſio*.

Quæ verò crimina erant publica expianda pęnitentia, ad tria potiſſimum genera reducuntur, infidelitatem, luxuriam, & homicidium: ut docet Tertull. *de Pudicit. cap.* 1. *&* 12. Pacianus Barcinonenſis Epiſcopus *Parænesi ad pœnit.* Gregorius *epiſt.* 92. *ad Ruſticum Narbonenſem Epiſcopum*. His adde falſi crimen, & calumniam, ex Agatenſis Concilii can. 32. aliaque peræque gravia delicta, ut colligitur ex pleriſque veterum Patrum Canonibus pęnitentialibus. Et hæc ſufficiant ad notitiam publicæ, quæ undecim ſæculis viguit pęnitentiæ.

Canonis 13. circa ægrotos pęnitentes decretum paulò ante propoſui, ut eis de vita periclitantibus Communio Euchariſtica exhibeatur; ſed ubi reconvaluerint, ad pęnitentiam, donec tempus præſcriptum expleverint revocarentur.

Can. 14. Diaconis prohibet, ne Presbyteris auſint Euchariſtiam ſacram porrigere; hanc addens rationem, qua Calviniſtarum hæreſis Sacrificium incruentum adorta profligetur: οὔτε ὁ κανὼν οὔτε ἡ συνήθεια παρέδωκε τοὺς ἐξουσίαν μὴ ἔχοντας προσφέρειν, τοῖς προσφέρουσι διδόναι τὸ σῶμα τοῦ Χριστοῦ. *Neque lex, neque conſuetudo tradit, ut qui offeren-*

rendi poteſtatem non habent, his qui offerunt, dent corpus Chriſti. Sed expreſſior in actis Concilii iſtius habetur declaratio apud Gelaſium Cyzicenum, quàm multis glofſematis eludit, & obſcurare nititur Calvinus *lib. 4. inſtit. cap.* 17. §. 36. At ineptæ ejus gloſſemata eluduntur Nicæni hujus teſtimonii perſpicuis verbis, *Iterùm etiam hic in divina menſa, ne humiliter intenti ſimus ad propoſitum panem, & calicem: ſed attollentes mentem, fide intelligamus ſitum in ſacra illa menſa illum Dei agnum tollentem peccata mundi, incruentè a Sacerdotibus immolatum, & pretioſum ipſius corpus, & ſanguinem verè nos ſumentes credere. Hæc eſſe noſtræ reſurrectionis Symbola, propter hoc enim neque multum accipimus; ſed parum: ut ſciamus non ad ſatietatem, ſed ad ſanctificationem ſumi.* Ita loquitur Nicæna hæc Synodus. Sacrificium Eucharisticum ſuo Vaticinio firmat Malachias Propheta, qui cap. 1. ſic Deum loquentem inducit: *Non eſt mihi voluntas in vobis dicit Dominus exercituum, & munus non ſuſcipiam de manu veſtra: ab ortu enim ſolis uſque ad occaſum magnum eſt nomen meum in gentibus, & in omni loco ſacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda; quia magnum eſt nomen meum in gentibus, dicit Dominus exercituum.* Quam Malachiæ prædicationem ſatis aliòqui per ſe manifeſtam, ſancti veteres Eccleſiæ Doctores de Sacrificio Euchariſtico corporis dominici unanimes interpretantur. Ex quibus (ut cæteros omittam) Juſtinus Martyr in Dialogo cum Tryphone Judæo, ſic ait: *De noſtris gentium quæ in omni loco offeruntur ſacrificiis, hoc eſt pane Euchariſtiæ, & poculo ſimiliter Euchariſtiæ, jam tum locutus Malachias prædixit, nos quidem glorificare nomen ejus, vos autem profanare.*

Illa porrò Nicænorum Patrum locutio ἀθύτως θυόμενον incruentè ſacrificatum, affinis, ac ſynonima eſt cum hac altera expreſſione ἀναιμάκτȣ θυσίας incruenti Sacrificii, quam de Euchariſtia frequentiſſimè uſurpant

E

pant Græci Patres, Clemens *l. 6. conſt. cap.* 2. Euſebius *l.* 1. *demonſt. Euang. c.* 10. Gregorius Nazianz. *Stelent.* 1. & 2. Anaſtaſius Sinaita *epiſt. ad Phrudegardum*, Cyrinus Alexandrinus *in Concilio Alexandrino*, *ad Anathematiſmum*, 11. Synodus Quiniſexta can. 32. & Synodus Nicæna ſecunda act. 6. hoc diſcrimine myſtica differt oblatio à cruenta ſemel in cruce exhibita.

Ad Nicænos Can. XV. XVII. XIX. XX.

Canon is cavet, ne Epiſcopi, Presbyteri, & Diaconi ab Eccleſiis ad quas fuerant ordinati, ad aliarum Eccleſiarum miniſterium tranſeant, citatur in *cap. Non oportet Epiſcopum* 7. *qu.* 1. Huic parem edit Canonem ſextum Synodus Calcedonenſis, prohibentem, ne quis Epiſcopum, presbyterum, aut Diaconum ordinet, quin ſimul eundem alicujus certæ Eccleſiæ miniſterio addicat, ſive in urbe, ſive in oppido, ſive in monaſterio: ſin minùs, ita ordinatos interdicit ab ordinum exercitio. Citatur in *c. Neminem abſolutè, diſt.* 7. Idem ſancitum in Concilio primo Arelatenſi can. 22. quo vetatur presbyteris, & Diaconis in alias Eccleſias tranſgredi, ſoliſque jubentur Eccleſiis inſervire quibus præfixi ſunt, & ſecus facientes de gradu deponit. Simile ſtatuunt Apoſtolorum Canones 17. & 16. ubi etiam excommunicatur Epiſcopus Clericum recipiens alterius inviti Epiſcopi. Concilium demum Trident. hanc laudabilem diſciplinam ex parte inſtaurat ſeſſ. 23. cap. 16. *Nemo* inquit *ordinetur, quin certæ Eccleſiæ aſcribatur: nec admittantur alieni Clerici ad divina officia celebranda ſine commendatitiis proprii ordinarii Epiſcopi.*

Superior, ſeu proprius Epiſcopus citra cujus licentiam, nemo poteſt Clero, vel Ordinibus initiari, triplex recenſetur à Bonifacio Papa VIII. ſcilicet originis, domicilii, & beneficii, *c. cum nullus, de temp. ordin. in* 6. Idque jus invaluit, ex quo deſiit vetus conſuetu-

tu-

tudo aſcribendi certæ Eccleſiæ recens ordinatos adeò, ut ab illius Eccleſiæ obſequio in aliam commigrare liberum ei non eſſet, dum verò priſtina illa conſuetudo tenuit, ille proprius, ac perpetuus habitus eſt cujuſvis Clerici Epiſcopus, qui primus ordinaverat, Clericumque à ſe ordinatum Eccleſiæ particulari alligaverat, ac ejus reſidentiæ aſtrinxerat, ut infra commonſtrabo peculiari diatriba poſt primum Carthaginenſe Concilium.

Quoad verò translationem Epiſcoporum Nicæno iſto Canone, aliiſque hic citatis prohibitam, ea pariter inhibetur Concilii Sardicenſis, *can.* 1. & Carthaginenſis tertii, *can.* 38. allegato apud Gratianum *cannon licet* 107. *diſt.* 4. *de conſecr.* Attamen Pontifices, Anterus, & Pelagius neceſſitatis, aut magnæ utilitatis gratia transferri, ac mutari poſſe, nonnunquam Epiſcopos accedente judicio Synodi Epiſcoporum, aut ſupremæ ſedis declarant, *cap. mutationes*, *&* *c. ſequenti* 7. *quæſt.* 1. exempla occurrunt Petri Apoſtoli ex Antiochia Romam tranſmigrantis, Euſtachii quoque ſanctiſſimi Martyris, qui hac in Synodo conſedit Antiochenus Epiſcopus, cùm fuiſſet olim Epiſcopus Beroenſis, Gregorius pariter Nazianzenus primùm Nazianzenam rexit Eccleſiam, factus deinde Saſimorum Epiſcopus, & poſtremò electus ab œcumenica Synodo Conſtantinopolis Epiſcopus ipſo acceptante. Sequens autem ejus abrogatio factione, & ambitione contigit quorundam, qui hoc facto vituperium indelebile contraxerunt. Quin, & ipſi Nicæni Patres in Locum dejectorum Epiſcoporum Arianorum Euſebii Nicomedienſis, & Theognidis Nicæni, aliarum Eccleſiarum Epiſcopos ſubrogarunt. Alexander quoque in Cappadocia Epiſcopus ad Sedem Jeroſolymitanam revelatione divina traductus fuit, ut fidem facit Euſebius *lib.* 6. *diſt. Eccl. cap.* 9. his conformia exempla perhibet Socrates *lib.* 7. *cap.* 35. *&* 36. Item vir ſanctiſſimus

Germanus teſte Cedreno à Metropoli Cyzicena tranſiit ad Conſtantinopolitanam. Itaque translationum Epiſcoporum legitimæ poſſunt eſſe cauſæ, atque aliunde profectæ, quam ex ambitione, vel avaritia.

Can. 17. deponi jubet Clericum uſurarium. Idem ſtatuitur Apoſtolorum can. 44. Et Arelatenſis Concilii primi can. 12. & Laodicæni can. 5. Nicænus can. 19. ſtatuit, ut qui ex hæreſi Pauliniſtarum convertuntur, poſt ſuſceptum ab illis Baptiſmum rebaptizentur: & ſi fuerant in ea ſecta Clerici ordinati, ſi poſt converſionem judicentur ordinibus Eccleſiaſticis idonei, ubi novum baptiſmi lavacrum ſuſceperint, denuò ordinentur: Superius vidimus damnatas Synodos Africanas à Stephano Papa hoc nomine, quod Hæreticorum baptiſmum, ut inanem reprobaſſent. Debuit ergo ſpecialis in Pauliniſtis ineſſe cauſa, cur ipſorum baptiſmus reiiciendus eſſet. Atque hæc legitima quidem fuit, quia cum Paulo Samoſateno negantes, Chriſtum eſſe Deum, & inſuper cum Sabellianis omnem abrogantes realem perſonarum divinarum diſtinctionem, & ſtatuentes unicam in Deo perſonam, talia ex conſequenti verba in baptiſmo ſolebant adhibere, quæ hujuſmodi hæreſim ſapientia, baptiſmo proprio valorem omnem, & efficaciam amoverent. Paulus tamen, & Sabellius in hoc invicem diſſidebant, quia Sabellius Chriſto divinitatem vindicabat, quam Paulus nefarius eidem abrogabat. De his diſſerit Epiphanius *Hæreſ.* 62. & 65.

Hic obſerva per hunc Nicænum Canonem 19. poſſe confirmari, illam complurium Theologorum ſententiam, illum qui non ſit baptizatus, ſic eſſe Ordinationis Sacramentalis incapacem, ut ei collata omni careat validitate. Etenim hoc loco ſacra decernit Synodus, ut poſt validum Baptiſmum, manus illis ad Ordinationem denuò imponantur, qui poſt irritum, & inanem Pauliniſtarum baptiſmum fuerant

rant ab iiſdem ordinati. Quæſtio iſta ſub Innocentio Papa III. magna partium contentione diſceptata fuit; qui Pontifex licèt rem in ambiguo circa validitatem reliquorum à Baptiſmo Sacramentorum reliquerit indeciſam, ne tamen graviſſimum periculum ex ea incertitudine impenderet, adductus etiam Synodi Compendienſis decreto (cujus mentionem ſpecialem facit) ſtatuit Innocentius non modò baptiſmum, ſed etiam præcedentes ordines denuò conferri *c. veniens, de Presbyt. non bapt.* Canon verò Synodi Compendii habitæ ſic decernit: *Siquis in Presbyterum ordinatus, deprehenderit, ſe non eſſe baptizatum, baptizetur, & iterùm ordinetur.*

Nicænus deniquè canon 20. ſancivit, ut diebus omnibus dominicis fideles ſtantes orent, nec genuflectant. Citatur *c. quoniam ſunt, diſt. 3. de conſecr.* Publici tamen pœnitentes excipiuntur, quos jubet Concilium Carthaginenſe quartum, cap.82. etiam tempore Paſchali, & omnibus per annum dominicis flexis humi genibus orare.

De numero Canonum Nicænorum Diatriba.

Circa Nicænorum Canonum numerum gravis agitatur controverſia, & adhuc ſub judice lis eſt, Concilium Carthaginenſe ſextum ſub Romanis Epiſcopis celebratum Zoſimo, Bonifacio, & Cœleſtino, magna in hac re ambiguitate fluctuavit. Inſiſtebat Zoſimus apud Concilium, ut decerneret de admittendis appellationibus ab Epiſcoporum Africanorum judiciis ad Apoſtolicam Sedem, juxta Nicænorum canonum præſcriptum. Huic poſtulationi haud ſtatim acquievere Carthaginenſes, miſeruntque ad Atticum Conſtantinopolis Epiſcopum, & Cyrillum Alexandriæ Epiſcopum, ut ſibi copiam facerent omnium Nicæni Concilii Conſtitutionum. At iſti tranſmiſerunt ad Africa-

nos vulgata illa viginti Nicæna capita, in quibus ne verbum quidem ullum de appellationibus ad Romanam Sedem, Ruffini quoque hiſtoria eorundem viginti nec plurimum meminit, Præterea Theodoritus l. 1. *Hiſt. Eccl. cap.* 8. in fine, refert editos a Nicæni Patribus canones viginti fuiſſe.

Ex oppoſito tamen veteres ſancti Patres haud pauca hujus Concilii decreta referunt nullatenus hiſce viginti comprehenſa. Ambroſius *epiſt. ad Vercellenſem Eccl.* ſcribit interdictam à Synodo Nicæna Bigamorum ordinationem in ſacrum Clerum. Hieronymus *præfat. in Judith*, teſtatur hunc librum fuiſſe à Synodo Nicæna ſacris libris connumeratum. Zoſimus jam vidimus eidem aſcribentem decretum de appellationibus ad Romanum Epiſcopum, quod idem confirmatur ex Theodorito *l.* 2. *Hiſt. Eccleſ. cap.* 4. ubi refertur, Athanaſium Epiſcoporum Arianorum judiciis oppreſſum recurriſſe ad Julium Romæ Epiſcopum, ipſoſque Arianos miſſis epiſtolis ad Julium, fuiſſe appellationis hujus cauſam nonnihil proſequutos. Athanaſius itaque ſequutus (ut Theodoritus loquitur) Canonem Eccleſiæ τῷ τῆς Ἐκκλησίας ἑπόμενος νόμῳ, Romam advenit, & Julius accuſatores citavit, ſed quænam illa Eccleſiæ lex? Non videtur Sardicenſis canon. Hæc enim Synodus poſt iſtam Athanaſii appellationem coacta fuit, ut liquet exequenti cap. 5. Theodoriti, ſit ergo potiùs Nicænus.

Indubitatum prætereà eſt Nicæni Concilii decretum, non tamen his viginti comprehenſum; de non celebrando Paſcha, niſi die Dominica occurrente primùm poſt decimam quartam Menſis Martii Lunam. Hanc enim iſti Synodo ſanctionem attribuit paulò poſt habitum Concilium Antiochenum can. 1. ipſeque, qui Nicænæ Synodo interfuit Conſtantinus Auguſtus, in ſua epiſtola, quam refert integram libro ejus vitæ tertio Euſebius, & quia in eodem Concilio, ut ſidus

efful-

effulſit Athanaſius *epiſt. de Synod. Arim. & Seleuc.* denique hoc idem refert Epiphanius *hæreſ. 69.*

His adde in epiſtola Julii Papæ recenſeri octo, & viginti Concilii Nicæni canones, quorum primus hic eſt: *Non debent præter ſententiam Romani Epiſcopi Concilia celebrari*, Secundus, & tertius canon. decernunt de appellationibus ad Romani Epiſcopi tribunal admittendis: neve Comprovinciales quidpiam ſtatuant adverſùs ullum Provinciæ Epiſcopum, inconſulto Romano Epiſcopo. Inſuper Ægypti epiſcoporum epiſtola ad Felicem Papam ſecundum ſic enunciat. *Scimus in magna Nicæna Synodo trecentorum decem, & octo Epiſcoporum ab omnibus concorditer eſſe roboratum, non debere abſque Romani Epiſcopi ſententia Concilia celebrari, nec Epiſcopos damnari, licèt hæc, & complura alia neceſſaria Synodi capitula fuerint ab hæreticis quotidiè nos infeſtantibus excuſta, nobiſque prærepta.*

Præterea Atticus Epiſcopus ad finem actuum Synodi Chalcedonenſis, modum perhibet conſcribendarum litterarum quæ Canonicæ, & formatæ dicuntur fuiſſe in Nicæno Concilio præſcriptum per litterarum Græcarum uſum, quarum aliæ numerales, aliæ nominum propriorum initiales ſint. Ad hoc tamen aliquis reſpondebit, viſum non fuiſſe Patribus decretum iſtud publicari, ſed ſecreto ſingulis Epiſcopis conſignari, ne facilè poſſent iſtiuſmodi epiſtolæ ab aliis ſupponi, & ut ſuppoſitæ dignoſci, ac dijudicari queant.

Extant inter Athanaſii opera mutuò ſcriptæ litteræ hujus, & Marci Papæ, Latinæ, non verò Græcæ. Scribit ad Marcum Athanaſius Arianos quaquaverſùm conquiſitos Canones Nicænos, per univerſum Orientem concremaſſe adeò, ut nullibi tota Ægypto reperiantur horum exemplaria. Addit fuiſſe primum fabricatos à Nicæna Synodo Canones octoginta, quos eadem ad ſeptuaginta reduxerit. Obſecrat Marcum Athanaſius,

ut ex Romanæ Eccleſiæ ſcriniis novum Synodi exemplar ad ſe tranſmittat. Reſpondet Marcus ſe Nicænos Canones ſeptuaginta ad ipſum, ut expetierat, tranſmittere. Geminæ iſtæ litteræ Baronio, aliiſque pleriſque falſæ videntur, & ſuppoſititiæ. Non enim fulciuntur ætatis antiquioris, ſed mediæ dumtaxat teſtimoniis, & ipſis tantum Latinis, ut Jvonis Carnotenſis *p.* 4. *decreti c.* 108. *&* 109. Stephani etiam Papæ epiſt. ad Lutobium Epiſcopum. Allegatur etiam à Synodo Florentina œcumenica ſect. 20.

Alphonſus quidem Piſanus, & Franciſcus Turrianus ambo è Societate Jeſu edidere ſub nomine Nicæni Concilii canones octoginta ex Arabico exemplari tranſlatos in Latinum, quos ab Alexandrino Patriarcha precario acceptos tranſcribi curaverant alii duo, quos ad hunc Patriarcham delegaverat Pius IV. ut ipſum ad Concilium Trid. invitarent. Huic alterum planè conforme Arabicum, idque vetuſtiſſimum exemplar repertum fuit in Bibliotheca ejus Cardinalis, qui poſteà ſummus Pontifex evaſit ſub Marcelli II. nomine. Arabica porrò lingua fuit olim, & nunc quoque eſt Lybiæ, Ægypto, & Pentapoli vernacula, & vulgaris. Veruntamen ſi his plagis tempore Cyrilli Epiſcopi Alexandrini canones hi octoginta nonnihil habuiſſent authoritatis, quis neget tranſmiſſurum omnes ad Carthaginenſes Patres enixè petentes, cùm tamen ſolos viginti traſmiſerit?

Abrahamus Echellen natione Syrus, religione Maronita, librum Romæ edidit de primatu Romani Epiſcopi, in quo Arabicorum canonum fidem aſtruere contendit. Illic primatum Romanum ſupra omnes Patriarchas monſtrat aſſertum à canonibus Arabicis tertio ſeptimo, & quadrageſimo quarto. Jura pariter appellationum à quorumcumque Epiſcoporum judiciis ad Papam canone ſeptuageſimo primo. Hoſque Arabicos nititur confirmare, tùm præfato Zoſimi ad Concilium

Car-

Carthaginenſe commonitorio, tùm appellatione Athanaſii ad Julium Papam juxta Eccleſiæ legem, ut loquitur Theodoritus, tùm teſtimonio Nicæno allegato, & recepto in Concilio Chalcedonenſi, de Romæ Eccleſiæ principatu, tùm denique mutuis Athanaſii, & Marci epiſtolis, tametſi duarum iſtarum vacillet fides, & nutet authoritas.

Suſpiciones autem ſuppoſitionis Canonum Arabicorum Echellenſis iſto non prorſus contemnendo argumento amolitur. Octoginta inquit Nicæni canones Arabici antiquiſſima traditione aſſeruntur, & aſſervantur penes omnes Orientales Eccleſias, dudum ſchiſmaticas, & hæreticas, tùm Melchitarum, qui per Syriam, Ægyptum, & Chaldeam diffuſi ſunt, Græcorumque ſchiſma, & hæreſim conſectantur: tùm Cophtorum, qui per Ægyptum diſperſi, Dioſcori dogma probant: tùm Armenorum Eutychis Hæreſiarchæ ſectatorum, qui per ambas Armenias latè propagantur: tùm Neſtorianorum, qui Meſopotamiam, & Babyloniam incolunt: tùm Jacobitarum Monothelitarum, qui Ninivem, & trans Tygrin amplas regiones habitant, Suſianam, Perſidem, Parthiam, quin & per Bactrianam, & Indos diffunduntur. Atqui nemo crediderit univerſos toto Oriente ſparſos hæreticos, ſchiſmaticoſque regionibus, religione, ritibuſque diſpares, linguiſque diverſos Eccleſiæ Romanæ infenſos, ſimul in hoc unum conſpiraſſe, ut canones ſub nomine primæ œcumenicæ Synodi ementirentur, & confingerent, quibus ejus quem tantoperè averſantur Romani Epiſcopi ſupra ſe omnes, poteſtas conſtabiliretur.

Scribit Athanaſius *epiſtola de Concilio Arim. & Seleuc.* fuiſſe accuratè conſcripta Nicænæ Synodi acta, ſuperſunt autem in tria volumina diſpertita hujus primi Concilii acta per Gelaſium Cyzicenum, quorum etiam meminit in Bibliotheca ſua Photius. Iſidorus quoque in prologo ſuæ canonum collectionis affir-

mat

mat, ſe à quibusdam epiſcopis ex Oriente profectis audiviſſe, aſſervari in illis regionibus uſum ab ipſis Codicem actorum Nicænæ Synodi, qui mole ſua quatuor Euangelia æquiparabat. Verùm nec iſtud Gelaſij Cyziceni opus omnes diſcutit ambiguitates. Haud enim pauca veteres primæ notæ ſcriptores de Nicæno Concilio perhibent, quorum nullum apparet in opere illo veſtigium. Mirum ſanè eſt res totius eccleſiaſticæ hiſtoriæ celeberrimas, & præ reliquis memorabiles, quales ſunt canones, & acta omnium, primi, & præcipui generalis Concilii: baptiſmum quoque primi, atque Illuſtriſſimi Chriſtianorum Imperatoris, qui Eccleſiam diriſſima, & diuturna præcedentium Imperatorum tyrannide penè obrutam non modo in libertatem aſſeruit, ſed etiam in maximum ſplendorem, & triumphum evexit, tantis involvi obſcuritatibus, adeòque gravibus, & tamen mutuò diſſidentibus veterum teſtimoniis; ut neque perſpicaciora ingenia ſe ab his extricare queant, ſuiſque in utramvis partem conjecturis oppoſita, & quaſi ineluctabilia diſpellere argumenta: ut alias omittam inſignes, & majoris momenti controverſias, quæ inter Theologos, validis hinc inde rationibus diſceptantur, neque diſceptari deſinent inter ipſos fideles, cùm tamen velit Deus illos, vel ex hoc ipſo propriam inſcitiam, humanique ingenii exilitatem agnoſcere, atque humiliter profiteri: ut addiſcant monente Apoſtolo, non velle, pluſquam oportet ſapere, ſed ſapere ad ſobrietatem.

(∴)

CON-

CONC. ROMANUM.

Sub Sylveſtro Pontifice.

MUltis rationibus vacillat fides actuum Romanæ primæ ſub Sylveſtro Synodi ante Nicænam fierique poteſt, ut Canones qui primæ Romanæ tribuuntur, procuſi fuerint in Romana illa, quæ Nicænam œcumenicam ſequuta eſt, eamque confirmavit. Et ſanè canones illos, non niſi poſt Nicænum, & ſubſequutum Romanum Concilium commemorat Damaſi Pontificale in Sylveſtro, & collectiones Conciliorum à Franciſco Turriano Societat. Jeſu editæ cæteræque anteriores, non niſi unius meminerunt Romani ſub Sylveſtro Concilii. Illud celebratum fuit in titulo equitii, quem Sylveſter ipſe erexerat in Thermis, quæ primum Titi, exinde Domitiani, poſtremò Trajani, nomen ſortitæ ſunt. Iſthic Damaſo teſte interfuerunt ducenti ſeptuaginta ſeptem Epiſcopi, qui Nicænam fidem, canoneſque approbaverunt. Statutum hic pariter fuit, ne Laicus Clerico audeat crimen inferre.

In iſto eodem conſeſſu legimus diſtinctos ordines Clericorum, ſcilicet Oſtiariorum, Lectorum, Exorciſtarum, Acolythorum, Subdiaconorum, Diaconorum, Sacerdotum, Epiſcoporum. Prima hic legitur mentio Cardinalium, tàm Diaconorum, quam Sacerdotum urbis Romæ. His nimirum cura, & præfectura titulorum, ſeu præcipuarum, ac Parochialium Romæ Eccleſiarum incumbebat, necnon pauperum, quibus ad vitam neceſſaria Diaconi ſubminiſtrabant. At nos fuſiùs de Cardinalibus ad ſecundum Concilium Lugdunenſe agemus.

Statutum pariter hìc legimus, ne Clericus coram Laico judice cauſam dicat. Circa iſtam Clericorum im-

immunitatem à Laicorum judiciis, Idem pariter ſtatutum eſt in Chalcedonenſi Concilio can. 9. aliiſque permultis Conciliis, præſertim Gallicanis, require infra, quæ hanc in rem fuſiùs diſſerunt ad Cabilonenſi Synodi Canonem 11. Edictum quoque hic fuit, ne Altaris Sacrificium in panno ſerico, vel tincto celebretur, ſed in puro lineo per Epiſcopum benedicto, quod referat mundam Sindonem, qua Chriſti mortuum corpus involutum fuit.

Poſt Nicænam Synodum ſtatuit in hac Romana Sylveſter, ut Eccleſiæ proventus quadrifariam diſpertirentur adeò, ut pars una Epiſcopo tribueretur, ſecunda Clero miniſtranti, tertia fabricæ, & ornamentis Eccleſiæ deſtinaretur, ultima pauperum neceſſitatibus applicaretur. Quod jus confirmarunt Pontifices Gelaſius, Gregorius Magnus, aliique relati in decreto *c. vobis enim*, *c. conceſſo*, *c. quatuor autem*, *c. mos eſt* 12. *q.* 2. Præterea in *c. ad hoc* 16. *q.* 1. ex S. Gregorii *l.* 3. *epiſt.* 11. & ejuſdem *epiſt. ad Auguſt Angl. Epiſcopum reſp.* 1. Meminit hoc idem Concilium baptiſmi à Sylveſtro Pontifice Conſtantino Auguſto collati, & mirificæ curationis à lepra, cui medendæ nefarium ex infantium ſanguine balneum medici præſcripſerant. Quæ hiſtoria refertur pariter in poſteriori Synodo Nicæna, necnon in vetuſtis Sylveſtri Papæ actis, quæ olim approbavit Gelaſius Papa in Concil. Rom. ſeptuaginta Epiſcoporum, ut habetur in *can. Romana Eccleſia diſt.* 15. his alludit Gregorius Turonenſis narrans Clodoveum Franciæ regem ad ſacrum Lavacrum properaſſe quaſi alterum Conſtantinum, ut mundaretur à lepra. Venantius Fortunatus eadem Sylveſtri acta commemorat in vita S. Marcelli. Ex Græcis verò ſcriptoribus Theophanes, & Simeon Metaphraſtes in vita S. Sylveſtri, Conſtantinum perhibent ab ipſo baptizatum. Quam in ſententiam magis propendet Baronius.

Baptizatum autem Nicomediæ ſub finem vitæ Conſtan-

ſtantinum fuiſſe graviſſima ſuadent teſtimonia. Hoc enim diſertè affirmat Euſebius *lib.* 4. *vitæ Conſtantini cap.* 62. addens collatum fuiſſe baptiſmum ab Euſebio Nicomedienſi. Etiamſi verò ſcriptor iſte ſit Arianus cum tamen de re omnium quæ ſuo tempore contigerant notiſſima, univerſoque orbi comperta teſtimonium publicum conſcriberet, ſi jam antea fuiſſet Romæ à Sylveſtro cum inſigni ſolemnitate; atque miraculi acceſſione baptizatus Imperator, non modò fuiſſet præfractæ impudentiæ, ſed projectæ omnino ſtultitiæ contrariam, & publicam teſtificationem ſcriptis mandare apud homines, qui ſub Conſtantino vixerant. Sit licet Euſebius ſit ſuſpectus author, non poteſt tamen ullatenùs ſuſpectum eſſe illius hac in re teſtimonium. Eidem ſubſcribit Ambroſius oratione in obitum Theodoſii: ſuffragatur etiam Hieronymus in Chronico, Socrates quoque *lib.* 1. *cap.* 39. Theodoritus *lib.* 1. *cap.* 32. Sozomenus *lib.* 2. quibus aſtipulatur Caſſiodorus *hiſtor. tripartitæ lib.* 3. Solet etiam hanc in partem proferri teſtimonium Epiſcoporum orthodoxorum, qui fuerant in Synodo Ariminenſi *in epiſtol. ad Conſtantinum* ſcripta, quam referunt Athanaſius *lib. de Synod. Arim.* & Socrates, & Sozomenus, & Theodoritus, & in fragmentis Hilarius; refert verò ea epiſtola Conſtantinum accepto baptiſmo, ex hac vita in æterna præmia commigraſſe. Cœterum Baronius ſolo unius Typographi errore ſubnixus, eo loci pro Conſtantino legendo autumat Conſtantem. Providè namque admonet Joannes Morinus in ſua Conſtantiniana Hiſtoria legi in omnibus quæ extiterunt Athanaſii editionibus Græcis, & Latinis, eo loci nomen Conſtantini, non verò Conſtantis, præterquam in columna Latina editionis Commelii: in Latina, inquam; ſiquidem in columna Græca contextus Græci ejuſdem Commelianæ editionis diſertè habetur Κωνσταντῖνος. Cæterùm editiones

ſnes Pariſienſes, cæteræque omnes à Commeliana explicitè habent apud Athanaſium loco præfato Χωνςαντῖνος, in Græca columna, & Conſtantinus in Latina. Perperam itaque ex unius Typographi mendo, quod erat corrigendum ex illibata columna Græca ejuſdem ipſius editionis adiacente illi Latinæ translationi, contendit Baronius corrigenda eſſe reliqua omnia Græca, Latinaque Athanaſii exemplaria, quæ conſtanter exprimunt Conſtantinum, ſed ipſa inſuper omnia tùm Hilarii, tùm Socratis, tùm Sozomeni, tùm Theodoriti exemplaria, quæ cum hanc eamdem Ariminenſium epiſtolam referant, nihil habent, ſive Græcè, ſive Latinè, quàm Conſtantinum, quemadmodum, & Caſſiodori Tripartita hiſtoria. Perſpicuè igitur arguunt teſtimonia poſt Euſebium memoratum, tùm Athanaſii, tùm Hilarii, tùm Ambroſii, tùm Hieronymi, tùm Socratis, tùm Sozomeni tùm Theodoriti, tùm Caſſiodori: Quibus addendus Gelaſius Cyzicenus apud Photium, necnon Euagrius, & Chronicon Alexandrinum, itemque Alexander Monachus in ſuo Græcè conſcripto de ſacræ Crucis Inventione libro, fuiſſe baptizatum Nicomediæ Bithyniæ in Civitate Conſtantinum Auguſtum ſub exitum vitæ.

Porrò vetuſtiores Conciliorum editiones in unum Romanum Concilium à Nicæno proximum compingunt, quæ in duo poſteriores editiones diſpertiverunt, Sed iſta diſcuſſio levioris eſt momenti, quàm ut in ea facienda ſit mora.

Geſta per Arianos contra Nicænam fidem ſub Magno Conſtantino, & de Tyri Conciliabulo.

Fidei ſymbolum in Nicæna Synodo procuſum refert Athanaſius de fide ad Jovianum, cui ficte, & non ex animo Ariani ſubſcripſerunt. Arius ipſe, ut Anatematis infamiam, & exilii pœnam declinaret,

Ni-

Nicænam fidem ſubdolè, & diſſimulanter profeſſus eſt. Ideòque à Conſtantino reſtitutus ſub conditione hac, ne Alexandriam reverteretur, ut docet Athanaſius Apologia 2. addunt Socrates, & Sozomenus edictum Conſtantini, ut decretis Nicænis ab omnibus obtemperetur, propoſitis in refractorios pœnis exilii, & bonorum amiſſionis: utque Arii libri non modò hæretici, ſed etiam obſcænus ille quem Thaliæ titulo inſcripſerat ignibus traderentur: ut vocarentur Porphyriani omnes hujus hæreſis ſectatores odioſo Sophiſtæ nomine, qui nefariis libris Chriſtianam Religionem proſciderat. Dum vixit Conſtantinus Ariani Nicænæ fidei apertè obſiſtere auſi non ſunt: At eam labefactare, & quaſi occultis cuniculis ſubvertere non deſtiterunt, aſſiduis adversùs præcipuos hujus fidei cultores molitionibus, & apud principem calumniis, in Athanaſium præſertim furor illorum deſævijt. Vita functo poſt Nicænam Synodum, Alexandro, clerus, populuſque Alexandrinus, in ſedem Alexandrinam promovit Athanaſium, obſiſtentibus licèt, & frementibus, indieſque tumultuantibus Arianis.

Fax Arianorum præcipua erat Euſebius Nicomedienſis Epiſcopus, qui aulicis artibus Conſtantini gratiam, & conſuetudinem in primis nactus fuerat. Hic imperiale reſcriptum ab illo per dolum extorſit minis refertum adversùs Athanaſium, niſi Arium in urbem Alexandriam, & in communionem reciperet. Athanaſius tantum malum prudenti reſponſione divertit, reſponditque Arium recipi non poſſe ſine manifeſta fidei Nicænæ, & publicæ quietis proditione. Videndus ipſe Athanaſius *Apolog*. 2. Theodoritus *l*. 1. Sozomenus *l*. 1. & Ruffinus *l*. 1. qui ſimul referunt hæc quæ ſequuntur.

Euſebius Nicomedienſis doli, & ſcelerum artifex curat occultè detineri Arſenium Apiſcopum, ſubornatque accuſatores, & teſtes Athanaſium apud Princi-

pem

pem criminantes fuiſſe ab illo per ſummum nefas Arſenium trucidatum, & retentam occiſi manum ad magicas præſtigias, quam ad criminis indicium proferebant. Hujus, aliorumque criminum quæ Athanaſio imputabantur cognitionem Imperator Synodo commiſit, quam ſuadente Nicomedienſi Cæſaræ Palæſtinæ Metropoli indixit, cujus erat Epiſcopus Euſebius alter Arianæ ſectæ dux inter præcipuos, qui ſcriptis libris, & habitis coram Conſtantino orationibus in ſumma erat commendatione. Cæſaræam itaque conveniunt Orientis Epiſcopi majori ex parte Ariani Citatus Athanaſius horum judicium declinabat, tùm quia infenſos adverſarios ipſos patiebatur, tùm quia illorum non ſuberat juriſdictioni, utpotè altioris Sedis, & Eccleſiæ Patriarcha. At Conſtantinus ab Arianis eluſus mandat ei, ut ſe judicio Synodi ſiſtat, neque cauſam ſuam fuga, & indebita evaſione prodat, ſi ſit innocens: ſimulque Synodum transfert in Tyrum Phœniciæ Metropolin, atque Euſebianorum ſuaſu Dionyſium Comitem illis addictiſſimum, & profeſſione Arianum, cum militari manu delegat ad Synodum.

Athanaſius ſic affectum videns Conſtantinum ſatiùs duxit, Tyrum concedere, ſecumque adduxit quadraginta ſeptem ſuæ Patriarchiæ Epiſcopos, quos inter eminebant ſancti Confeſſores Potamon, & Paphnutius; præterquem numerum Euſebiani ſexaginta Epiſcopi convenerant, ut ſcribit Socrates, *l.* 1. *c.* 20. his omnibus præſidebat Euſebius Cæſarienſis. Jubent Euſebiani, ut Athanaſius ſtet reus, ſuamque coram Synodo cauſam dicat: tum Potamon Heraclææ in Ægypto Epiſcopus, ut refert Epiphanius *hæreſi* 68. converſus ad Cæſarienſem Euſebium, hæc illi lacrymans exprobravit: Tu Euſebi ſedes ſtante in tuo conſpectu Athanaſio? quis tantam indignitatem non perhorreſcat? an ne meminiſti, te mecum in carcerem, dum furebat Diocletiani perſecutio fuiſſe detruſum; illic orbatus oculo

fui,

fui, ut in hac facie vides, & poplite ſucciſus ob conſtantem fidei confeſſionem. Tu verò nullam in tuo corpore referens notam dimiſſus es integer, & illæſus, quia Gentilium acquieſcens voluntati libertatem tuam, & corporis indemnitatem proditione redemiſti Chriſtianæ religionis.

Proteſtatus Athanaſius primùm fuit de judicum incompetentia, ſed ipſius à Pſeudo-Synodo declinatione rejecta, producti ſunt accuſatores ex Meletiana factione manum exhibentes, quam mentiebantur occiſo per ipſum Arſenio amputatam. Arſenius porrò qui niſi fuga ſalutem quæſiviſſet, proximè ab Euſebianis, ne flagitium internoſci poſſet tam perditæ ipſorum impoſturæ in occulto ſtrangulandus erat, per inſignem Dei providentiam, paulò ante de carcere dilapſus, nocte intempeſta ad Athanaſium diverterat, qui eum hactenus abditum de repentè in conſpectu Concilium malignantium conſtituit, ejuſque pallium ex utroque latere removens: En, inquit, Arſenii dexteram, en etiam ſiniſtram ejuſdem manum: nunc ab his accuſatoribus percunctamini undenam iſtam quam proferunt hominis manum acceperint? Scribit præterea Theod. *l.* 1. *c.* 3. ſubornatam ab Arianis mulierem poſtulaſſe Athanaſium illati ſibi per vim ſtupri, cum illum ſuſcepiſſet hoſpitio. Cùm igitur mulier in Athanaſium ſuas querelas proponeret, progrediens Timotheus Presbyter, ego ne (ait) mulier vim tibi, & ſtuprum intuli? tum ipſa credens, eſſe ſibi ignotum Athanaſium, convitiis Sacerdotem excipiens rem præfractius aſſeverat, & judicum fidem contra Timotheum obteſtatur ad ſceleris vindictam. Objecta pariter Athanaſio fuit ſacri cujuſdam calicis effractio, quam cùm ille negaret, commiſit Pſeudo-Synodus hanc inquiſitionem delegatis à ſe infenſiſſimis Athanaſio Epiſcopis Theognidi Nicææ, Valenti Murſi, Urſacio Singidonis, aliiſque Arianis Epiſcopis, ut in Mareotidem profecti, rem pleniùs inveſtigarent.

Egreditur ex illo malignantium Concilio Athanaſius, atque ad Imperatorem proficiſcitur: interea Legati ex Mareotide redeunt legatione, quàm celerrimè, & iniquiſſimè functi. Damnatur a Conciliabulo innocens Athanaſius, & ſede Alexandrina depellitur, ut ipſe in ſua teſtatur Apologia.

Peracta Tyri Synodo, Euſebiani mandato Conſtantini Jeroſolymam conveniunt ad magnificæ dedicationem Baſilicæ, quam largis ſumptibus extruxerat. Dumque illi Jeroſolymis conſiſtunt, Arium novam fidei confeſſionem, in qua nulla erat conſubſtantialis mentio profitentem publicè complectuntur, atque in communionem recipiunt: Synodalibus litteris Conſtantino commendant, & obnixè ſupplicant, ut eum ſinat Alexandriam regredi.

Interea innumeris ſuperatis obſtaculis per aulicos objectis, qui Athanaſium ab acceſſu principis omnimodè arcebant, perpeſſus innumeras repulſas magnanimus Chriſti Confeſſor Imperatorem tandem adiit, eiq; adverſariorum nequitiam, & fraudes propalavit. His compertis Conſtantinus antiſtites, qui Tyri conſederant, Conſtantinopolin accerſivit ad ſe, judicii contra Athanaſium rationem reddituros. Cæteris Epiſcopis ob ſceleris conſcientiam detrectantibus, & moras nectentibus ſex tantummodò regiam in urbem advenerunt, ſuæ in Aula poteſtati, ſuarumque fraudum confiſi præſtigiis, uterque ſcilicet Nicomedienſis, & Cæſarienſis Euſebius, Theognis, Patrophilus, Valens, & Urſacius; qui ut judicii Synodalis examen effugerent, veteribus omiſſis calumniis, novas alias in Athanaſium comminiſcuntur, quibus denuò Conſtantinum adverſus Athanaſium concitarunt, eum comminatum fuiſſe aſſeverantes prohibiturum ſe annonæ ex Ægypto tranſvectationem ad regiam civitatem, atque teſtes partim à ſe ipſis, partim à Dionyſio corruptos produxere quinque Epiſcopos Ægyptios, ex illorum numero qui Athana-

ſium

ſium comitari, eumdem in Tyri Pſeudoſynodo pro viribus defenderant. O humani animi deplorandam levitatem, inconſtantiam, & perfidiam; Conſtantinus omni alia perquiſitione omiſſa, graviterque Athanaſio ſuccenſens, Treviris illum exulare jubet: non tamen permiſit Euſebianis, quod avidiſſimè expetebant, alium ejus loco deligere Alexandrinum Epiſcopum: hoc tamen obtinuerunt, ut Alexandriam, unde Athanaſius ejiciebatur, regrederetur Arius. Verùm ſtatim, atque in ea civitate verſari cœpit Hæreſiarcha, omnia tumultu, & violentiis replevit, ideòque eum aliquantò poſt urbe excedere juſſit Conſtantinus.

Treviros profectus Athanaſius à Maximino illius civitatis Epiſcopo, atque ab ejus Clero, & populo, tanquam Dei Angelus, atque uti verè erat invictiſſimus fidei confeſſor, & propugnator exceptus eſt. Nec multò poſt exceſſit ex hac in meliorem vitam Conſtantinus anno à Chriſto 337. diviſo inter filios tres Imperio, quos ei Fauſta Maximiani Herculii Imperatoris filia pepererat, Conſtantino enim natu maximo Gallias, Hiſpanias, Britannias, & quidquid trans Alpes erat, attribuit: Conſtans natu minimus Italiam, Siciliam, Africam, Græciam, & Illiricum ſortitus eſt: Conſtantius natu inter ambos medius Aſiam, & Orientem cum Ægypto adeptus fuit.

Geſta ab Arianis poſt Magni Conſtantini exceſſum.

CONſtantino Patre mortuo, Conſtantinus junior Nicænæ fidei cultor ex Galliis, ubi regnabat, Athanaſium cum honorificis litteris Alexandriam remiſit, non auſo Conſtantio cui parebat Ægyptus, quique Arianam apertè fovebat impietatem, obſiſtere, metu fraterni belli, infeſtantibus etiam ditionis ſuæ fines Perſarum armis. Quicumque etiam alii orthodoxi Epiſcopi fuerant à Tyri Conciliabulo propriis Eccleſiis

ejecti, reſtituti ſunt opera Catholicorum Principum Conſtantini, & Conſtantis: qua occaſione Ariani ſeditiones, & tumultus paſſim excitarunt, vita functis Romæ Pontificibus Sylveſtro, ejuſque ſucceſſore Marco, Julius Thronum Apoſtolicum aſcendit. Cùm vero Euſebiani, neque Athanaſium, neque Orthodoxos Alexandrinos ſinerent eſſe quietos, & priſtinas in Athanaſium calumnias retexerent calicis effracti, læſæque Imperatoriæ Majeſtatis, obtenderentque ipſum Synodali ſententia depoſitum non potuiſſe ſolo Principum màndato reſtitui, Julius Romæ Epiſcopus cauſæ hujus diſcuſſionem in Romana Synodo à ſe indicta ſuſcepit. Athanaſium igitur, ejuſque adverſarios ad cauſam in Concilio dicendam, miſſis in Orientem Legatis, citavit. Athanaſius ſe judicio ſynodali Romæ ſtitit, & Euſebianos tergiverſantes, atque evaſionum leves prætextus conſarcientes annum integrum cum dimidio expectavit. In Romano itaque pluſquam quinquaginta Epiſcoporum Concilio cauſa ejus accuratiſſimè explorata, reſtitutus demum Athanaſius in priſtinam ſedem fuit, ut ipſemet prolixius commemorat in 2. Apologia, quæ Julii quoque epiſtolam continet, quę facit fidem, hoc eodem Romano Concilio fuiſſe pariter abſolutum, & ad propriam Eccleſiam remiſſum Marcellum Anciræ Antiſtitem, alioſque complures Epiſcopos ex Thracia, Cæleſiria, Phænicia, Palæſtina: Presbyteros etiam pleroſque, qui eodem ex Aegypto, & aliunde convenerant. Deſiit Romanum iſtud Concilium anno Chr. 341. Quo eodem anno Euſebiani, qui detrectatum Romæ vadimonium frivolo belli Perſici prætextu apud Julium excuſaverant, Pſeudo-Synodum Antiochiæ cogerunt ſpecie quidem dedicandæ baſilicæ à Conſtantino in ea civitate conſtructæ, ſed revera ut abſolutioni Athanaſii, quam Romæ futuram augurabantur, novam Conciliabuli condemnatoriam contra Athanaſium ſententiam opponerent. Quin etiam ut eidem

via

via omnis reditus intercluderetur, Epiſcopum Alexandriæ crearunt Georgium Cappadocem qui eò adventans cædibus, rapinis, omnique violentia in orthodoxos graſſatus eſt.

Interea divinus Athanaſius clàm Alexandria, quò paulò antè conceſſerat, digreſſus, Romam denuò repetit, ibiq; triennium commoratur: quò etiam ut ad commune afflictorum aſylum, alii non pauci ab Arianis pulſi Antiſtites confugerunt, ut teſtatur Socrates l. 2. c. 11. inter quos fuere Aſclepas Gazæ. Marcellus Ancyræ, Lucius Adrianopoleos, & Paulus Conſtantinopolis Epiſcopi non ſolùm enim catholica fides Romæ illibata florebat; ſed etiam Roma ipſa, totaque Italia Conſtanti religioſiſſimo Principi eo tempore parebat.

Exacto Romæ triennio, Athanaſius inde Mediolanum commigravit à Conſtante accitus; Quo ſatagente, & urgente, ipſoque Conſtantio demùm annuente, celebrata eſt Sardicæ generalis Synodus anno 347. ejus Synodi decreto Athanaſius, Paulus; aliique extorres Epiſcopi priſtinas repetivere ſedes: unde tamen rurſùs ab Arianis dejecti ſunt.

Ariana quoque perfidia crudeliter eſt divexatus Euſtachius Antiochenus ille in Nicæna olim Synodo ſpectabilis, ſanctitate vitæ, doctrinæque inſignis. Adverſus hunc in Pſeudoſynodo Antiochena Euſebius Cæſarienſis, Theognis Nicænus, aliique facinoroſi præſules meretricem ſubornarunt, quæ Euſtachium in medio patrum conſeſſu reum poſtulavit, quod cùm ex ſe infantem quem ulnis geſtebat, progenuiſſet, educationis tamen impenſas non exolveret. Alii quoque detulerunt ſiniſtrè de Fauſta Imperatoris matre fuiſſe locutum. Sed accuſatrix mulier calumniæ pœnitens, quia innocentiſſimum Præſulem circumvenerat, eamdem poſtmodum retractavit, ut teſtificatur Theodoritus, ſeque pretio corruptam ab Euſebio Cæſarienſi, ut perfidè adverſus Euſtachium

Epiſcopum mentiretur, publicè declaravit: Nec minus tamen ab Antiocheno Conciliabulo Euſtachius depoſitus fuit, & à Conſtantio relegatus, extremum diem poſt multas ærumnas clauſit in exilio. Huic depoſito Ariani Stephanum, deinde Eunuchum Leontium utrumque Arianum ſubſtituerunt. Euſtachius ſcriptis libris Eccleſiam illuſtravit, qui ab Hieronymo Theodorito, aliiſque veteribus celebrantur.

Conſtantinopolitanæ autem Eccleſiæ perſecutionis hiſtoria altiùs à Conſtantini regno repetenda eſt, quo tempore Arius virus ſuum in Ægypto, & finitimis oris ſpargebat. Alexander Conſtantinopolis Eccleſiæ gubernacula regebat. Alexandro Alexandriæ Epiſcopo & ſtudio religionis, & morum ſimilitudine conjunctiſſimus, à quo etiam epiſtolam accepit circa naſcentem hanc hæreſim, quæ refertur à Theodorito l. 1. cap. 4. Alexander Conſtantinopolis Epiſcopus, quanta valuit ſedulitate curavit, ne tanta lues in regiam urbem propagaretur: eamdemque poſtmodum in Nicæna ſynodo hæreſim, cum aliis Patribus condemnavit.

Attamen Euſebiani cum in aula Principis gratia, & poteſtate prævalerent, tantum effecerunt, ut Conſtantinus Arium reſipiſcentiam à ſuis erroribus ſimulantem benigniſſimis litteris acciverit, potiturum in ipſa regia civitate fidelium communione: & mox accedentem Hæreſiarcham ſingulari benignitate complexus ſit Alexander, ubi fruſtra Imperatorem admonuit, rogavit, & obteſtatus fuit, jejuniis, lacrymis, & orationibus intentus noctem totam Deum ſupplicando in Eccleſia excubavit. Poſtridiè Arius cum ampliſſimo comitatu agmen ducente Nicomedienſi Euſebio, ad templum progreditur. Verùm urgente ventris neceſſitate cogitur de via in publicas latrina divertere: ubi divina exceptus ultione diſruptis viſcerum compagibus, inſtar execrandi Iudæ ſua effudit inteſtina, ſimulque fœdiſſimam animam. Quo eventu plures commoti admiſ-

miſſam hæreſin ejurarunt. Ipſe Conſtantinus divinam in homine nefario vindictam agnovit, & revocare Athanaſium Treviris exulantem propoſuit: nec tamen præſtitit morte ipſe præventus, ut refert Athanaſius orat. 1. contra Arianos.

Demùm anno 340. Alexander Conſtantinopolis Epiſcopus inſtante ſuæ mortis die, ne Arianorum factio ſucceſſorem ſibi Arianum provideret, ſedulam dedit operam, ut ſibi defuncto Paulus Sacerdos meritiſſimus ſubrogaretur, quod & factum eſt obſiſtentibus licèt Arianis. Cæterum adveniens primum Conſtantinopolin Conſtantinus mortuo patre Paulum urbe exegit, ejuſque in ſedem Euſebium promovit deſultorium Epiſcopum, qui primum Beryti Epiſcopus in Nicomedienſem Sedem tranſiliit, atque ex illa in Conſtantinopolitanam ſe ambitiosè proripuit. Paulum Conſtantius in Pontum deportari juſſit. Poſt biennium deinde mortuo tot facinorum auctore Euſebio, Paulus in priſtinam ſedem regreditur: ſed Arianis adverſùs eum tumultuantibus, Conſtantius Antiochia excedens Conſtantinopolin iter aggreditur, unde Paulum exulare jubet in Singera Meſopotamiæ ferro vinctum, ut refert Athanaſius *epiſt. ad Solitar.* ruſùmque inde in Emeſam, quarto demum exilio Cucuſum Cappadociæ ad fines Armeniæ in deſertis Montis Tauri: quo loco in ſquallenti, & obſcuro carcere incluſus eſt, fame frigoreque necandus: poſt ſex dies Ariani recluſo carcere ſpirantem adhuc laqueo ſtrangulant, ut ibidem Athanaſius refert.

Synodus Gangrenſis.

GAngræ in Paphlagonia Magno imperan[illegible] ſtantino celebrata Synodus fuit, [illegible] notitiam Synodicæ litteræ ſuppeditant, [illegible]e C[illegible] ſtachii errores recenſentur, quoru[illegible] cujus u[illegible] in quibus [illegible] [illegible] cauſa indict[illegible] [illegible]ſtu[illegible]

iſtud Concilium fuit, Euſtachius iſte Manichæorum deliria propagavit, cujus meminere Socrates l. 2. c. 33. & Sozomenus l. 3. c. 15. Nuptias eò uſque damnabat, ut omnem ſalutis ſpem conjugatis adimeret, eoſque qui cum presbyteris olim ante ordinationem conjugatis communicarent, execraretur. Idem quoslibet connubio conjunctos diſjungebat: quo fiebat, ut innumeri poſt abdicata matrimonia continere non valentes, adulteriis, omniq; ſpurcitia ſe contaminarent. Solemnes in Eccleſia conventus deſpicientes Euſtachiani privatos conventus agitabant. Novis etiam, & inuſitatis veſtium formis utebantur. Servos à propriis dominis abducebant. Mulieribus virorum indumenta, & capillorum detonſionem ſuadebant. Divites qui ſe ſuarum opum poſſeſſione non abdicabant, excludebant penitùs à regno cœleſti. Et quaſi conſpiraſſent contraria reliquis omnibus incedere via, deteſtantes reliqua jejunia, ſola probabant, & ſanciebant jejunia dierum Dominicarum. Carnium etiam comeſtionem, ut rem de ſe abominabilem omni tempore damnabant. Oſii præſentia Cordubenſis Epiſcopi, qui Synodo huic interfuit, præſeditque, ſatis arguit coactam tunc temporis fuiſſe, quando impoſita ſibi Apoſtolica Legatione à Sylveſtro fungebatur in Oriente, ut divexatas, & nutantes Eccleſias confirmaret. Ideòque Symmachus Pontifex in Romano Concilio Gangrenſes canones aſſerit Apoſtolica authoritate decretos.

Canon 2. fidem facit, eo tempore fideles per religionem a ſanguine, & ſuffocato abſtinuiſſe, juxta decretum Apoſtolicum, Act. 15. ex epiſt. Gallicanarum Eccleſiarum Lugdunenſis, & Viennenſis ad Eccleſias Aſiæ refert Euſebius *l.* 5. *hiſt. Eccl. c.* 1. Sanctam Martyrem Biblydem, ſub immani perſecutione Marci Aurelii Antonini, & Lucii Veri Imperatorum ſic locutam fuiſſe ad Gentilem præſidem, plebemque circumſtantem: quo modo poſſemus nos Chriſtiani in animum inducere-

ut,

ut infantes, quemadmodum calumniamini, devoremus, qui nefas eſſe ducimus ſanguine veſci vel brutorum. Tertullianus *apologet. cap. 9.* eamdem calumniam eodem refellit argumento abſtinentiæ ab animantium ſanguine. Sed & his longè poſteriùs Concil. in Trullo quiniſextum anni 707. can. 67. eamdem ſanguinis, & ſuffocatorum animalium prohibitionem inſtaurat. Quæ cùm ſit ab Apoſtolis præcepta, non ut divini, ſed humani juris, ac Eccleſiaſtici, ut ſe Judæis aliòqui ſcandalizandis, & à converſione ad Chriſti fidem deterrendis accommodarent, potuit ſenſim legis hujus obligatio antiquari, ex quo ipſius cauſa, finiſque deſivit. Præterea, ut obſervavi ad tertium Apoſtolorum Concilium, ex Actis liquet Apoſtolorum cap. 15. & Ex. 1. Cor. 8. præceptum abſtinendi à ſanguine, ſuffocatis animantibus, & idolothytis fuiſſe, non omnibus Chriſtianis, ſed ſolis Syris, & Cilicibus impoſitum.

Can. 12. illos præſtringit, qui cùm ſibi peculiare veſtis genus aſciſcant, eos audent damnare, illorumque averſari communionem, qui vulgari, & communi veſte utuntur. Hæc obſervatio argumentum Novatorum retundit, quo ſpecialia veſtimenta reprobare intendunt, ex vi hujus Canonis, quibus Clerici, & Monachi amiciuntur: Cùm tamen perſpicuum ſit, Eccleſiam per hoc minimè damnare Laicos communi cultu indutos. Hæc ſunt hujus canonis verba: *Si quis propter eam quæ exiſtimatur exercitationem amictu Pallii utitur, & tanquam ex eo habens juſtitiam eos condemnat, qui cum pietate beros, ac veſtem communem, & uſitatam ferunt, ſit anathema.* Pallium utpotè ſimplicius veſtis genus aſſumebant, tùm Philoſophi Ethnici, tùm Chriſtiani plerique ad purioris, & ſegregatioris vitæ profeſſionem. Et quum abjecta toga, ſumptoque pallio Tertullianus quaſi novi generis vitæ ſectator, humanique generis oſor inſimularetur, ſuum procudit de pallio tractatum, quod ita deſcribit, ut ſit extima veſtis tunicæ ſuperinducta,

qua-

quadrata, ex utroque laterum regeſta, & per fibulam ad collum alligata.

Can. 2. anathemate ferit, aut (quod faciunt hæretici Calviniani,) abhorrent fidelium conventus ad Martyrum ſepulturas, & ſacra reprobant quæ inibi celebrantur: quique memorias Sanctorum vita functorum criminantur.

Canon 21. obſervari jubet omnia non ſolùm quæ Scriptura præcipit, ſed etiam quæ traditionibus Apoſtolicis continentur: damnatque profanas novitates, quas hæretici invehunt. Quam igitur ineptè ſectarii abutuntur Gangrenſibus Canonibus contra Eccleſiaſticum cœlibatum, & abſtinentias, indumentaque religioſa, quæ tùm approbavit, tùm ſegregatioris vitæ profeſſionis hominibus præſcripſit ſancta Dei Eccleſia, alio longè fine quam Manichæi, nuptias ideò, & carnium uſum reprobantes, quia hæc eſſe de ſe mala, atque adeò per diabolum, tùm creata, tùm introducta dicerent. Cùm tamen Chriſti Eccleſia, res illas per ſe bonas, Deique opera eſſe prædicet nihilque condemnet, quàm animi protervIam obedire detrectantem, aut perfidiam ejus, qui ſpontaneo voto melioribus, & perfectioribus aſtrictus, ſuam idcircò damnationem habet, quia primam fidem irritam facit, ut diſertè loquitur Apoſtolus 1. Timot. 5. de viduis, quæ nubere volunt poſt continentiæ perpetuæ profeſſionem. Hæc verò Catholica diſcrimina perſpicuè indicant decem Gangrenſes canon. 1. 2. 4. 6. 9. 10. 12. 13. 14. 21. Eccleſia verò traditione Apoſtolica, quæ hoc canone 21. aſtruitur, & ſibi à Deo conceſſa poteſtate utens, nonnullas dapes aliquandiù prohibet, quemadmòdum primis parentibus fructum ſcientiæ Deus interdixit, quem tamen ſciebat bonum, & à ſe creatum eſſe.

Traditiones Apoſtolicas, quas Gangrenſis canon 21. aſtruit veteres Patres confirmant ipſis etiam ſacris ſcripturarum teſtimoniis. Baſilius *lib. de Spiritu ſancto cap.*

cap. 29. duo Pauli teſtimonia ad faciendam traditionibus fidem profert, ſcilicet 1. Cor. 11. *Laudo vos quod per omnia mei memores eſtis, & ſicut tradidi vobis præcepta mea tenetis*. Et 2. Theſſ. 2. *Itaque fratres tenete traditiones quas accepiſtis, ſive per ſermonem, ſive per epiſtolam noſtram*: additque ibi Baſilius non ſcriptas traditiones Apoſtolicas, paris eſſe authoritatis cum Apoſtolicis ſcripturis apud omnem Eccleſiam. Chryſoſt. item in commentariis ad utrumque Pauli locum admonet Apoſtolum loqui de traditionibus non ſcriptis, & ſimul addit iſtas non minorem fidem mereri quam quæ Apoſtoli ſcriptis commendarunt, ſimilia profert Tertul. *lib. de coron. mil.* in quo poſtquam varias baptiſmi cæremonias, & ſigni crucis frequentiſſimum apud fideles, ad frontem producta manu in omni opere uſum, & anniverſarium pro defunctis ſacrificium aliaque hujuſmodi commemoratus eſt; ita ſubjungit: *Harum, & ſimilium diſciplinarum, ſi legem expoſtules ſcripturarum, nullam invenies; traditio tibi prætenditur auctrix, conſuetudo firmatrix, & fides obſervatrix*. Itemque *lib. de præſcr. contra hæret.* ex inſtituto docet hæreticos non ex ſcripturis, ſed ex traditionibus refellendos eſſe.

CONCIL. ANTIOCHENUM.

CHriſti anno 341. habita fuit Antiochiæ Synodus partim Orthodoxorum, partim Arianorum Antiſtitum, quo ferè tempore Iulius alteram Romæ celebrabat in cauſa Athanaſii, & Marcelli Ancyrani, qui & ipſe fuerat Conſtantinopolis Conciliabulo, quod Tyri Pſeudo-Synodum proximè ſubſequutum eſt depoſitus, ſub Imperio Magni Conſtantini. De his Socrates loquitur *l.* 1. *cap.* 13. & *tripartita hiſt. lib.* 3. *cap.* 9. Hæc porrò Synodus Antiochena coacta fuit Encæniorum occaſione: convocarat enim Epiſcoporum cœtum Conſtantius Auguſtus ad dedicandam Antiochiæ Baſili-

-ſilicam à Conſtantino inchoatam, & ab ipſo Conſtantio perfectam, cui à ſplendore, & magnificentia operis nomen inditum dominici aurei: ipſeque Conſtantius his Encæniis, & Synodo interfuit.

Convenerunt Epiſcopi nonaginta, in quibus fuere Ariani 36. & propriis fraudibus inſtructi, & principis authoritate ſuffulti, qui ſeorſim ab Orthodoxis, & his enixè renitentibus, diverſas fidei formulas verbis ſemper ambiguis recuderunt, ſuppreſſaq; homouſii voce, iidem Athanaſium depoſuerunt ſibi tantòpere inviſum, & exoſum hoc prætextu, quòd cùm fuiſſet Tyri Conciliabulo damnatus, ſe reſtitui abſque ullo Concilii decreto, ſed ſolis Junioris Conſtantini litteris curaſſet, conivente per prudentiam Conſtantio, ne propter Athanaſium quies Imperii, & fraterna concordia interturbaretur.

Sanè Conſtantini Junioris interitus Arianorum poteſtatem, & quidvis agendi licentiam auxit. Hic anno præcedente ſcilicet 340. dum bellum haud ſatis juſtum adversùs Conſtantem fratrem natu minimum parat, interfectus eſt, apud Aquilejam. Hac ergo Antiochena Synodo Ariani depulſo Athanaſio Gregorium Cappadocem in ejus ſedem protrudunt, quem Julius Papa in ſua epiſtola, quam refert Athanaſius apol. 2. dicit à 36. Epiſcopis promotum, cœteris Epiſcopis, qui hunc numerum excedebant obſiſtentibus, & reclamantibus: in quibus erat admirabilis ille Jacobus Niſibis Antiſtes, qui & olim Nicæna in Synodo conſederat. Hujus Pſeudoſynodi ſuperſunt Canones 25. quorum aliquibus authoritatem indulſit Eccleſiæ uſus, & approbatio.

Can. 1. inſtauratur decretum Nicænum de Paſchate die Dominica celebrando.

Can. 2. ab Eccleſiis eos ejici mandat qui nolunt ſacræ Euchariſtiæ communicare. Illos quoque à fidelium ſocietate reſecat qui cum excommunicatis participant. Quoad iſtam partem convenit cum Apoſtolorum can.

can. 10. eos exconimunicante, qui cum excommunicato ſimul precati in domo fuerint. Similem inferiùs requirito Carthaginenſis Concilii 4. can. 73. Denique poſteriorum temporum indulgentior diſciplina infert in iſto caſu minoris excommunicationis pœnam, quæ nec à ſuffragiis, nec à conſortium fidelium, nec à conferendis alteri Sacramentis excludit: ſed à ſola Sacramentorum receptione, *c. Cum excommunicato* 11. *q.* 3. *&c. nuper de ſent. Excomm.* Plura exquirito inferiùs, circa hæc ad canonem 3. Concilii Lateranenſis ſub Innocentio II. Pontifice. Altera deinde ſucceſſit ex Conſtantienſi Concilio moderátio, ut excommunicationi etiam minori locus non ſit ex participatione cum excommunicato, niſi hic publicè fuerit, ac nominatim denunciatus.

Quoad verò priorem hujus 2. can. Anthiocheni partem, de ſuſcipienda ab omnibus qui aſſiſtunt, nec Canone prohibentur, Euchariſtia, id habet conformitatem cum Apoſtolorum Canone 8. illos excommunicante, qui convenientes in Eccleſiam non communicant. Cui conformatur etiam Apoſtolorum canon. 10. quos omnes canones, qui exactius perpenderint, non aliud concludet, quàm fuiſſe præceptam communionem, iis dumtaxat qui altari ſubminiſtrant Clericis, & à fidelium pariter ſocietate excludi τὺς ἀποςρεφομένυς τὴν μεταλῆψιν τῆς εὐχαριςίας κατά τινα ἀταξίαν, ut loquitur canon Antiochenus. Hoc eſt *averſantes participationem Euchariſtiæ, per aliquam perverſitatem*. Pontifex Anacletus *epiſt.* 1. *n.* 2. poſtquam admonuit ſacrificanti ſolemniter Epiſcopo plures adſtare debere Sacerdotes, & Diaconos, & Subdiaconos, alioſque Miniſtros ſacris veſtibus indutos, ſubdit conſtitutum ab Apoſtolis fuiſſe, & hanc eſſe Eccleſiæ Romanæ diſciplinam, ut peracta conſecratione univerſi communicent: illi nimirum de quibus loquitur, qui ſolemnis ſacrificii ſtant adminiſtri, *c. Epiſcopus de conſecr. diſt.* 2.

Edi-

Edidere pridem Canonici Colonienſis Eccleſiæ eruditum antididagma ad Hermanum Coloniæ Agrippinæ Archiepiſcopum apoſtatam Luteranum, ubi conſtanter negant fuiſſe ullo unquam tempore Laicis in Eccleſiam convenientibus quotidianam communionem injunctam. Dionyſius etiam Petavius ad Epiphanianam fidei expoſitionem, dicit eſſe falſiſſimam, & ſtolidam illam Caſauboni aliorumque perſuaſionem, fideles, miſſæ quando intererant, incurriſſe communicandi obligationem. Quod eò magis falſi convincitur ipſo decreto Fabiani Pontificis, qui ſub Decio Martyrium ſubiit. Tribus enim ſolum anni temporibus laicos fideles aliundè non impeditos ad ſacram communionem obligat. *c. & ſi non frequentius de conſ. diſt.* 2. Quam eamdem ſanctionem renovat Conc. Agathenſe c. 18. Prætereà directè obſtant antiquiſſimi canones providentes, ut diebus dominicis, & feſtis diſtribuantur in Eccleſia Eulogiæ illis qui Sacramento Corporis Chriſti non communicarunt. Conſulito ſuper his Laodicenum canonem 14. & ea quæ ibi fuſiùs annotavimus. Prætereà fuiſſet iſtiuſmodi præcepti executio prorsùs impoſſibilis diebus dominicis, & feſtis quibus univerſi ſacro intereſſe tenentur, maximè ubi de ipſo quoque calice communicabatur, quando etiam nemini licebat extra Parœciæ propriæ Eccleſiam vel audire ſacrum, vel Sacramenta ſuſcipere: cùm tamen nunc temporis multò numeroſiores ſint Eccleſiæ non Parochiales, in quibus licitum eſt Miſſam audire, & citra Paſcha communicare.

Canon Antiochenus 3. ita decernit, *Si quis Presbyter, vel Diaconus, vel omnino quilibet de Clero, deſerta ſua Eccleſia in aliam abierit, & in ea diutiùs commoretur, ne ampliùs miniſtret: maximè ſi ſuus Epiſcopus vocet. Quod ſi hac in* ἀταξίᾳ, *ſeu pravitate perſiſtat, deponatur: Si verò præter culpam iſtam depoſitum Clericum alius Epiſcopus ſuſceperit, ille quoque à Synodo communi redarguatur, tanquam Eccleſiaſti-*

ca

ca jura diſſolvens. Habetur in decreto *c. ſi quis Presbyter, vel Diaconus* 7. & conformatur Apoſtolorum canonibus 15. & 16. & Arelatenſis Concilii primi Canoni 22. & Nicænis Canonibus 15. & 16. vide ſupra quæ inibi dixi.

Can. 4. ſtatuens Synodali judicio depoſitum Epiſcopum, nec per aliam Synodum poſſe reſtitui, redolet impietatem, & implacabile Arianorum odium in Athanaſium, alioſque ab iiſdem dejectos ob fidem Epiſcopos. Hoc ipſum reſpondit Joannes Chryſoſtomus iſtum ſibi canonem objicientibus, poſtquam æmulorum Conciliabulo depoſitus ſuam nihilominus repetiverat Eccleſiam.

Can. 5. æquior eſt ſtatuens, ne quis à proprio Epiſcopo excommunicatus, ſive Clericus, ſive Laicus ab alio ſuſcipiatur, antequàm fuerit, vel à proprio Epiſcopo, vel à Synodo poſt cauſam ſedulò examinatam abſolutus. Item ante ſtatuerat Nicænus canon. 5. & deinde Sardicenſis canon 13.

Antiochenus canon 9. Metropolitanorum Epiſcoporum jura dignitatemque tuetur τοὺς καθ' ἑκάστην ἐπαρχίαν ἐπισκόπους εἰδέναι χρὴ τὸν ἐν τῇ μητροπόλει προεστῶτα ἐπίσκοπον, καὶ τὴν φροντίδα ἀναδέχεσθαι πάσης τῆς ἐπαρχίας. *Epiſcopos qui ſunt in unaquaque provincia ſcire oportet, Epiſcopum qui Metropoli præeſt curam etiam ſuſcipere totius Provinciæ*. ὅτει ἔδοξε καὶ τῇ τιμῇ προηγεῖσθαι αὐτόν, μηδέν τε πράττειν περιττὸν τοὺς λοιποὺς ἐπισκόπους ἄνευ αὐτοῦ, κατὰ τὸν ἀρχαῖον κρατήσαντα τῶν πατέρων ἡμῶν κανόνα, ἢ ταῦτα μόνα ὅσα τῇ ἑκάστου ἐπιβάλλει παροικίᾳ καὶ ταῖς ὑπ' αὐτὴν χώραις. *Unde viſum eſt eum quoque honore præcedere, reliquos verò Epiſcopos nihil gravis momenti aggredi ſine ipſo, ut ſtatuit conſtitutus ab antiquis patribus canon, niſi ſola quæ ad Paræciam cujuſque ſpectant, aut regiones parœciæ ſubditas*. Privilegia iſta Metropolitanorum dudum ſanciverant Nicæni Patres can. 4. & 5. & 6. & 7. Parœcia verò tunc dicebatur, quæ nunc Diœceſis dici ſolet. Cùm olim Diœceſis nomen, tàm in civili, quàm in Ec-

Eccleſiaſtico uſu, complures Provincias complecteretur. Denique ſancit inconſulto Metropolita nihil moliri debere Epiſcopos, & viciſſim, neque inconſultis Epiſcopis Metropolitam. Citatur à Gratiano *c. per ſingulas Provincias 6. q.* 3. Sed malè de Græco transfertur ibi ἢ ταῦτα μόνα, *vel ſola illa*: cùm enim præcedat vox μηδὲν ſciendum erat μηδὲν ἢ ſignificare nihil niſi.

Iſte igitur canon tres commemorat Eccleſiaſticæ præfecturæ gradus. 1. ἐπαρχίαν Provinciam ſub Metropolitano præſule, 2. παροιχίαν Parœciam, ſub Comprovinciali, ſeu ſuffraganeo Epiſcopo: ſicut etiam in canone Ancyrano 17. legimus Epiſcopum, qui non ſuſcipitur à propria Parœcia, non tamen debere alterius Epiſcopi Parœciam invadere. 3. χώραν locum, ſeu minorem regionem, unde Chorepiſcopi dicti Locorum particularium intra Parœciam præfecti: quorum etiam mentio fit in Antiocheno can. 10. Sed omnes gradus iſtos antecellebat Diœceſis habens plures in ſuo miniſterio Provincias, qualis erat ſingulorum Patriarcharum ditio. Cujus vocis & gradus uſurpatio, tum alibi, tùm ſæpè in Chalcedonenſi Concilio frequens eſt. Nunc verò Diæceſis uſurpari pro Parœcia ſolet, ipſa verò Parœcia pro infima præfectura pagorum, aut aliquarum urbis partium, quarum præfectus Paſtor, vulgò Parochus audit. Melius tamen juxta Græcorum canonum expreſſionem Parœcus diceretur. Non me latet quid Parochi nomine intellexerint antiqui, ſed aliud eſt paſtorum animarum, & aliud longè diverſum veterum Parochorum officium, quo vocabantur nomine illi, qui ſalem, & ligna, & in univerſum omnia victui neceſſaria ſuppeditabant iis, qui Reipublicæ cauſa peregrè ibant, & generalium conviviorum exhibitores, necnon nuptiarum auſpices, ac Paranymphi.

Dia-

Diatriba de Provinciis Eccleſiaſticis.

QUia verò diſtributiones Eccleſiarum factæ comperiuntur ad imitationem antiquæ partitionis Imperii adeò, ut omnium Eccleſiarum antiquiſſima, & ſanctiſſima Jeroſolymitana nihil olim fuerit quàm ſimplex Parœcia, ſub Metropoli Cæſaræ Palæſtinæ: non alia de cauſa quàm quia tum temporis Cæſaræa ſecundùm civilem poteſtatem habebatur totius Palæſtinæ Metropolis, tametſi antequam ab Herode Idumæo in honorem Cæſaris amplificaretur, non alio nomine quam turris Stratonis inſigniretur. Sic etiam, quia Byzantium nobilis civitas ab irato contra ipſam Septimio Severo fuerat ſub præfectura ignobilis oppidi Peryntthi, ſeu Heraclææ Thraciæ conſtituta, ideò Bizantinus Epiſcopus, qui poſt aliquod tempus evaſit in Patriarcham Conſtantinopolitanum, fuit ab initio unus ex Epiſcopis ſubjectis Metropoli Heraclææ. Quia etiam inter Romani Imperii civitates primò poſt Romam fulgebat dignitatis gradu Alexandria Ægypti, tertiò verò Antiochia Syriæ, idcircò prima ſecundum dignitatem Eccleſia Romæ, ſecunda verò Alexandriæ, tertia Antiochiæ conſtituta fuit. Aſſerit Anacletus Pontifex Apoſtolos renovaſſe in Eccleſia factam dudum à Romanis Provinciarum diviſionem, *c. Provincias diſt. 99.*

Itaque operæ pretium duxi brevem, ſed tamen exactam præfecturarum Romani Imperii notionem tradere, ut inde innoteſcat quæ fuerit prioribus ſæculis partitio, & ordo Eccleſiaſticarum præfecturarum. Summa olìm Præfecti prætorio poteſtas, quæ arma ſimul, & jura complectebatur, fuerat jam inde à Tiberii tempore penes unum. At ex quo inſidias Perennis præfecti prætorio evaſit Commodus Imperator cœpit ea poteſtas, ne nimia foret, ac præfatos ad Imperii ambitionem ſollicitaret, inter duos dividi, te-

ſte Herodiano l. 1. Poſtmodùm Conſtantinus Magnus, quatuor etiam præfectos conſtituit, inter quos univerſas Imperii Provincias diſpertivit hoc ordine. Primus Præfectus Orientem regebat, cui ſubdebantur Ægyptus, Lybia, Pentapolis, Cyprus, Aſia, Cappadocia, Cilicia, Armenia, Syria, Thracia, Myſia, & reliquæ Orientis plagæ. Sequebatur Præfectus Illyrici, cui parebat Illyricum, Dacia, Triballi, Pannonia, Myſia ſuperior, Macedonia, Theſſalia, Græcia, Peloponneſus, Creta, & circumfuſæ inſulæ. Tertius ſequebatur Italiæ Præfectus qui præerat Italiæ, Siciliæ, Africæ, & circum jacentibus inſulis. Quarto loco erat Galliarum Præfectus, cui obtemperabat Gallia, Hiſpania, Britannia, & circumfuſæ inſulæ, ut Zoſimus tradit *lib.* 2.

Quatuor hæ præfecturæ ſingulæ in plures diſpertiebantur Diœceſes, quæ à præfectorum Vicariis adminiſtrabantur, unde Vicariæ quoque dicebantur, plures etiam complectentes provincias, ut videre eſt in libro notitiæ utriuſque Imperii, quem eruditis Commentariis illuſtravit Pancirolus.

Secto in duas partes Imperio ſex dinumeratæ ſunt Orientalis, ſeu Conſtantinopolitani Imperii diœceſes. 1. Orientis, cujus Metropolis Antiochia, & cujus Vicarius ſpeciali deſignatione dicebatur Comes Orientis: 2. Ægypti: 3. Aſiæ: 4. Ponticæ: 5. Thraciæ: 6. Illirici partis Orientalis, quarum meminere leges 1. & 2. *c. de militari veſte lib.* 12. & *l.* 1. *c. ut nemo adſuum patrocinium ſuſcipiat ruſticanos, vel vicos eorum.* Et *l. ult. c. de diverſis offic. lib.* 12. Orientis diœceſis Metropolis fuit Antiochia, ut probatur ex Zoſimo lib. 1. Hieronymo *ad Pammochium*, Chryſoſtomo *hom.* 3. *ad popul. Antioch.* de hujus Vicarii officio extat titulus codicis de officio Comitis Orientis. Diœceſis Ægypti Metropolis extitit Alexandria, ut liquet ex Theodoreto *l.* 1. *hiſt. Eccl. cap.* 1. Ægypti Vicarius appellatione inſigniebatur præfecti Auguſtalis, de cujus officio titulus

lus reperitur in Codice, & in Digeſtis. Diœceſis autem Aſiana Metropolim habuit Epheſum Chryſoſtomo teſte *in epiſt. ad Epheſ.* nec non ſubſcriptione Theodori Epiſcopi Epheſini act. 18. Synodi ſextæ. Ponticæ deinde Metropolis erat Cæſáræa Cappadociæ; ut conſtat ex Nazianzeno *orat. de laudib. Baſilii*, & ex ſubſcriptione Philalethis Epiſcopi Cæſarææ Cappadocum in ſexta Synodo. Thraciæ Metropolis à tempore Conſtantini fuit Conſtantinopolis, quam ille conſtituit Imperii Sedem. Tres iſtæ porrò Diœceſes Thracica, Aſiana, & Pontica fraude Anatolii Epiſcopi ad novum conſtituendum Conſtantinopolis Patriarchæ, tum in Chalcedonenſi Concilio diſtractæ fuere; Thracica quidem à Sedis Romanæ ditione; Aſiana verò, & Pontica ab Antiochena, cui ſubjectæ fuerant, Sede.

Diœceſis autem Macedoniæ, Daciæ, atque Illyrici partis ejus, quæ pertinebat ad Orientis Imperium Metropolis fuit Theſſalonica, ut fidem facit Theodoritus *l. 5. hiſt. Eccl. c.* 17. Ad poſtremum tamen Juſtinianus, tum ſedem Præfecti Prætorio Illirici, tum etiam Vicariam Apoſtolicam, ſeu jura Primatus aſſentiente Papa Vigilio ex urbe Theſſalonica tranſtulit Acridum Dardaniæ oppidum Juſtiniani natale; deque ſuo nomine Juſtinianam primam dici voluit *novella* 11. Deinde Nicolaus Papa I. *epiſt.* 2. hortatus eſt Michaelem Auguſtum, ut inſtaurari curaret antiqua jura, quæ Theſſalonicenſis Epiſcopus olim exercuerat, tanquam Romani Pontificis Vicarius per novam, & veterem Epirum, per Illyricum, Macedoniam, Achajam, Theſſaliam, Daciam Riperenſem, & Daciam Mediterraneam, & Myſiam, & Dardaniam, & Prævalim. Has enim omnes provincias hæc olim Vicaria complectebatur.

Sex pariter conſtitutæ ſunt Occidentis Diœceſes, ac Vicarię civiles. Una Italiæ, altera Illyrici partis quę ad Occidentale pertinebat Imperium, tertia Africæ, quarta Galliæ, quinta Hiſpanicę, ſexta Britannię. Metro-

polis Italiæ Vicariæ fuit Mediolanum, Gallicanæ verò Auguſta Trevirorum. Utrumque colligitur ex Athanaſii *epiſt. ad ſolitar. vit. agen.* Dum loquitur de Paulino Trevirorum, & de Dionyſio Mediolani Epiſcopo. Id firmat Theodoritus *l. 2. hiſt. Eccl. c.* 15. Salvianus quoque ipſe Gallus *l. 2. de Provid. Dei*. Treviros dicit ſummam Galliarum urbem. Vicaria porrò Britanniæ Metropolis Eboracum fuit, quæ eſt Romanorum Colonia, quam Spartianus in Severo urbem abſolutè per antonomaſiam vocat, & in qua Conſtantius Imperator Magni Conſtantini pater regiam conſtituit, diemque obiit, ut prodit Euſebius *l.* 1. *vitæ Conſtantini*, Eutropius, Aurelius Victor, & Oroſius.

Diœceſis Africæ indubitatum eſt Metropolim, tàm civilem, quàm Eccleſiaſticam fuiſſe Carthaginem conſtitutam, cujus etiam Epiſcopus primatu ſupra omnes totius Africæ antiſtites potiebatur, ut paſſim cernere eſt in Cypriani epiſtolis, & in univerſalibus Conciliis Africæ, quæ ab Epiſcopo Carthaginenſi omnes indicebantur, & quibus præſidebat, cuique ſubiacebant Numidiæ, & Mauritaniæ Primatus.

Illyrici partis ejus, quæ ad Imperium Occidentale ſpectabat Metropolis, fuit Sardica urbs in Illyrico celeberrima, & Concilio œcumenico ſpectabilis, in quo trecenti Occidentales Epiſcopi curante religioſiſſimo Conſtante, qui Occidentale regebat Imperium de Ariana impietate triumpharunt. In ſubſcriptionibus Concilii Magni Nicæni apud Gelaſium Cyzicenum, ita ſignatum legimus: Protogenes Sardicæ civitatis Epiſcopus pro ſanctis Dei Eccleſiis, quæ ſunt in Dacia, Calauria, Dardania, & provinciis vicinis.

De Hiſpania, quænam fuerit Metropolis, ac Vicaria, nonnihil ambigitur. In Hiſpalim propendeo Romanorum coloniam Beticæ caput, ſitus commoditate, opibus, amplitudine, & emporii frequentia ab omni ævo inclytam. Conſtat utique Hiſpalis Epiſco-

pum

pum fuiſſe ab antiquis ſæculis Hiſpaniarum primatem hanc enim illi poteſtatem indulgent Simplicius Papa I. *epiſt.* 1. Deinde Hormiſda Papa *epiſt.* 26. quæ eſt ad Saluſtium Hiſpalenſem Epiſcopum. Hoc jure primatus uſi ſunt ſanctiſſimi urbis ejuſdem Epiſcopi Leander, & Iſidorus, qui primus in Concilio Toletano quarto ſubſcripſit. Ipſe verò Toletanus Epiſcopus, olim ſolius Carpetanæ Provinciæ Metropolita regum Gotorum opera qui Toleti regiam fixerant, primatus honore potiri cæpit in Concilio Toletano duodecimo, ut in ejus canone ſexto decernitur.

Roma verò ſuum peculiarem agnoſcebat præfectum, qui cæteris omnibus præeminebat urbis dignitatibus *l.* 3. *c. de offic. præf. urbis*. Huic parebant ſuburbicæ quoque regiones, quotquot nimirum intra centeſimum ab urbe lapidem continebantur, protenſæ intra Tuſciam, Picenum, & Campaniam *l.* 1. *ff. eod.* Huc reſpexit Septimius Severus Auguſtus, quando exauctoratos milites prætorianos Romæ finibus ab uſque centeſimum lapidem ſub capitis pœna juſſit excedere, ut refert Herodianus *lib.* 2.

Demùm Juſtinianus depulſis ex Africa Vandalis, quintum adjecit Præfectum prætorio ad quatuor præcedentes: ejuſque reſidentiam Carthagine, quam de ſe Juſtinianam tertiam dici voluit, conſtituit *l.* 1. *c. de offic. præf. præt. Afr.*

Nos ſuperius Vicariam quidem Galliæ Treviris præfiximus: at verò ſedem ipſius Galliarum Præfecti cujus poteſtas Hiſpaniam quoque, & Britanniæ inſulam complectebatur, ſtabiliverat Conſtantinus primus in Arelatenſi urbe, cui etiam Conſtantinæ nomen impertitus eſt. Prorsùs enim errant nonnulli, qui hoc nomen mutuatum exiſtimant à Conſtantino tyranno, qui contra Honorium rebellis, hac ſe urbe communierat: non enim poſt profligatum, & extinctum tyrannum illud idem Honorius in ſuo ad

Agricolam Galliarum Præfectum reſcripto Arelatam vocaret Conſtantinam, ut eam vocat, ſi recens id nomen à tyranno accepiſſet. Ex hoc porrò reſcripto comprobatur inſuper fuiſſe Arelatæ conſtitutam præfecti Sedem. Jubet enim Honorius eodem reſcripto veterem conſuetudinem per tyrannos diù intermiſſam inſtaurari, ut quotannis in ea urbe conventus habeantur, ſeptem Galliæ Provinciarum ſub illuſtri (ſic enim loquitur) præſentia Præfecturæ. Undenàm verò illa vetus conſuetudo ortum habuit, niſi à Conſtantino hujus urbis ſtudioſiſſimo, qui ſuum ei nomen indidit, quique totius Occidentis generale Concilium, eadem in civitate celebrari voluit in cauſa Donatiſtarum, aut etiam, ab ipſius patre Conſtantino Chloro, qui in Gallia imperavit? Inſuper illa Galliarum Præfecti Sedes Arelatenſis aſſeritur hiſce verbis Epiſcoporum olim Arelatenſi Primati ſubditorum ad Leonem Papam primum ſcribentium: hanc civitatem ſublimiſſima præfectura, hanc reliquæ poteſtates velut communem omnibus patriam ſemper inhabitant. His alterum non minoris authoritatis teſtimonium adjungimus Gregorii Turonenſis ſcribentis *l.* 2. *hiſt. Franc. c.* 7. quo tempore Hunnorum Rex Attila ſe obſidioni Aureliæ accinxit, ejus verbis Epiſcopum S. Anianum implorandi auxilii cauſa ad Aëtium Galliarum præfectum ſe contuliſſe Arelatæ commorantem. Denique res eadem aſtruitur antiquis inſcriptionibus, quarum una hæc viſitur in Arelatenſi urbe de auxiliari Præfecto, cujus etiam fit mentio in Hilarii Arelatenſis Epiſcopi vita ab auctore temporis ejuſdem conſcripta: quæ pariter meminit cujuſdam præfecti, quem Hilarius privatim ſæpiùs correptum, tandem intra Eccleſiam concionando præſentem redarguit.

In-

Inſcriptio autem eſt hujuſmodi.

SALVIS DD. NN. THEODOSIO, ET VALENTINIANO P. F. V. AC TRIUM. SEMPER AUG. XV. COS. VIR INL. AUXILIARIS PRÆF. PRÆTO. GALL. DE ARELATE MAMILLARIA PONI F. M. P. I.

Dominis noſtris, Piis Felicibus, Victoribus, Triumphatoribus Inluſtris hoc eſt Illuſtris. Fecit milliare paſſum unum.

Erat enim primus lapis milliarius proficiſcentibus ex ea urbe.

Hinc eſt quod ſanctum Doctorem, & Pontificem Ambroſium Arelatenſes ſibi civem jure vindicare poſſunt, cum teſtetur in ejus vita Paulinus natum in Gallia in ipſoque prętorio educatum infantem, & in ipſis cunis apum indicio, qualis futurus eſſet, pręmonſtratum, dum pater ipſius prętoriana pręfectura in Galliis fungeretur.

Perperam verò Joſephus Scaliger, & Guidus Savaro in ſuis ad Apollinarem commentariis tres fuiſſe, intra Gallię fines Vicarios imaginantur, cum diſertè docebat liber notitię Imperii, ſex tantum fuiſſe Occidentis Vicarios, in Italię quidem præfectura tres, & in Gallię pręfectura totidem alios: unum quidem intras fines ipſius Gallię, ſecundum in Hiſpania, tertium in inſula Britannię. Quam rem accuratius obſervant Pancirolus in ſuis ad eamdem notitiam commentariis, & Jacobus Sirmundus in notis ad Sidonium *l.* 1. *epiſt.* 3.

Proſecutio Canonum Antiochenorum.

SEd jam ad Antiochenos canones, unde digreſſi fuimus, regrediamur: igitur canon 10. ſancit Chorepiſcopos Hypodiaconorum, Lectorum, & Exorci-

ſtaium ordinatione contentos eſſe debere, nec niſi ex venia ejus, cui ſubſunt Epiſcopi, licere illis Presbyteros, & Diaconos conſecrare. Requirito ſuperius obſervata ad Ancyranum Canonem decimum tertium.

Canon 22. providet, ne quis Epiſcopus extra fines ſuos citra Epiſcopi loci voluntatem, audeat ullum ordinare. Refertur *in c. Epiſcopum non debere 9. qu.* 2. Idem providit Apoſtolorum canon 34. jubens Epiſcopum deponi, qui ſic fecerit, & eos quos ordinavit. Id renovavit Concilium Conſtantinopolitanum *cap.* 2. & Tridentinum *ſeſſ. 6. de reform. cap.* 5.

Antiochenus Canon 24. conſtituit, ut cognoſcant Presbyteri, & Diaconi eas quæ ad Eccleſiam pertinent facultates: ut ſi Epiſcopus moriatur, poſſit quidem, quæ ſui patrimonii ſunt, quibus ipſi libuerit relinquere, res verò Eccleſiæ ſine diminutione Eccleſiæ ipſi conſerventur, nec aliò transferantur. Refertur in *c. quæcumque reſ. 9. quæſt.* 1. Idem decernit Apoſtolorum canon 39. ut Epiſcopi (inquit) quæ propria ipſorum ſunt, valeant in quoſcumque placuerit hæredes transferre, ut tamen ad alios res Eccleſiæ minimè tranſeant. His accinit Agathenſis canon 48. quem inferius conſulito cum noſtris ad ipſum additamentis. Legimus in jure canonico vetitum Epiſcopis, & quibuſcumque Clericis teſtamento diſponere de proventibus dignitatum, ac præbendarum: & ſi ſecùs fiat irrita eſſe teſtamenta, ſolamque illis Eccleſiam ſuccedere, *c. quia nos c. relatum* 12. *& c. cum in offic. de teſtam.* Quibus ſubinde canonibus jus ſpolii ſucceſſit, non receptum quidem in Gallia, & Germania, & Belgio, vigens tamen in Italia, & Hiſpania: quo jure non amplius Eccleſiæ, ſed Camera Apoſtolica ſucceſſit in facultates, quæ provenire, aut proveniſſe præſumuntur ex Epiſcopatuum, & beneficiorum fructibus. Nulla juris ſpolii mentiò reperitur in corpore juris canonici, ſed

apud

pud Guidonem Papæ Galliæ Juriſconſultum deciſ. 110.
Dum hæc Antiochiæ Synodus habebatur abſque Julii Papæ conſenſu in prejudicium cauſę Athanaſii ad ipſius Tribunal devolutę, Romanęque Synodi ab eodem indictę, Romanam Synodum iſtam Julius proſequebatur ad quam citati Orientales accedere detrectarunt: quia verò Romę comparebant Athanaſius Alexandrinus, Marcellus Ancyranus, Aſclepas Gazę, Lucianus Adrianopolis, aliique ſuis per Arianos deturbati ſedibus Epiſcopi, diſcuſſa demum horum cauſa decretum eſt, fuiſſe injuſtè depoſitos, & ad priſtinas remiſſi ſunt Eccleſias, depulſis quos eorum loco Ariani promoverant. His de cauſis ſcripſit Julius ad Orientales epiſtolam, in qua hoc etiam aſſeverat fuiſſe in primis ab Apoſtolis traditum, deinde in magno Nicęno Concilio firmatum, non poſſe ullam convocari Synodum invito, & inconſulto Romano Epiſcopo, his litteris Orientales non obtemperanta, aliaſque ad Julium reſcribunt querelarum plenas. Utraſque & Julii, & Orientalium profert litteras Athanaſius apol. 2.

Imperabat eo tempore in Occidente Conſtans, qui in Coſtantini fratris ditiones ſucceſſerat. Conſtans verò religioſiſſimus, & optimus Princeps, ut hęc Epiſcoporum diſſidia componerentur, egit cum fratre Conſtantio, ut œcumenica Synodus Sardicę cogeretur: eò quod eſſet civitas confinis, ac intermedia Orienti, & Occidenti, ſita inter Illyricum, Męſiam, & Thraciam. Docet Theodorus Balſamon, dici vulgò *Triadizem*, quę olim Sardica.

ſilicam à Conſtantino inchoatam, & ab ipſo Conſtantio perfectam, cui à ſplendore, & magnificentia operis nomen inditum dominici aurei: ipſeque Conſtantius his Encæniis, & Synodo interfuit.

Convenerunt Epiſcopi nonaginta, in quibus fuere Ariani 36. & propriis fraudibus inſtructi, & principis authoritate ſuffulti, qui ſeorſim ab Orthodoxis, & his enixè renitentibus, diverſas fidei formulas verbis ſemper ambiguis recuderunt, ſuppreſſaq; homouſii voce, iidem Athanaſium depoſuerunt ſibi tantòpere inviſum, & exoſum hoc prætextu, quòd cùm fuiſſet Tyri Conciliabulo damnatus, ſe reſtitui abſque ullo Concilii decreto, ſed ſolis Junioris Conſtantini litteris curaſſet, connivente per prudentiam Conſtantio, ne propter Athanaſium quies Imperii, & fraterna concordia interturbaretur.

Sanè Conſtantini Junioris interitus Arianorum poteſtatem, & quidvis agendi licentiam auxit. Hic anno præcedente ſcilicet 340. dum bellum haud ſatis juſtum adversùs Conſtantem fratrem natu minimum parat, interfectus eſt, apud Aquilejam. Hac ergo Antiochena Synodo Ariani depulſo Athanaſio Gregorium Cappadocem in ejus ſedem protrudunt, quem Julius Papa in ſua epiſtola, quam refert Athanaſius apol. 2. dicit à 36. Epiſcopis promotum, cœteris Epiſcopis, qui hunc numerum excedebant obſiſtentibus, & reclamantibus: in quibus erat admirabilis ille Jacobus Niſibis Antiſtes, qui & olim Nicæna in Synodo conſederat. Hujus Pſeudoſynodi ſuperſunt Canones 25. quorum aliquibus authoritatem indulſit Eccleſiæ uſus, & approbatio.

Can. 1. inſtauratur decretum Nicænum de Paſchate die Dominica celebrando.

Can. 2. ab Eccleſiis eos ejici mandat qui nolunt ſacræ Euchariſtiæ communicare. Illos quoque à fidelium ſocietate reſecat qui cum excommunicatis participant. Quoad iſtam partem convenit cum Apoſtolorum can.

Digitized by Google

can. 10. eos excommunicante, qui cum excommunicato ſimul precati in domo fuerint. Similem inferiùs requiritò Carthaginenſis Concilii 4. can. 73. Denique poſteriorum temporum indulgentior diſciplina infert in iſto caſu minoris excommunicationis pœnam, quæ nec à ſuffragiis, nec à conſortium fidelium, nec à conferendis alteri Sacramentis excludit : ſed à ſola Sacramentorum receptione, *c. Cum excommunicato* 11. *q.* 3. *&c. nuper de ſent. Excomm.* Plura exquirito inferiùs, circa hæc ad canonem 3. Concilii Lateranenſis ſub Innocentio II. Pontifice. Altera deinde ſucceſſit ex Conſtantienſi Concilio moderatio, ut excommunicationi etiam minori locus non ſit ex participatione cum excommunicato, niſi hic publicè fuerit, ac nominatim denunciatus.

Quoad verò priorem hujus 2. can. Anthiocheni partem, de ſuſcipienda ab omnibus qui aſſiſtunt, nec Canone prohibentur, Euchariſtia, id habet conformitatem cum Apoſtolorum Canone 8. illos excommunicante, qui convenientes in Eccleſiam non communicant. Cui conformatur etiam Apoſtolorum canon. 10. quos omnes canones, qui exactius perpenderint, non aliud concludet, quàm fuiſſe præceptam communionem, iis dumtaxat qui altari ſubminiſtrant Clericis, & à fidelium pariter ſocietate excludi τὺς ἀποστρεφομένυς τὴν μετάληψιν τῆς εὐχαριστίας κατά τινα ἀταξίαν, ut loquitur canon Antiochenus. Hoc eſt *averſantes participationem Euchariſtiæ, per aliquam perverſitatem.* Pontifex Anacletus *epiſt.* 1. *n.* 2. poſtquam admonuit ſacrificanti ſolemniter Epiſcopo plures adſtare debere Sacerdotes, & Diaconos, & Subdiaconos, alioſque Miniſtros ſacris veſtibus indutos, ſubdit conſtitutum ab Apoſtolis fuiſſe, & hanc eſſe Eccleſiæ Romanæ diſciplinam, ut peracta conſecratione univerſi communicent : illi nimirum de quibus loquitur, qui ſolemnis ſacrificii ſtant adminiſtri, *c. Epiſcopus de conſecr. diſt.* 2.

Edi-

Edidere pridem Canonici Colonienſis Eccleſiæ eruditum antididagma ad Hermanum Coloniæ Agrippinæ Archiepiſcopum apoſtatam Luteranum, ubi conſtanter negant fuiſſe ullo unquam tempore Laicis in Eccleſiam convenientibus quotidianam communionem injunctam. Dionyſius etiam Petavius ad Epiphanianam fidei expoſitionem, dicit eſſe falſiſſimam, & ſtolidam illam Caſauboni aliorumque perſuaſionem, fideles, miſſæ quando intererant, incurriſſe communicandi obligationem. Quod eò magis falſi convincitur ipſo decreto Fabiani Pontificis, qui ſub Decio Martyrium ſubiit. Tribus enim ſolum anni temporibus laicos fideles aliundè non impeditos ad ſacram communionem obligat. *c. & ſi non frequentius de conſ. diſt.* 2. Quam eamdem ſanctionem renovat Conc. Agathenſe c. 18. Prætereà directè obſtant antiquiſſimi canones providentes, ut diebus dominicis, & feſtis diſtribuantur in Eccleſia Eulogiæ illis qui Sacramento Corporis Chriſti non communicarunt. Conſulito ſuper his Laodicenum canonem 14. & ea quæ ibi fuſiùs annotavimus. Prætereà fuiſſet iſtiuſmodi præcepti executio prorsùs impoſſibilis diebus dominicis, & feſtis quibus univerſi ſacro intereſſe tenentur, maximè ubi de ipſo quoque calice communicabatur, quando etiam nemini licebat extra Parœciæ propriæ Eccleſiam vel audire ſacrum, vel Sacramenta ſuſcipere: cùm tamen nunc temporis multò numeroſiores ſint Eccleſiæ non Parochiales, in quibus licitum eſt Miſſam audire, & citra Paſcha communicare.

Canon Antiochenus 3. ita decernit, *Si quis Presbyter, vel Diaconus, vel omnino quilibet de Clero, deſerta ſua Eccleſia in aliam abierit, & in ea diutiùs commoretur, ne ampliùs miniſtret: maximè ſi ſuus Epiſcopus vocet. Quod ſi hac in* ἀταξία, *ſeu pravitate perſiſtat, deponatur: Si verò præter culpam iſtam depoſitum Clericum alius Epiſcopus ſuſceperit, ille quoque à Synodo communi redarguatur, tanquam Eccleſiaſtica*

ca jura diſſolvens. Habetur in decreto *c. ſi quis Presbyter, vel Diaconus* 7. & confirmatur Apoſtolorum canonibus 15. & 16. & Arelatenſis Concilii primi Canoni 22. & Nicænis Canonibus 15. & 16. vide ſupra quæ inibi dixi.

Can. 4. ſtatuens Synodali judicio depoſitum Epiſcopum, nec per aliam Synodum poſſe reſtitui, redolet impietatem, & implacabile Arianorum odium in Athanaſium, aliosque ab iiſdem dejectos ob fidem Epiſcopos. Hoc ipſum reſpondit Joannes Chryſoſtomus iſtum ſibi canonem objicientibus, poſtquam æmulorum Conciliabulo depoſitus ſuam nihilominus repetiverat Eccleſiam.

Can. 5. æquior eſt ſtatuens, ne quis à proprio Epiſcopo excommunicatus, ſive Clericus, ſive Laicus ab alio ſuſcipiatur, antequam fuerit, vel à proprio Epiſcopo, vel à Synodo poſt cauſam ſedulò examinatam abſolutus. Item ante ſtatuerat Nicænus canon. 5. & deinde Sardicenſis canon 13.

Antiochenus canon 9. Metropolitanorum Epiſcoporum *jura* dignitatemque tuetur τοὺς καθ' ἑκάστην ἐπαρχίαν ἐπισκόπους εἰδέναι χρὴ τὸν ἐν τῇ μητροπόλει προεστῶτα ἐπίσκοπον, καὶ τὴν φροντίδα ἀναδέχεσθαι πάσης τῆς ἐπαρχίας. *Epiſcopos qui ſunt in unaquaque provincia ſcire oportet, Epiſcopum qui Metropoli præeſt curam etiam ſuſcipere totius Provinciæ.* ὅτεν ἔδοξε καὶ τῇ τιμῇ προηγεῖσθαι αὐτὸν, μηδέν τε πράττειν περιττὸν τοὺς λοιποὺς ἐπισκόπους ἄνευ αὐτοῦ, κατὰ τὸν ἀρχαῖον κρατήσαντα τῶν πατέρων ἡμῶν κάνονα, ἢ ταῦτα μόνα ὅσα τῇ ἑκάστου ἐπιβάλλει παροικίᾳ καὶ ταῖς ὑπ' αὐτὴν χώραις. *Unde viſum eſt eum quoque honore præcedere, reliquos verò Epiſcopos nihil gravis momenti aggredi ſine ipſo, ut ſtatuit conſtitutus ab antiquis patribus canon, niſi ſola quæ ad Paræciam cujuſque ſpectant, aut regiones parœciæ ſubditas.* Privilegia iſta Metropolitanorum dudum ſanciverant Nicæni Patres can. 4. & 5. & 6. & 7. Parœcia verò tunc dicebatur, quæ nunc Diœceſis dici ſolet. Cùm olim Diœceſis nomen, tàm in civili, quàm in

Ec-

Eccleſiaſtico uſu, complures Provincias complecteretur. Denique ſancit inconſulto Metropolita nihil moliri debere Epiſcopos, & viciſſim, neque inconſultis Epiſcopis Metropolitam. Citatur à Gratiano *c. per ſingulas Provincias 6. q.* 3. Sed malè de Græco transfertur ibi ἢ ταῦτα μόνα, *vel ſola illa*: cùm enim præcedat vox μηδὲν ſciendum erat μηδὲν ἢ ſignificare nihil niſi.

Iſte igitur canon tres commemorat Eccleſiaſticæ præfecturæ gradus. 1. ἐπαρχίαν Provinciam ſub Metropolitano præſule, 2. παροιχίαν Parœciam, ſub Comprovinciali, ſeu ſuffraganeo Epiſcopo: ſicut etiam in canone Ancyrano 17. legimus Epiſcopum, qui non ſuſcipitur à propria Parœcia, non tamen debere alterius Epiſcopi Parœciam invadere. 3. χώραν locum, ſeu minorem regionem, unde Chorepiſcopi dicti Locorum particularium intra Parœciam præfecti: quorum etiam mentio fit in Antiocheno can. 10. Sed omnes gradus iſtos antecellebat Diœceſis habens plures in ſuo miniſterio Provincias, qualis erat ſingulorum Patriarcharum ditio. Cujus vocis & gradus uſurpatio, tum alibi, tùm ſæpè in Chalcedonenſi Concilio frequens eſt. Nunc verò Diæceſis uſurpari pro Parœcia ſolet, ipſa verò Parœcia pro infima præfectura pagorum, aut aliquarum urbis partium, quarum præfectus Paſtor, vulgò Parochus audit. Melius tamen juxta Græcorum canonum expreſſionem Parœcus diceretur. Non me latet quid Parochi nomine intellexerint antiqui, ſed aliud eſt paſtorum animarum, & aliud longè diverſum veterum Parochorum officium, quo vocabantur nomine illi, qui ſalem, & ligna, & in univerſum omnia victui neceſſaria ſuppeditabant iis, qui Reipublicæ cauſa peregrè ibant, & generalium conviviorum exhibitores, necnon nuptiarum auſpices, ac Paranymphi.

Dia-

Diatriba de Provinciis Eccleſiaſticis.

QUia verò diſtributiones Eccleſiarum factæ comperiuntur ad imitationem antiquæ partitionis Imperii adeò, ut omnium Eccleſiarum antiquiſſima, & ſanctiſſima Jeroſolymitana nihil olim fuerit quàm ſimplex Parœcia, ſub Metropoli Cæſaræ Palæſtinæ: non alia de cauſa quàm quia tum temporis Cæſaræa ſecundùm civilem poteſtatem habebatur totius Palæſtinæ Metropolis, tametſi antequam ab Herode Idumæo in honorem Cæſaris amplificaretur, non alio nomine quam turris Stratonis inſigniretur. Sic etiam, quia Byzantium nobilis civitas ab irato contra ipſam Septimio Severo fuerat ſub præfectura ignobilis oppidi Peryntbi, ſeu Heraclææ Thraciæ conſtituta, ideò Bizantinus Epiſcopus, qui poſt aliquod tempus evaſit in Patriarcham Conſtantinopolitanum, fuit ab initio unus ex Epiſcopis ſubjectis Metropoli Heraclææ. Quia etiam inter Romani Imperii civitates primò poſt Romam fulgebat dignitatis gradu Alexandria Ægypti, tertiò verò Antiochia Syriæ, idcircò prima ſecundum dignitatem Eccleſia Romæ, ſecunda verò Alexandriæ, tertia Antiochiæ conſtituta fuit. Aſſerit Anacletus Pontifex Apoſtolos renovaſſe in Eccleſia factam dudum à Romanis Provinciarum diviſionem, *c. Provincias diſt. 99.*

Itaque operæ pretium duxi brevem, ſed tamen exactam præfecturarum Romani Imperii notionem tradere, ut inde innoteſcat quæ fuerit prioribus ſæculis partitio, & ordo Eccleſiaſticarum præfecturarum. Summa olìm Præfecti prætorio poteſtas, quæ arma ſimul, & jura complectebatur, fuerat jam inde à Tiberii tempore penes unum. At ex quo inſidias Perennis præfecti prætorio evaſit Commodus Imperator cœpit ea poteſtas, ne nimia foret, ac præfatos ad Imperii ambitionem ſollicitaret, inter duos dividi, te-

ſte Herodiano l. 1. Poſtmodùm Conſtantinus Magnus, quatuor etiam præfectos conſtituit, inter quos univerſas Imperii Provincias diſpertivit hoc ordine. Primus Præfectus Orientem regebat, cui ſubdebantur Ægyptus, Lybia, Pentapolis, Cyprus, Aſia, Cappadocia, Cilicia, Armenia, Syria, Thracia, Myſia, & reliquæ Orientis plagæ. Sequebatur Præfectus Illyrici, cui parebat Illyricum, Dacia, Triballi, Pannonia, Myſia ſuperior, Macedonia, Theſſalia, Græcia, Peloponneſus, Creta, & circumfuſæ inſulæ. Tertius ſequebatur Italiæ Præfectus qui præerat Italiæ, Siciliæ, Africæ, & circum jacentibus inſulis. Quarto loco erat Galliarum Præfectus, cui obtemperabat Gallia, Hiſpania, Britannia, & circumfuſæ inſulæ, ut Zoſimus tradit *lib.* 2.

Quatuor hæ præfecturæ ſingulæ in plures diſpertiebantur Diœceſes, quæ à præfectorum Vicariis adminiſtrabantur, unde Vicariæ quoque dicebantur, plures etiam complectentes provincias, ut videre eſt in libro notitiæ utriuſque Imperii, quem eruditis Commentariis illuſtravit Pancirolus.

Secto in duas partes Imperio ſex dinumeratæ ſunt Orientalis, ſeu Conſtantinopolitani Imperii diœceſes. 1. Orientis, cujus Metropolis Antiochia, & cujus Vicarius ſpeciali deſignatione dicebatur Comes Orientis: 2. Ægypti: 3. Aſiæ: 4. Ponticæ: 5. Thraciæ: 6. Illirici partis Orientalis, quarum meminere leges 1. & 2. *c. de militari veſte lib.* 12. *& l.* 1. *c. ut nemo adſuum patrocinium ſuſcipiat ruſticanos, vel vicos eorum.* Et *l. ult. c. de diverſis offic. lib.* 12. Orientis diœceſis Metropolis fuit Antiochia, ut probatur ex Zoſimo lib. 1. Hieronymo *ad Pammochium*, Chryſoſtomo *hom.* 3. *ad popul. Antioch.* de hujus Vicarii officio extat titulus codicis de officio Comitis Orientis. Diœceſis Ægypti Metropolis extitit Alexandria, ut liquet ex Theodorito *l.* 1. *hiſt. Eccl. cap.* 1. Ægypti Vicarius appellatione inſigniebatur præfecti Auguſtalis, de cujus officio titulus

lus

lus reperitur in Codice, & in Digeſtis. Diœceſis autem Aſiana Metropolim habuit Epheſum Chryſoſtomo teſte *in epiſt. ad Epheſ.* nec non ſubſcriptione Theodori Epiſcopi Epheſini act. 18. Synodi ſextæ. Ponticæ deinde Metropolis erat Cæſaræa Cappadociæ; ut conſtat ex Nazianzeno *orat. de laudib. Baſilii*, & ex ſubſcriptione Philalethis Epiſcopi Cæſaræ Cappadocum in ſexta Synodo. Thraciæ Metropolis à tempore Conſtantini fuit Conſtantinopolis, quam ille conſtituit Imperii Sedem. Tres iſtæ porrò Diœceſes Thracica, Aſiana, & Pontica fraude Anatolii Epiſcopi ad novum conſtituendum Conſtantinopolis Patriarchæ, tum in Chalcedonenſi Concilio diſtractæ fuere; Thracica quidem à Sedis Romanæ ditione; Aſiana verò, & Pontica ab Antiochena, cui ſubjectæ fuerant, Sede.

Diœceſis autem Macedoniæ, Daciæ, atque Illyrici partis ejus, quæ pertinebat ad Orientis Imperium Metropolis fuit Theſſalonica, ut fidem facit Theodoritus *l.5. hiſt. Eccl. c.* 17. Ad poſtremum tamen Juſtinianus, tum ſedem Præfecti Prætorio Illirici, tum etiam Vicariam Apoſtolicam, ſeu jura Primatus aſſentiente Papa Vigilio ex urbe Theſſalonica tranſtulit Acridum Dardaniæ oppidum Juſtiniani natale, deque ſuo nomine Juſtinianam primam dici voluit *novella* 11. Deinde Nicolaus Papa I. *epiſt.* 2. hortatus eſt Michaelem Auguſtum, ut inſtaurari curaret antiqua jura, quæ Theſſalonicenſis Epiſcopus olim exercuerat, tanquam Romani Pontificis Vicarius per novam, & veterem Epirum, per Illyricum, Macedoniam, Achajam, Theſſaliam, Daciam Riperenſem, & Daciam Mediterraneam, & Myſiam, & Dardaniam, & Prævalim. Has enim omnes provincias hæc olim Vicaria complectebatur.

Sex pariter conſtitutæ ſunt Occidentis Diœceſes, ac Vicariç civiles. Una Italiæ, altera Illyrici partis quę ad Occidentale pertinebat Imperium, tertia Africæ, quarta Galliæ, quinta Hiſpanicę, ſexta Britannię. Metro-

polis Italiæ Vicariæ fuit Mediolanum, Gallicanæ verò Auguſta Trevirorum. Utrumque colligitur ex Athanaſii *epiſt. ad ſolitar. vit. agen.* Dum loquitur de Paulino Trevirorum, & de Dionyſio Mediolani Epiſcopo. Id firmat Theodoritus *l. 2. hiſt. Eccl. c.* 15. Salvianus quoque ipſe Gallus *l.* 2. *de Provid. Dei*. Trevirim dicit ſummam Galliarum urbem. Vicaria porrò Britanniæ Metropolis Eboracum fuit, quæ eſt Romanorum Colonia, quam Spartianus in Severo urbem abſolutè per antonomaſiam vocat, & in qua Conſtantius Imperator Magni Conſtantini pater regiam conſtituit, diemque obiit, ut prodit Euſebius *l.* 1. *vitæ Conſtantini*, Eutropius, Aurelius Victor, & Oroſius.

Diœceſis Africæ indubitatum eſt Metropolim, tàm civilem, quàm Eccleſiaſticam fuiſſe Carthagine conſtitutam, cujus etiam Epiſcopus primatu ſupra omnes totius Africæ antiſtites potiebatur, ut paſſim cernere eſt in Cypriani epiſtolis, & in univerſalibus Conciliis Africæ, quæ ab Epiſcopo Carthaginenſi omnes indicebantur, & quibus præſidebat, cuique ſubiacebant Numidiæ, & Mauritaniæ Primatus.

Illyrici partis ejus, quæ ad Imperium Occidentale ſpectabat Metropolis, fuit Sardica urbs in Illyrico celeberrima, & Concilio œcumenico ſpectabilis, in quo trecenti Occidentales Epiſcopi curante religioſiſſimo Conſtante, qui Occidentale regebat Imperium de Ariana impietate triumpharunt. In ſubſcriptionibus Concilii Magni Nicæni apud Gelaſium Cyzicenum, ita ſignatum legimus: Protogenes Sardicæ civitatis Epiſcopus pro ſanctis Dei Eccleſiis, quæ ſunt in Dacia, Calauria, Dardania, & provinciis vicinis.

De Hiſpania, quænam fuerit Metropolis, ac Vicaria, nonnihil ambigitur. In Hiſpalim propendeo Romanorum coloniam Beticæ caput, ſitus commoditate, opibus, amplitudine, & emporii frequentia ab omni ævo inclytam. Conſtat utique Hiſpalis Epiſcopum

pum fuiſſe ab antiquis ſæculis Hiſpaniarum primatem hanc enim illi poteſtatem indulgent Simplicius Papa I. *epiſt.* 1. Deinde Hormiſda Papa *epiſt.* 26. quæ eſt ad Saluſtium Hiſpalenſem Epiſcopum. Hoc jure primatus uſi ſunt ſanctiſſimi urbis ejuſdem Epiſcopi Leander, & Iſidorus, qui primus in Concilio Toletano quarto ſubſcripſit. Ipſe verò Toletanus Epiſcopus, olim ſolius Carpetanæ Provinciæ Metropolita regum Gotorum opera qui Toleti regiam fixerant, primatus honore potiri cæpit in Concilio Toletano duodecimo, ut in ejus canone ſexto decernitur.

Roma verò ſuum peculiarem agnoſcebat præfectum, qui cæteris omnibus præeminebat urbis dignitatibus *l.* 3. *c. de offic. præf. urbis*. Huic parebant ſuburbicæ quoque regiones, quotquot nimirum intra centeſimum ab urbe lapidem continebantur, protenſæ intra Tuſciam, Picenum, & Campaniam *l.* 1. *ff. eod.* Huc reſpexit Septimius Severus Auguſtus, quando exauctoratos milites prætorianos Romæ finibus ab uſque centeſimum lapidem ſub capitis pœna juſſit excedere, ut refert Herodianus *lib.* 2.

Demùm Juſtinianus depulſis ex Africa Vandalis, quintum adjecit Præfectum prætorio ad quatuor præcedentes: ejuſque reſidentiam Carthagine, quam de ſe Juſtinianam tertiam dici voluit, conſtituit *l.* 1. *c. de offic. præf. præt. Afr.*

Nos ſuperius Vicariam quidem Galliæ Treviris præfiximus: at verò ſedem ipſius Galliarum Præfecti cujus poteſtas Hiſpaniam quoque, & Britanniæ inſulam complectebatur, ſtabiliverat Conſtantinus primus in Arelatenſi urbe, cui etiam Conſtantinæ nomen impertitus eſt. Prorsùs enim errant nonnulli, qui hoc nomen mutuatum exiſtimant à Conſtantino tyranno, qui contra Honorium rebellis, hac ſe urbe communierat: non enim poſt profligatum, & extinctum tyrannum illud idem Honorius in ſuo ad

Agricolam Galliarum Præfectum reſcripto Arelatam vocaret Conſtantinam, ut eam vocat, ſi recens id nomen à tyranno accepiſſet. Ex hoc porrò reſcripto comprobatur inſuper fuiſſe Arelatæ conſtitutam præfecti Sedem. Jubet enim Honorius eodem reſcripto veterem conſuetudinem per tyrannos diù intermiſſam inſtaurari, ut quotannis in ea urbe conventus habeatur, ſeptem Galliæ Provinciarum ſub illuſtri (ſic enim loquitur) præſentia Præfecturæ. Undenam verò illa vetus conſuetudo ortum habuit, niſi à Conſtantino hujus urbis ſtudioſiſſimo, qui ſuum ei nomen indidit, quique totius Occidentis generale Concilium, eadem in civitate celebrari voluit in cauſa Donatiſtarum, aut etiam, ab ipſius patre Conſtantino Chloro, qui in Gallia imperavit? Inſuper illa Galliarum Præfecti Sedes Arelatenſis aſſeritur hiſce verbis Epiſcoporum olim Arelatenſi Primati ſubditorum ad Leonem Papam primum ſcribentium: hanc civitatem ſublimiſſima præfectura, hanc reliquæ poteſtates velut communem omnibus patriam ſemper inhabitant. His alterum non minoris authoritatis teſtimonium adjungimus Gregorii Turonenſis ſcribentis *l.* 2. *hiſt. Franc. c.* 7. quo tempore Hunnorum Rex Attila ſe obſidioni Aureliæ accinxit, ejus verbis Epiſcopum S. Anianum implorandi auxilii cauſa ad Aetium Galliarum præfectum ſe contuliſſe Arelatæ commorantem. Denique res eadem aſtruitur antiquis inſcriptionibus, quarum una hæc viſitur in Arelatenſi urbe de auxiliari Præfecto, cujus etiam fit mentio in Hilarii Arelatenſis Epiſcopi vita ab auctore temporis ejuſdem conſcripta: quæ pariter meminit cujuſdam præfecti, quem Hilarius privatim ſæpiùs correptum, tandem intra Eccleſiam concionando præſentem redarguit.

In-

Inſcriptio autem eſt hujuſmodi.

SALVIS DD. NN. THEODOSIO, ET VALENTINIANO P. F. V. AC TRIUM. SEMPER AUG. XV. COS. VIR IN L. AUXILIARIS PRÆF. PRÆTO. GALL. DE ARELATE MAMILLARIA PONI F. M. P. I.

Dominis noſtris, Piis Felicibus, Victoribus, Triumphatoribus Inluſtris hoc eſt Illuſtris. Fecit milliare paſſum unum.

Erat enim primus lapis milliarius proficiſcentibus ex ea urbe.

Hinc eſt quod ſanctum Doctorem, & Pontificem Ambroſium Arelatenſes ſibi civem jure vindicare poſſunt, cum teſtetur in ejus vita Paulinus natum in Gallia in ipſoque prętorio educatum infantem, & in ipſis cunis apum indicio, qualis futurus eſſet, pręmonſtratum, dum pater ipſius prętoriana pręfectura in Galliis fungeretur.

Perperam verò Joſephus Scaliger, & Guidus Savaro in ſuis ad Apollinarem commentariis tres fuiſſe, intra Gallię fines Vicarios imaginantur, cum diſertè docebat liber notitię Imperii, ſex tantum fuiſſe Occidentis Vicarios, in Italię quidem præfectura tres, & in Gallię pręfectura totidem alios: unum quidem intras fines ipſius Gallię, ſecundum in Hiſpania, tertium in inſula Britannię. Quam rem accuratius obſervant Pancirolus in ſuis ad eamdem notitiam commentariis, & Jacobus Sirmundus in notis ad Sidonium *l.* 1. *epiſt.* 3.

Proſecutio Canonum Antiochenorum.

SEd jam ad Antiochenos canones, unde digreſſi fuimus, regrediamur: igitur canon 10. ſancit Chorepiſcopos Hypodiaconorum, Lectorum, & Exorci-

pud Guidonem Papæ Galliæ Juriſconſultum deciſ. 110. Dum hæc Antiochiæ Synodus habebatur abſque Julii Papæ conſenſu in prejudicium cauſę Athanaſii ad ipſius Tribunal devolutę, Romanęque Synodi ab eodem indictę, Romanam Synodum iſtam Julius proſequebatur ad quam citati Orientales accedere detrectarunt: quia verò Romę comparebant Athanaſius Alexandrinus, Marcellus Ancyranus, Aſclepas Gazę, Lucianus Adrianopolis, aliique ſuis per Arianos deturbati ſedibus Epiſcopi, diſcuſſa demum horum cauſa decretum eſt, fuiſſe injuſtè depoſitos, & ad priſtinas remiſſi ſunt Eccleſias, depulſis quos eorum loco Ariani promoverant. His de cauſis ſcripſit Julius ad Orientales epiſtolam, in qua hoc etiam aſſeverat fuiſſe in primis ab Apoſtolis traditum, deinde in magno Nicęno Concilio firmatum, non poſſe ullam convocari Synodum invito, & inconſulto Romano Epiſcopo; his litteris Orientales non obtemperanta, aliaſque ad Julium reſcribunt querelarum plenas. Utraſque & Julii, & Orientalium profert litteras Athanaſius apol. 2.

Imperabat eo tempore in Occidente Conſtans, qui in Coſtantini fratris ditiones ſucceſſerat. Conſtans verò religioſiſſimus, & optimus Princeps, ut hęc Epiſcoporum diſſidia componerentur, egit cum fratre Conſtantio, ut œcumenica Synodus Sardicę cogeretur: eò quod eſſet civitas confinis, ac intermedia Orienti, & Occidenti, ſita inter Illyricum, Męſiam, & Thraciam. Docet Theodorus Balſamon, dici vulgò *Triadizem*, quę olim Sardica.

Sy-

uno Epiſcopatu ſe in alium promoveri conſentiunt. Vide ſuperius obſervata, & producta ad Nicænum Canonem 15.

Canon 3. ſtatuit, ut inviolabile ſit jus appellandi ab Epiſcoporum Synodis ad Romanum Pontificem, vetatque ne in fraudem hujuſmodi appellationis de alio quoquam provideatur in locum Epiſcopi, qui Synodi judicio depoſitus appellaverit. Poſt hæc abrogantur, quæ Antiochena Synodo paulò ante decreta vidimus adversùs Athanaſium, alioſque Epiſcopos, quibus injuſtè depoſitus, alios temere ſubrogaverant. Iſtud appellationum jus ad Romanum Epiſcopum attribuitur decretis Nicæni Concilii per Zoſimi litteras in actis Carthaginenſis Concilii 6. qua de re infra ſuo loco.

Can. 6. cavet ne in vicis, & oppidis erigantur Epiſcopatus, ne dignitas vileſcat: ejuſmodi verò locis præfici ſolebant Chorepiſcopi.

Canones 8. 9. 10. 11. 12. faciunt ne quis Epiſcopus eat in Comitatu, ſeu Principis Aulam, niſi ab ipſo principe vocatus, cujus litteras hæc Synodus vult exhiberi, aut Metropolitano, aut Synodo Provinciali: a quibus tenetur Epiſcopus litteras commeatus formatas referre. Quod ſi Romæ verſetur Imperator, ne quis Epiſcopus ei ſupplices libellos offerat, niſi prius lectos, & approbatos ab Epiſcopo Romano. Cum Epiſcopis has leges tranſgredientibus omnis interdicitur communicatio. At his perditis temporibus innumeri reperiuntur verius aulici aſſentatores, & paraſiti quàm Epiſcopi, neque re vera Paſtores, ſed Mercenarii, qui luporum incurſus parvipendentes, & reſidendi officium averſantes, aulam conſectantur, & Eccleſiæ Chriſti dignitatem, jura, & diſciplinam procerum libidini fœdiſſimè ſubjiciunt; ad hoc unum intenti, ut eorum gratiam aucupando, ſuas promovere poſſint cupiditates. Mirificè Chryſoſtomus *hom. 57. in Geneſ.* invehitur in prælatos officii ſui negligentes: ubi obſervans quantis

tis ærumnis laboribus, & vigiliis Jacob gregem Labani curabat, Gen. 31. commonſtrat quam deploranda, & divina ultione punienda ſit prælatorum circa dominicum gregem incuria, cujus ſaluti Princeps Paſtorum Chriſtus ſanguinem, vitamque profudit. Scire convenit conventum Philippenſem, qui falsò nomen ſibi Concilii Sardicenſis vindicabat, damnaſſe quoſcumque vera, & legitima Synodus Sardicenſis abſolverat, Julii quoque decreta conſcripſiſſe: primamque inter omnes Pſeudo-Synodus anathema dicere auſam in Romanum Pontificem, eò quod Julius cum Athanaſio, aliiſque injuſtiſſimè exauthoratis Epiſcopis communicaſſet ut Sozomenus ſcribit *l. 3.c.7.* & quia Gratus Carthaginis Epiſcopus Orthodoxus in legitima Synodo Sardicenſi conſederat, iſti Philippenſes Ariani cum Donato communicarunt Carthaginis Pſeudo-Epiſcopo, cæteriſque Donatiſtis, ut Hilarii fragmenta docent. Quemadmodum etiam in Ægypto Ariani Societatem injerant cum Meletianis odio Athanaſii. Eoque factum eſt, ut communi Arianorum, & Donatiſtarum fraude ſuppreſſis in Africa legitimi Sardicenſis Concilii decretis, ipſe Auguſtinus, aliique Africani patres in Concilio Carthaginenſi ſexto non aliud agnoverint Sardicenſe Concilium, quam Arianorum.

Peracta Sardicenſi hac Synodo hæretici Conſtantio Auguſto freti, omnia rurſus in Oriente perturbarunt: & Catholicos rapinis, carceribus, & verberibus, exiliiſque inſectati ſunt: donec Conſtantis fratris ſui litteris deterritus Conſtantius exules nonnullos revocavit, & Athanaſium mortuo nefando illo, ſceleratoque Gregorio, ſedem priſtinam repetere permiſit, ut ipſe narrat Athanaſius *epiſt. ad Solitar.*

CON-

CONC. CARTHAGINENSE.

Sub Julio Papa, quod primum dicitur.

SOluto Sardicæ Concilio recurſus ex eo Gratus Carthaginis præſul, Conſtantem (cujus imperio parebat Africa) contra Donatiſtas concitavit: quos, ut reprimeret Conſtans, Legatos plena inſtructos poteſtate, copiis accinctos miſit in Africam, ut tumultuantes Schiſmaticos reprimerent. Unde ipſi Donatiſtę uſurpatis ſedibus dejecti, compulſi ſunt exulare, interque hos Donatus Carthaginis Pſeudo-Epiſcopus. Horum omnium exilio factum eſt, ut Africanę Eccleſię tranquilliſſima pace potirentur, donec mortuo Conſtante, qui ei ſucceſſit apoſtata Julianus in Eccleſię Chriſti perniciem intentus omnes Donatiſtas poſtliminio revocavit. Quum verò illis depulſis Africa univerſa in fide unanimi, & profunda pace conquieſceret, Gratus Africę Primas hanc ideò Synodum indixit, ut ruinas ſarciret, quas Donati ſchiſma fecerat.

Canon. 5. meminit canonum Sardicenſium (hi verò ſunt ordine, 16. 18. & 19.) probibentium ſuſcipere alienum Clericum, aut ordinare, citra proprii ejus Epiſcopi litteras. Quam ſervari diſciplinam diſtrictè pręcipiunt Carthaginenſes Patres. Sed & Apoſtolorum canones 15. & 16. & maximè 32. neminem peregrinum, ſive Epiſcopum, ſive Presbyterum, ſive Diaconum recipi decernimus, ſine commendatitiis litteris ἀνευ συςατικῶν. Theodorus Balſamon ad Apoſt. canon. 15 ſcribit opus eſſe volenti Clerico in alieno Epiſcopatu verſari, commendatiis litteris: at volenti Clericalia ibidem obire munia, neceſſarias eſſe litteras dimiſſorias; quales etiam ſumebant Epiſco-

pi

pi à ſuo Metropolitano, vel à Provinciali Synodo, ut ſtatutum paulò antè vidimus à Concilio Sardicenſi, Hodie verò ad Clericalia munia in alieno Epiſcopatu obeunda, ſufficiunt ordinum litteræ cum commendatitiis, ſeu teſtimonialibus proprii Epiſcopi juxta Concilium Trid. *ſeſſ.* 23. *cap.* 16. Prohibet verò Synodus Nicæna can. 16. omnem alieni Clerici ordinationem fieri, factamque declarat irritam, ubi proprii conſenſus Epiſcopi defuit. Iſteque debet apparere conſenſus ex dimiſſoriis litteris. Vide proximè ſequentem Diatribam, qua diſquirimus quis olim habitus, & quis nunc temporis habeatur proprius cujuſque Clerici Epiſcopus.

Can. 6. Clericis interdicit domorum adminiſtrationem, aut procurationem ſuſcipere. Cum edicatur 2. *Timot.* 2. *Nemo militans Deo implicet ſe negotiis ſæcularibus.* Eòdem ſpectat Lateranenſis Canon. *in cap. penult. de vita, & honeſt. Clericorum.* Maximè verò Chalcedonenſis canon 3. quem inferius requirito cum noſtris ad ipſum annotationibus.

Can. 8. interdicit Procuratores, Tutores, negotiorum Geſtores in Clerum ordinari, niſi poſtquam redditis ratiociniis liberati fuerint. Habetur in decreto *c. Magnus Epiſcopus diſt.* 54.

Ad præcedentem Canonem quintum Diatriba, quiſnam olim habitus fuerit, aut quis nunc habetur proprius Clerici cujusque Epiſcopus.

Compertum eſt ex ſuperioris Africani Concilii canone 5. & Nicæno canone 16. & Arelatenſis primi can. 22. & Sardicenſis can. 15. & Antiocheni canone 22. aliiſque pleriſque proprium cujuſque Clerici Epiſcopum, ad quem pro ſuſcipienda ordinatione te-

recurrendum erat, aut ſaltem pro dimiſſoriis ad hunc finem litteris, illum ipſum fuiſſe à quo Clericus quivis fuerat ordinatus, & pro vetuſta conſuetudine certæ addictus Eccleſiæ, in qua miniſtraret: unde poſtmodum excedere ſacri prægallegati canones diſtrictè vetabant. Hanc diffusè, atque eruditè pertractat quæſtionem Sorbonicus Doctor Franciſcus Hallier *de ſacris electionibus, & ordinationibus ſect. 5. cap. 3.*

Scio equidem habitam quoque originis rationem fuiſſe. Ipſe namque præfatus Carthaginenſis canon. 5. hoc etiam præſcribit: *Nec licere* (inquit) *Laicum uſurpare ſibi de plebe aliena, ut eum ordinet, ſine conſcientia ejus Epiſcopi de cujus plebe eſt.* Quod idem, & à Sardicenſi Concilio decretum fuiſſe ibi aſſerit Gratus Epiſcopus qui teſte Athanaſio apol. 2. unus fuerat de Sardicenſibus Patribus. Julius Papa ſub quo hæc duo celebrata Concilia ſunt ſic decernit in reſcripto ad Orientales pro Athanaſio: *Nullus Epiſcopus alterius Parochianum præſumat retinere, aut ordinare, vel judicare abſque ejus voluntate: quia ſicut irrita erit ejus ordinatio, ita & judicatio.*

Cæterùm pro origine reputabatur ipſum domicilium, ut ſi quis in alia quàm in qua natus fuerat, parœcia inhabitaret, eo ipſo ſubiiceretur Epiſcopo loci in quo domicilium fixerat, ut poſſet ab eodem in Clericum aſſumi, Eccleſiæque certæ aſcribi, nec poſſet ab alio deinceps ordinari abſque dimiſſoriis. Nec verò præcitati canones obſiſtunt: cenſebatur enim quis de plebe, & de Parœcia cujus erat incola. Id verò innumera ſuadent teſtimonia: in primis Arauſiani Concilii primi canon 8. qui tamen requirit etiam jure merito alterius Epiſcopi teſtimonium in cujus olim Parœcia diù habitaverat ordinandus in Clerum: *Si quis* (ait) *alibi conſiſtentem Clericum ordinandum putaverit, prius definiat, ut cum ipſo habitet. Nec eum ſine conſultatione ejus Epiſcopi, cum quo ante habitavit, ordinare præſumat: quia non ſine cauſa diù ab alio non ordinatus remanſit.*

In Carthaginenſis Concilii cap. 44. & Africani cap. 28. Epigonius Epiſcopus conqueritur, quemdam à ſe baptizatum, educatum, & demum in Lectorem ordinatum ſubreptum ſibi fuiſſe à Juliano Epiſcopo dicente, civem eſſe ſuæ Parœciæ. Ideòque ab eodem ſine Epigonii dimiſſoriis factum Diaconum, Judicat Concilium fuiſſe hoc indebitè à Juliano attentatum: ratioque in promptu eſt, quia dudum fuerat is Clericus ab Epigonio primùm ordinatus, & Eccleſiæ Mapalienſi aſcriptus, in qua biennio Lectoris Officium exercuerat. Cœteræ rationes Epigonii ex abundantia, & ad majorem ingratitudinis expreſſionem producuntur, quòd is, de quo agebatur, Clericus fuiſſet ab Epigonio baptizatus, quòd inops fuiſſet, ejuſque charitate ſuſtentatus, & ab ipſo Juliano commendatus.

Paulinus *epiſt.* 45. quæ etiam inter Auguſtini epiſtolas inſeritur ordine 35. refert ſe Burdigalæ à Delphino baptizatum fuiſſe, deinde Barcinone in Hiſpania ad ferventem illius populi poſtulationem ordinatum Clericum, & ſacratum à Lampio: ſe verò decreviſſe Sacerdotium ab Ambroſio Mediolanenſi ſuſcipere. Unde duo obſervatu digna eruuntur; primum quidem exiguam, & ferè nullam originis, & Baptiſmi rationem habitam in ordinationibus: quandoquidem Paulinus ipſe in Provincia longè ab urbe nativitatis, baptiſmique ſui diſſita in Clerum aſſumptus eſt. Ad id namque ſufficiebat perſpecta viri virtus, & fama illuſtris, præſertim populo id poſtulante, & precibus urgente: ſed ubi non fuiſſet perſpecta viri alienigenæ virtus, ne periculum foret indignum, aut etiam canonibus virum interdictum ordinandi, remittendus ſanè fuiſſet ad originis Epiſcopum, aut certè alium, cui perſpectæ fuiſſent hujus ad ordinem requiſitæ qualitates.

Obſervandum ſecundò ex eodem Paulini teſtimo-

monio, potuiſſe aliquem jam in Clerum aſſumptum, & ordinibus initiatum recipere ab altero Epiſcopo ſacrum ſacerdotium, abſque prioris Epiſcopi dimiſſoriis: ſi tamen non ſponte, ſed quaſi per vim ſuſceperat ordines anteriores, cum hac proteſtatione nolle ſe addici certę, & peculiaris Eccleſiæ miniſterio. Id enim Paulinus ipſe à ſe factum teſtatur *epiſt. 6.* ad Severum: *Nam* (inquit) *in Barcinonenſi Eccleſia conditione conſecrari adductus ſum, ut ipſi Eccleſiæ non alligarer, in Sacerdotium autem non etiam in locum Eccleſiæ dedicatus*. Ubi autem iſtæ deerant conditiones ab illo qui primùm ordinaverat Epiſcopo, ſuſcipiendum erat ſacerdotium, quamtumvis alibi aliquis natus fuiſſet.

Præterea multa ſuppetunt huiuſce ritus apud veteres exempla præter iſtud Paulini. Origenes enim ortu Ægyptius, ab Alexandro Hieroſolymorum Epiſcopo fuit Presbyter conſecratus ad ſolas Demetrii Alexandrini Epiſcopi litteras de moribus, & doctrina teſtimoniales, abſque dimiſſoriis: nec verò tantus vir, qui Deo revelante fuerat evectus ad Jeroſolymitanam ſedem, quique ſingulari vitæ ſanctitate, & librorum quos ſcripſit, eruditione toti Eccleſiæ illuxit, atque illibatam vitam glorioſo tandem Martyrio concluſit, rem indebitam auſus fuiſſet, aut libro in Demetrium Alexandrinum edito defendiſſet, cujus mentio fit ab Hieronymo de ſcriptoribus Eccleſ. in Alexandro.

Præfatus etiam Paulinus, & Severus Sulpitius ſcriptores ambo vitæ S. Martini Turonenſis Epiſcopi, narrant, Martinum Sabariæ in Pannonia natum, ab Hilario Pictavorum Epiſcopo fuiſſe primum Exorciſtam creatum: deinde majoribus Eccleſiæ ordinibus inſignitum, & deinceps Hilario, dum vixit, addictum.

Epiphanius juxta Eleutheropolim Phœniciæ urbem natus, Clero invitus licet, ac repugnans in Cypri urbe Salamine initiatus fuit: mox Diaconus, ſubinde Presbyter, poſtremò Epiſcopus ejuſdem urbis

creatus fuit, ut Græcè ſcripta ejus vita teſtatur.

Similiter Hieronymus Stridone in Dalmatia oriundus, ab Antiochiæ Epiſcopo Paulino Presbyter eſt ordinatus, ut ex ipſius *epiſt.* 57. & 58. & 61. compertum eſt. Hieronymi frater Paulinianus æque Stridonenſis Sacerdotio ab Epiphanio Conſtantiæ (quæ & Salamis dicitur) Præſule conſecratus eſt, ut ex Hieronymi *epiſt.* 61. liquet.

Auguſtinus, cui patria Tagaſte, Baptiſmum quidem Mediolani ab Ambroſio ſuſcepit, a Valerio autem Hypponenſi Epiſcopo Clericali militiæ aſcriptus eſt, & Sacerdotio conſecratus, ut refert ipſius vitæ ſcriptor Poſſidius, idemque ipſe in confeſſionum libris.

Pinianus nobilis Romanus cùm Hypponem Auguſtini videndi gratia veniſſet, urgente, atque ad Clerum poſtulante illum populo, juravit ſe clericatum in nulla alia Eccleſia recepturum, teſtante ipſo Auguſtino *epiſt.* 225.

Evagrium etiam Ægyptium Gregorius Nazianzenus Conſtantinopoli Diaconum ordinavit, Socrate teſte *lib.* 5. *cap.* 18.

Quin etiam Auguſtinus, & Severus mutuò diſceptantes pro Timotheo Clerico *epiſt.* 240. & 241. nihil de ipſius patria diſputant, ſed ſolùm à quonam fuerit ordinatus: ut eum ſibi ſolus poſſit, qui Clericum fecerat, vindicare. Conqueritur ibi Auguſtinus Timotheum poſtquam pluries in Eccleſia ſibi ſubdita de pulpito legerat, fuiſſe tamen à Severo ſe inconſulto Subdiaconum ordinatum, ſed eum ad ſuam Eccleſiam pertinere aſſeverat, rogatque Severum ne hunc aperiri ſinat aditum ad ordinem diſſolvendum Eccleſiaſticæ diſciplinæ, ſed Timotheum ad ſe dimittat; ne iſte perjurio ulteriùs Deum offendat, poſtquam Eccleſiæ in qua primum ordinatus eſt juravit ſe ab illa non receſſurum. Ex hoc Auguſtini loco perſpicua fit vetus Eccleſiæ conſuetudo, quia is qui Clero aſcribebatur juramento ſpon-

de-

debat ſtabilitatem in Eccleſia, cui per ordinationem primum aſtringebatur. Qua tamen ſponſione ſe devincire Barcinonenſi Eccleſiæ Paulinus recuſavit, & ipſe Hieronymus Antiochenæ, qui in ſua ordinatione nullius ſe Eccleſiæ miniſterio addicendum proteſtatus eſt, ut ipſe de ſe teſtatur *epiſt*. 61.

Collapſa demùm Eccleſiæ diſciplina, ex quo deſiit laudabilis conſuetudo traditione Apoſtolica, & ſacris veterum Conciliorum ſanctionibus ſtabilita, ut quivis Clericus in ordinatione ſua certæ, & peculiaris Eccleſiæ miniſterio deputetur, à qua diſcedere non ſit ei deinceps liberum, ut ſtatuitur generalis Concilii Arelatenſis 1. can. 22. & œcumenicarum Synodorum Nicænæ primæ can. 15. & Chalcedonenſis can. 6. facta demum Clericis pro ſuo libito ab una ad aliam Eccleſiam commigrandi licentia, & poteſtate, tum primum diverſa invaluit proprii Epiſcopi notio, & acceptio. Tria enim diſtincta ſunt genera Epiſcoporum ad quos unicuique liberum eſſet pro libito recurrere ad quoſvis ordines ſuſcipiendos. Hi verò ſunt Epiſcopi, vel originis, vel domicilii, vel beneficii cujus diſtinctionis primus ex iis qui ſuperſunt meminit Canon Bonifacii Papæ VIII. *c. nullus de temp. ord. in 6.*

Mediolanenſia Concilia primum. & ſecundum, nova Orthodoxorum Epiſcoporum exilia, & Eccleſiarum ab Arianis clades.

DUæ Mediolani celebratæ ſunt Synodi circa Nicænam fidem, prima quidem anno 347. ut contra Baronii ſententiam probat Dionyſius Petavius in notis ad Epiphanium, & in ſua de Photino diſſertatione. Prima hæc fuit Catholicorum ſub Julio Papa, & Conſtante Occidentis Imperatore, cui parebat Mediolanum. In hoc Concilio, Valens, & Urſacius Epiſcopi, quorum Eccleſiæ Murcia, & Singidon in ditione quo-

que Conſtantis erant libellos pœnitentiæ dederunt, & retractationis, ac palinodiæ tùm Arianæ, quàm hactenus profeſſi erant, hæreſis, tùm calumniarum, quas adversùs Athanaſium confinxerant. Ambo remiſſi à Synodo ſunt ad Julium Rom. Epiſc. à quo veniam, & reconciliationem acceperunt ac referuntur tùm in litteris Oſii ad Conſtantium apud Athanaſium *ad ſol.* tùm in epiſt. Synodi Ariminenſis apud eundem *lib. de Synodis*, & apud Socratem *l.* 2. & Theodoritum *l.* 2. *cap.* 15. & in fragmentis Hilarii, & in epiſt. Liberii Papæ ad Conſtantium apud Luciferum.

Chriſti poſtmodùm anno trecenteſimo quinquageſimo religioſiſſimus Conſtans Auguſtus ſanctæ Eccleſiæ adversùs Arianos, & Donatiſtas egregius defenſor, & vindex interfectus eſt juxta Pyrenæos in caſtro, cui Helenæ nomen à Gaiſone Magnentii Tyranni Duce. Dici non poteſt, quàm grave vulnus Eccleſiæ mors illa inflixerit. Arianorum namque audacia eo, quo hactenus reprimebatur diſiecto aggere, omni deinceps ferocia toto orbe terrarum graſſata eſt: Tunc venales illæ animæ Urſacius, & Valens, ut Conſtantii gratiam inirent, fidem Eccleſiæ datam fregerunt, ſeque iterùm Arianis adjunxerunt.

Magnentius ſublato Conſtante in Conſtantium arma perduellia convertit? omnibuſque utriuſque partis viribus acie confligitur ad Murſiam Pannoniæ urbem. Primo impetu concuſſæ Conſtantii copiæ pedem retulerunt. Sed reſumptis fortiter animis in Magnentianos irrupere, illoſque internecione profligavere. Biennio poſt deſperatis rebus ſuis Magnentius mortem ſibi apud Lugdunum conſcivit.

Dum ſe Conſtantius ad prælium adversùs tyrannum comparabat, Gallum patrui ſui Conſtantii filium, & Juliani qui poſtmodum in apoſtaſiam lapſus eſt, & imperavit, fratrem natu majorem creavit Cæſarem, dum eſſet Antiochiæ. Quo tempore Gallus, ut Dœmonis præ-

præſtigias eluderet oracula reddentis intra Daphnem Antiochiæ ſuburbanum lucum lauris conſitum, & fontibus irriguum, qui patrum ſuperſtitione fuerat Apollini dicatus, ſacra tranſtulit oſſa Martyris Babylæ olìm Antiocheni Epiſcopi ſub Decio martyrium paſſi; Qua translatione oraculum prorsùs obmutuit. Cùm verò perfidus Julianus in Imperio Conſtantio ſucceſſit ſacras Babylæ reliquias indidem aſportari juſſit, fanum & dœmonis aram iſtauravit: ſed excuſſo repentè fulmine ara diſiecta eſt, fanumque conflagravit, ut inter alios veteres authores enarrat Joannes Chryſoſtomus Antiochenus civis libro contra Gentes.

Ut verò paulò intermiſſum hiſtoriæ Conſtantii filum retexamus: dum hujus, & Magnentii copiæ acerrimo prælio decernebant, Conſtantius intra Eccleſiam Murſi non longè à conflictu exitum ipſius anxiè præſtolabatur, unà cum loci Epiſcopo Valente. Hic occultè procuraverat, ut ſibi prælii exitus quàm citiſſimo aliquo indicio ſignificaretur, antequam Conſtantius id reſcire poſſet. Primus itaque Valens victoriam Conſtantio nunciavit, & ſiſcitanti unde id ſciret, aſſeveravit id ſibi ab Angelo revelatum inter ſupplices ad Deum preces. Itaque ille victoriam Valentis pietati acceptam referens, acriorem pro Ariana ſecta contra Orthodoxos inſectationem exorſus eſt. Nam & per Occidentem hactenùs Arianæ perfidiæ inacceſſum ſuam hæreſim longè, latèque propagare ſtatuit: uſus maximè opera Epiſcoporum Fortunatiani Aquilejenſis, & Saturnini Arelatenſis. Cùm autem jam ab omni metu, & fratris Conſtantis, & Magnentii Tyranni liber Conſtantius urgeret Athanaſii damnationem, velletque huic ſubſcribere Liberium Pontificem Julii ſucceſſorem, petiit Liberius cauſam iſtam in plena, atque intra Italiæ fines convocata Synodo pertractari: quibus acquieſcens Conſtantius Concilium indixit Mediolani, quod celebratum eſt anno 355.

H 3 Spe-

Speraverat Liberius in Occidentali Synodo prævalituram catholicam partem. Et utique Catholici numero longè hic prævalebant : res tamen in contrarium vertit, ob Conſtantii potentiam neſcio dicam an impotentiam, qui omnem adhibuit vim, ut quæ animo conſtituerat omnium conſenſu probarentur : orthodoxorum vota pro nihilo haberi volens, ſeque illis infenſiſſimum exhibens.

Adfuerunt Papæ Legati Lucifer Calaritanus in Sardinia Epiſcopus: Pancratius Presbyter, & Hilarius Diaconus. Hi poſtularunt in primis, ut ad ſtabiliendam fidei, animorumque optatiſſimam unitatem, & concordiam, ſubſcriberetur à cunctis Nicæno Concilio, quod unum poterat omnia diſſidia conſopire. Cœpit ſine mora ſubſcribere Dionyſius Mediolani Epiſcopus, ſed ei Valens calamum, & chartam per vim extorſit. Ex adverſo inſtant Ariani, hanc unam eſſe ineundæ concordiæ rationem, ſi omnes Athanaſii, cujus cauſa præſens Synodus indicta fuerat, quemque tot præcedentia Concilia proſcripſerant, condemnationi ſubſcribant. Neque in hac cauſa de communi fide decerni, ſed de privati hominis delictis. Dionyſius Arianorum fraudulentis pollicitationibus deluſus ſpondentium hoc facto univerſæ Eccleſiæ pacem, & unanimitatem, quæ alioquin nulla ſperanda foret, condemnationi Athanaſii, prout Orientales Synodi judicaverant, ſubſcripſit. Sed eum ſeorſim coarguit Euſebius Vercellenſis Epiſcopus,& ad facti hujus pœnitentiam reduxit.Hæc igitur inter innumeras rixas protracta, finitaque ſeſſio fuit.

Poſtridiè interpellatus Euſebius profitetur ſe haud ægrè iturum communis pacis ſtudio in Dionyſii ſententiam circa ipſum Athanaſium, tot jam Synodicis decretis exautoratum, dum provideatur, ne ſibi ſeniori Epiſcopo junior Dionyſius præferatur : ideòque illius oblitteretur ſubſcriptio, ut cùm ei viſum fuerit, iterùm ſubſcribat, poſtquam ætate provectior ſuum, ut

par

par eſt, nomen appoſuerit: non multùm in oppoſitum contendit Dionyſius. Ariani autem conſenſione Euſebii omnium laudatiſſimi geſtientes, de cujus nutu, & exemplo cæteri pendebant partium occiduarum Antiſtites, Dionyſii nomen ita eraſerunt: nulla ut littera ſupereſſet: Tum verò Euſebius ſimul, & Dionyſius apertè proteſtantur, ſe damnationi ſanctiſſimi, & innocentiſſimi Epiſcopi Athanaſii numquam conſenſuros, qui non niſi propter juſtitiam, & fidem perſecutionem patiebatur. Hæc refert Ambroſius ſerm. *69.* Reliqui orthodoxi reſumptis animis pro Athanaſio ſtant, Valenti, & Urſatio perturbationem Eccleſiæ funeſtis facibus propriam objectant, quam voce, & ſcriptis publicè ediderant confeſſionem, ſe per calumniam falſiſſima crimina adverſus Athanaſium confinxiſſe.

Tum confuſi, eòque acriùs excandeſcentes Ariani, ut ſcripſit Athanaſius *epiſt. ad ſol. vit. agen.* Apoſtolicos legatos conſtantiſſimè perditis conatibus ſuis obſiſtentem indigniſſimè habent. Ex quibus Hilarium Diaconum flagellis crudeliter lacerant, deinde reliquos duos Apoſtolicos legatos Luciferum, Pancratium, ſimulque Euſebium, Dionyſium, Paulinum Trevirorum Epiſcopum, alioſque ſuis ablegant Eccleſiis: qui mox in diverſas orbis plagas raptati, ac deportati ſunt edicto Conſtantii: qui & ipſum Liberium Romanum Epiſc. ab iſto Conciliabulo dejectum, & depoſitum in Thraciam relegavit. Cujus in ſedem Ariani Felicem ſuffecerunt Romanæ Diaconum Eccleſiæ, qui tametſi mente orthodoxus, ambitu tamen primæ ſedis cum Arianis ſocietatem inivit, Athanaſiiq; damnationem ſuo ſcripto roboravit. At Clerus, populuſque Romanus perfidi hujus invaſoris communionem averſatus eſt. Eum tres Ariani Epiſcopi Pontificem ordinarunt, ut perhibent Athanaſius *Epiſt. ad ſol.* Hieronymus *de ſcript. Eccl. in Acacio*, Ruffinus, & Theodoritus *l. 2. c. 14.*

Conſtantius miſſo cum exercitu Cypriano Comite

Georgium perditiſſimum ex Mediolanenſis hujus Pſeudo Synodi decreto in Alexandrina ſede ſtabilivit. Luctuoſiſſima tunc edita eſt Catholicorum ſtrages ſine profeſſionum, aut ſexuum diſcrimine: in Clericos, in Monachos, in ſacras Virgines, cædibus, raptationibus, carceribus, flagellis, & exquiſitis cruciatibus promiſcuè rabies Ariana graſſata eſt, ſacra omnia prophanaque à militibus direpta, innumeri inter duriſſimos cruciatus trucidati, concitatis etiam per Arianos Paganis, & Judæis in populum fidelem, qui ea omnia paſſus eſt, quæ in internecino bello ab immanibus, & ſæviſſimis hoſtibus infligi poſſunt. Iſta porrò calamitas per univerſam Ægyptum, Cyrenem, Libyam pervagata eſt. Tot inter atrocitates clàm evaſit ad necem conquiſitus Athanaſius, multoſque annos delituit. In hiſce latebris epiſtolam conſcripſit ad ſolitariam vitam agentes atque diverſas, quæ ſuperſunt, Apologias.

Oſius etiam Cordubenſis tot terrarum orbe celeberrimus, jamque ætate centenarius, ut ſcribit Athanaſius, fruſtra blanditiis, terroribuſque ad damnandum Athanaſium tentatus, Sirmium tandem Pannoniæ oppidum deportatus eſt, ibique uſque ad Sirmienſem Synodum detentus exul. Lucifer verò Calaritanus ſcripſit in exilio ad Conſtantium plures pro Eccl. Cathoca libros, quibus nihil fortius, nihil conſtantius, nihil aculeatius legi poteſt: vir ſanè magnanimus, fidei zelo ſuccenſus, martyriique appetens.

Quod verò ſpectat ad Conſtantinopolitanam Eccleſiam Paulus ejus Epiſc. fidei, & conſtantiæ ſpecimen, dignuſque Alexandri ſucceſſor illius, cujus precibus Arius infami morte perierat, extorris ab Arianis factus eſt: Subrogato ejus in locum Euſebio hactenùs Nicomediæ Pſeudo Epiſcopo. Sed haud multò poſt ipſo mortuo Euſebio, Paulus à populo revocatus in ſuam, unde dejectus fuerat, Eccleſiam regreditur. Ariani tamen Macedonium, ejuſdem regiæ urbis Epiſcopum

creant.

creant. Diviſis ergo ſtudiis partium, graves accenduntur ſeditiones. Conſtantius verò tunc Antiochiæ exiſtens Hermogenem ducem Conſtantinopolim mittit, cum mandato, ut Paulum Eccleſia, & urbe ſtatim exigat, ſimulque Macedonium ipſum, eo quòd ipſius violentis conſiliis, & cohortationibus ſeditiones, & per diverſa loca cædes factæ fuiſſent. Paulus Romam ad Julium Papam ſe recepit, cujus decreto, & Conſtantis fratris ad Conſtantium litteris rediit ad priſtinam ſedem, ſimulque Athanaſius Alexandriam; quod quidem poſtliminium illam præceſſit pluribus annis Athanaſii depulſionem, quam paulò ante commemoravi.

Cæterùm mortuo Conſtante, Paulus Conſtantii juſſu deportatur, & Cucuſi tandem in Armenia ſtrangulatur in carcere ab Arianis: reſtituitur autem in ſedem Macedonius. Cæterum tranſactis aliquot annis ſuadente Acacio Cæſaræ Paleſtinæ Epiſcòpo, qui erat abſolutorum Arianorum Princeps, Concilium cogit Conſtantinopoli Conſtantius, quo Semiariani Epiſc. (quorum Princeps erant Macedonius Conſtantinopolitanus, & Baſilius Anciranus) ſuis deturbantur ſedibus. Itaque dejecto Macedonio, Eudoxius ex Antiochena quàm dudum invaſerat ſede, in Conſtantinopolitanam transfertur. Abdicatus Macedonius novam producit hæreſim contra Spiritus Sancti divinitatem. Licèt enim ipſe Semiarianus filium profiteretur eſſe Deum, & Patri ſecundùm ſubſtantiam ſimilem; At Spiritum Sanctum in ordine creatarum rerum collocabat; quæ poſteà hæreſis ſecunda œcumenica Synodo damnata eſt.

Ut verò ad Antiochenam Eccleſiam digrediamur ſtatim atque Leontius Eunuchus, & Arianus Antiochenam ſedem morte ſua vacuam reliquit eò accurrens Eudoxius Germanicæ in Syria Epiſcopus dolo, & factione Epiſcopatum Antiochenum occupat: ſed aliquantò poſt ab Arianis ad Thronum Conſtantinopolis Eccleſiæ promotus eſt, Antiochenæ verò Eccleſiæ

iidem

Iidem digreſſo Eudoxio Meletium præfecerunt, qui fuerat Sebaſtæ Epiſcopus virum eloquentia, & morum lenitate ſpectabilem, hactenùs Arianis addictum. Sed præter omnium expectationem, cùm primùm ad Antiochenos ſermonem haberet, apertè docuit Dei filium ejuſdem eſſe cum Patre ſubſtantiæ: Tum Archidiaconus, qui retrò aſtabat concionanti, porrecta manu, ne ultra loqui pergeret, os dicentis occluſit: At Meletius manum ſuam elevans tres digitos primùm diductos, deinde in unum compreſſos oſtendit populo, ſignificans Patrem, Verbum, & Spiritum Sanctum, tametſi perſonis diſtinctos, unius eſſe, ejuſdemq; eſſentiæ. Cum que Archidiaconus ore Meletii dimiſſo, ejus manum comprehendiſſet, ipſe rurſùs libera voce populum cohortatur, ut Nicænæ Synodo firmiter adhæreat, alioquin enim omnem eis ſalutis æternæ viam præcludi. Tam inexpectato caſu Ariani perculſi Meletium exautorant, ejuſque loco Euzojum protrudunt. Tum verò Antiocheni tres in partes mutuò adverſantes diviſi ſunt. Ariani omnes Euzojum complectebantur: ex Catholicis verò pars Meletium agnoſcebat, & ſequebatur Epiſcopum, pars altera Meletii, utpotè ab Arianis protruſi, & cum eis olìm communione maculati, ſocietatem abhorrebat. Et quidem ſuos conventus ſeorſim peragrantes Euſtachianorum nomen à magno illo quodam Euſtachio Antiochiæ Epiſcopo ſibi aſſumebant, quæ Antiochenæ Eccleſiæ conſciſſio diù perduravit. Lucifer enim Calaritanus Epiſcopus legati munere fungens apud Orientem, Paulinum Euſtachianis Epiſc. conſecravit, ſicque tres ſimul extiterunt Antiocheni Epiſc. At Lucifer in ea legatione ſocius Euſebii Vercellarum Epiſc. aliquantò poſt Antiochiam adveniens Collegæ factum haud multum approbavit; providitq; ne ſchiſma iſtud Antiochenum perpetuò propagaretur, ut cum alter amborum, ſive Meletius, ſive Paulinus prior moreretur, ad alterum ſuperſtitem tranſiret pars illa quæ,

de-

defunćto paruerat. Cæterùm mortuo poſtmodum in œcumenica Conſtantinopolis Synodo Meletio, Epiſcopi Orientales Paulino iniquiores hoc nomine quòd ab Occidentali Epiſcopo fuiſſet promotus, & eſſet Damaſo Romæ Epiſc. aliiſque Occidentalibus neceſſitudine, & ſocietate conjunćtior, Flavianum loco Meletii ſuffecerunt: etiam ſi Antiochena Synodo an. 378. Conſtitutum fuiſſet, & juramento communi firmatum, ne quis alterius defunćti ſucceſſor crearetur, præter alterum ex duobus ſuperſtitem. Flavianus tamen valdè ſe laudabilem in Epiſcopatu præſtitit, atque in primis, quando Theodoſium Auguſtum dira omnia in Antiochenos ſeditionis perduellionis, & dejećtæ, raptatæque per urbem ſtatuæ conjugis Flacillæ Auguſtæ reos molientem, profećtus Conſtantinopolin oratione placavit, veniamque conſternato populo impetravit. Vita deinde Paulinus excedit, cui adhuc vivente Flaviano ſucceſſor eligitur Euagrius. Præcedentes Hiſtorias recenſent partim Athanaſius *ad ſolitar. & Apoſt.* 2. partim Ruffinus, Socrates, Sozomenus, & Teodoritus.

Concilium Sirmienſe, & Ancyranum.

SIrmienſem Synodum Baronius refert in ann. 357. alii quidam cum Dionyſio Petavio anteriorem fuiſſe contendunt. Arianorum Conciliabulum fuit, qui cum videri Catholici, atque in Chriſtum religioſi affećtarent, damnaverunt Photinum Sirmii (quod oppidum eſt Pannoniæ) Epiſcopum, poſtquam à Baſilic Ancyræ Epiſcopo in hoc cœtu diſputando convićtus, non tamen converſus fuit: fuerat olim Photinus Marcelli Ancyræ Epiſc. de quo mentio nobis ſuperiùs faćta, diſcipulus. Hæreſim vero Pauli Samoſateni dudum Antiochenis duabus Synodis execratam ex inferis reduxit. Chriſtum nihil aliud quam merum hominem eſſe. Damnatus pluries fuit Photinus, tùm à Catholicis

in

in Sardicenſi Concilio, ut refert Epiph. *hæreſ.* 71. & in Mediolanenſi primo, ut teſtis eſt Hilarius in fragmentis: tùm etiam ab Arianis in hoc Sirmienſi, ubi abdicatus Epiſcopatu fuit.

Adversùs Photinum novam Sirmienſes ediderunt formulam fidei, qua Filium Dei Chriſtum Patri ſecundum ſubſtantiam profitebantur eſſe ſimilem, ſed ejus ſilebant cum patre conſubſtantialitatem. Huic profeſſioni quæ nihil hæreticum exprimebat, ſimulque Athanaſii condemnationi ſubſcripſit infœliciter Liberius Papa, qui Sirmii tunc exulabat pro Catholica, fide deſiderio ſuccumbens repetendæ priſtinæ ſedis, & ex eadem emulum ſuum Fælicem Pſeudo Papam dejiciendi. Quod, & obtinuit per Sirmienſe decretum, cui Conſtantius quoque Auguſtus conſenſit, De hac Liberii ſubſcriptione agit Sozomenus, *l.* 4. *c.* 14.

Ea res magno Catholicis offendiculo fuit. Romam regreditur Liberius cum Arianis apertè communicans; ex adverſo Fœlix hactenus ſchiſmaticus omnem abrupit quam cum Arianis habuerat, ſocietatem. Liberius hac prævaricatione cœpit eſſe Romano Clero, magnæque parti plebis inviſus. Felix autem cæpit, tùm primùm pro Romano Pontifice haberi, cùm illum antea Romani omnes averſarentur. Mortuo demum Fælice, reſcipiſcens Liberius, & ab Arianorum conſuetudine reſiliens, admiſſus à Clero fuit Romæ conſiſtente in legitimum Pontificem, ejus itaque Pontificatus interruptus eſt Fælicis nomine ſecundi Pontificatu, qui vivente Liberio exceſſit, judicio Eccleſiæ Martyr ſub Conſtantio. Prudentia verò, & moderatio Romani Cleri præclarè effulſit, quatenùs ex una parte Romanos Epiſcopos perfida cum Arianis ſocietate conjunctos minimè ſuſtinuit: aliundè verò eoſdem ad meliora converſos admiſit, licèt antea lapſos, & Catholicæ cauſæ proditione infames, ut nimirum Eccleſiæ paci conſultùm eſſet, & ſchiſma pernicioſum antevertere-

tur,

tur, haud dubiè ſucceſſurum, ſi alios quamvis digniores ſibi Epiſcopos præfeciſſet.

Verùmtamen ut eſt leve, atque inſtabile ingenium hæreticorum, eadem ipſa Sirmii Pſeudo-Synodus ſecundam recudit fidei formulam, in qua ſubſtantiæ vocem, quam paulò ante filio attribuerat expunxit. Huic verò deteriori profeſſioni lapſu deplorabili ſubſcripſit inſignis ille Oſius, hactenus ſtrenuus, & magnanimus Catholicæ profeſſionis dux, & princeps, ſed Athanaſii damnationi, ut conſentiret adduci nullo modo potuit. Quis humanæ infirmitatis, & inconſtantiæ vicem non lugeat, non obſtupeſcat, non contremiſcat? quis hæreticorum artes, & nequitiam non perhorreſcat? Magnum illum, & ſanctiſſimum Oſium invictæ conſtantiæ ſpecimen, quo tot annos orthodoxa fides adversùs atrociſſimos Arianorum inſultus invicta ſteterat, & inconcuſſa, illum verè (uti vocabatur) Synodorum patrem, qui Legatus Apoſtolicus duabus præfuerat œcumenicis Synodis, Nicænæ, & Sardicenſi, qui tanta commendatione interfuerat, præcipuaſque partes egerat in Conciliis Eliberino, Arelatenſi, Neocæſarienſi, Alexandrino, & Gangrenſi, qui Solis inſtar Orientem, & Occidentem mirificæ doctrinæ ſanctitatis, & prudentiæ ſplendore colluſtraverat, qui fuerat Magni Conſtantini primus in fide Cathechiſtes, & quem ille viciſſim per venerationem, & obſervantiam Patris nomine honorabat, qui ſymbolum fidei Nicænæ compoſuerat, qui ætate ferè centenarius exilium pro fidei confeſſione, multaſque ærumnas, & verbera invicto animi robore ſuſtinuerat, illum, inquam, Oſium fidei columnam, Eccleſiæ columen, illum tot victoriis, & trophæis inſignem, flagellis tandem, & cruciatibus (ut ſcribunt Socrates, & Sozomenus) adegit Ariana perfidia, ut Arianæ profeſſioni ſubſcriberet. Refert tamen Athanaſius *epiſt. ad ſolitar.* ipſum ſub exitum vitæ ſuam damnaſſe cum Urſacio,

&Va-

& Valente, cæteriſque Sirmienſibus ſocietatem, & conſenſionem.

Dimiſſo Sirmii Conciliabulo alterum Ancyræ coegit eiſdem civitatis Epiſcopus Baſilius, qui Photinum publicè diſputando convicerat, cuique ſola placuerat prima Sirmienſis profeſſionis formula, & diſplicuerat ſecunda. In iſto Ancyrano conventu Baſilius obtinuit, ut ad ſecundam Sirmienſem formulam his conceptam verbis: Filius per omnia ſimilis Patri, adjungeretur ſecundum eſſentiam. Quæ formula ab Ancyranis ad Conſtantium Principem tranſmiſſa ſic ei placuit, ut eam juſſerit prævalere. Hanc Hilarius refert *l. 6. de Synodis*.

De Conciliabulis Ariminenſi, Seleucienſi, & Conſtantinopolitano.

DE Conſtantino veriſſimè teſtatur Ethnicus Hiſtoricus Ammianus Marcellinus his verbis: Chriſtianam religionem abſolutam, & ſimplicem anili ſuperſtitione confundens, in qua ſcrutanda perplexius, quam componenda, excitavit diſſidia plurima: quæ progreſſa fuſius aluit concertatione verborum: ut catervis antiſtitum jumentis publicis ultrò citròque diſcurrentibus per Synodos quas appellant, dum ritum omnem ad ſuum trahere conatur arbitrium, rei vehiculariæ ſucciderit nervos.

Uno eodemque anno trecenteſimo quinquageſimo nono Conſtantius duas toto orbe Synodos indixit, unam Seleuciæ in Oriente, alteram Arimini in Occidente. Convenere Arimini trecenti quinquaginta Epiſcopi Catholici, ut refert Severus Sulpitius, & præterea octoginta Ariani in quibus inſigniores fuere Valens, Urſacius, & Auxentius Sedis Mediolanenſis invaſor pulſo in exilium Dionyſio. Huic interfuit Synodo Legatus Liberii Papæ, Vicentius Capuæ Epiſco-

.ſcopus, eodem dudum munere perfunctus in Nicæna; In primis inſtiterunt Ariani, ut illa conflata Sirmii formula prævaleret, qua Filius Patri ſimilis aſſerebatur nulla interpoſita ſubſtantiæ multòque minus, conſubſtantialitatis mentione,catholici ſolùm admittendum eſſe Nicænum ſymbolum contendebant, & poſt varias demum concertationes ſeſe invicem ambæ partes diſiunxerunt. Catholici Antiſtites Valentem. Urſacium; Auxentium, Demophilum declaratos hæreticos de fidelium ſocietate reſecarunt.

Quia verò dirimi, ac ſolvi Synodum Conſtantius vetuerat, antequam ipſe receptis Synodicis litteris, & de actis Concilii plenè informatus, atque inſtructus, ſuum patribus placitum ſcripto ſignificaſſet: pars utraque per deputatos viros, Synodicas ad eum ſcripſit, ſed ab Arianis delegati Valens, & Urſatius citatione curſus primi ad Conſtantium in Oriente agentem delati: præoccupato illius animo ſic illum à Catholicis abalienaverunt, ut aditum ad ſe Legatis Orthodoxis non permiſerit: ſcripſit tamen ad Synodum ſe negotiorum fluctibus obrutum non potuiſſe Legatos in ſuum conſpectum admittere: verumtamen eis mandaſſe, ut Adrianopoli expectarent, donec ipſe ab expeditione, cui ſe accingebat, regreſſus eſſet.

Sic ille conſultò egit, ut Orthodoxi quorum pars major maluerat propriis, vel Eccleſiarum expenſis Arimini vivere, quam oblato ab Imperatore commeatu frui, tanta temporis prolixitate, magnitudineque ſumptuum deterriti, faciliùs cum Arianis convenirent, aut ſaltem ipſorum Legati ante ipſius diſceſſum, ut hac via poſſent acceſsum ad Principem demereri: quod & factum eſt lugubri ſanè exitu; Legati enim Catholicæ partis eo tandem adducti ſunt, ut novæ, & omnium deterrimæ formulæ ſubſcripſerint. Cùm enim Sirmienſis altera formula Filium profiteretur per omnia Patri ſimilem, hæc nova, cui ſubſcripſerunt tantum-

tummodò filium Patri perſimilem profitebatur. Quæ Legatorum prævaricatio non paucos ad Arianorum partes traduxit, aliis ſpem animumque dejecit, & reliquos gravi mœrore afflixit. Ad Taurum quoque Comitem, quem Concilio cum armatorum magna manu præfecerat, reſcripſit Conſtantius, ut patres omnes in unum conſenſum traheret, nec ante digredi ex Concilio quemquam pateretur.

Reverſi ad Synodum prævaricatores Legati ab Epiſcopis Catholicis communione fidelium expulſi ſunt. Hic tamen non diù perſeveravit fidei ardor, diverſi namque in dies tùm animi dejectione, tùm vi, tùm dolis, tum promiſſis tùm minis, tùm longioris moræ tædio ſuperati, ad Arianos deficiebant: qui cùm alio loco ſuos hactenus habuiſſent conventus, tandem ad Ariminenſem Baſilicam primariam conceſſerunt, depulſis qui pauci reſtabant Orthodoxis. Iſti etiam qui conſtantia majori perſtiterant numero 20. Arianæ demum formulæ poſt aliquot concertationes ſubſcripſerunt. Cùm ſcilicet Valens Epiſcopus quaſi benevolus arbiter, ſimulato pacis, & Eccleſiaſticæ unitatis ſtudio ſuggeſſiſſet addendùm, quaſi per ſummam erga adverſarios indulgentiam, Filium non eſſe Dei creaturam, quales ſunt cæteræ creaturæ, ſimulque celerem una cum Tauro Comite perurſiſſet omnium qui reliqui erant, ſubſcriptionem. Fegadius, qui ab reliquis Orthodoxis quaſi conſtantiæ, ſpecimen, & Concilii oraculum ſuſpiciebatur, propoſitioni Valentis acquievit, eamque ſcripto probavit: reliqui nihil cunctati hujus exemplum ſequuti ſunt, & hoc infauſto exitu dirempta eſt Synodus ſacrilega.

Poſtmodùm iſti rem ſerius expendentes adverterunt à ſe impium dogma confirmatum, atque per ea verba (ſicut cæteræ creaturæ) divinum, æternumque Verbum fuiſſe à ſeipſis incautius in ordinem rerum conditarum redactum: hoc ſolo diſcrimine, quod

eas

eas propria quadam, ſed tamen creata, dignitate præcellat. Quam impietatem abſoluti quidem Ariani, ut erant Valens, & Urſacius propugnabant: at Semiariani quales erant Baſilius Ancyranus, & Macedonius Conſtantinopolitanus rejiciebant, atque ad execrabiles Pauli Samoſateni, Photini Sirmienſis, & Ætii ſectas referebant. Semiariani enim Filium ſimilis cum patre eſſentiæ, ſeu ſubſtantiæ, non tamen coeſſentialem, ſeu conſubſtantialem profitebantur, cùm tamen abſoluti Ariani Patri diſſimilem Filium blaſphemantes inde Anomei dicti fuerint, ut teſtificatur Epiphanius.

Liberius Papa Concilium iſtud pro ſuo officio reprobavit: quò circa iterùm ab Arianis redactus eſt in ordinem, nemo tamen ejus in locum ſublectus eſt. Ipſe verò in Romæ cœmeteriis aliquot menſes delituit. Sanctus autem Gaudentius Arimini præſul, ut advertit ablatam Orthodoxis ſuffragiorum libertatem, omniaque in deteriùs ruere, ſe clanculum è Concilio ſubduxit; eoque ſoluto regreſſus in propriam Eccleſiam, decreta illius juſtiori decreto damnavit. Unde in tumultu ab Arianis concitato fuſtibus, & lapidibus interemptus Martyr in cœlum migravit.

Eodem anno 359. altera in Seleucia Synodo Orientalium coacta fuit 150. Epiſcoporum. Hilarius Pictavorum Epiſcopus, qui antè à Synodo Biterrenſi, quam Saturninus Arelatenſium Epiſcopus Arianus convocaverat ob fidei conſtantiam depoſitus, in Phrygiam fuerat à Conſtantio relegatus, nihilominùs à præfecto imperiali ad Seleuciæ Synodum fuit invitatus. Quò ille cum paucis Catholicis acceſſit, fidemque conſubſtantialitatis ſtrenuè, intrepidèque in medio Arianorum propugnavit. Eadem Pſeudo-Synodo inter ipſos hæreticos graviter decertatum eſt. Semiariani enim abſolutos Arianos damnationis ſententia perculerunt, & eorum præcipuum ducem Acacium Cæſareæ

Palæſtinæ præſulem, alioſque ejuſdem profeſſionis Epiſcopos ejecerunt.

Intereà Conſtantinopolim Conſtantius ex Orientali expeditione revertit: eum primus convenit Acacius, quem Baronius ſuſpicatur, eum ipſum fuiſſe Presbyterum, qui Conſtantino Magno à Conſtantia ſorore, quæ Licinio nupſerat, commendatus fuerat, quique Conſtantini teſtamentum ſibi ab eodem depoſitum reddidit Conſtantio; qua ex re præcipuam, & ſingularem hujus gratiam demeruit, quique Arianum eidem virus afflavit. Humaniſſimè igitur à Conſtantio exceptus eſt, cujus etiam animum adversùs Seleucienſe Conciliabulum exaſperavit, ſuaſitque, ut Conſtantinopoli novam indiceret Synodum, qua reprobaretur Seleucienſis. Hic ſe prodit Conſtantii inconſtantia, & commune hæreticorum ingenium, qui circumferuntur omni vento doctrinæ in nequitia hominum, ut dicit Apoſtolus *Epheſ.* 4. Idemque ſcribit *tit.* 3. hæreticum delinquere, cum ſit proprio judicio condemnatus: ſignificans eum ſibi contradicere, & mox reprobare, quæ paulò ante probaverit. Cum enim Conſtantius primam Conciliabuli Antiocheni formulam à Baſilio Ancyrano procuſam, & Synodo mox Ancyrana comprobatam prævalere juſſiſſet, qua Filius Deo Genitori ſecundum ſubſtantiam ſimilis prædicabatur, & hac ex cauſa Semiariani in Seleucienſi Concilio Arianos abſolutos diſſimilitudinis Filii à Patre ſuo aſſertores ſupplantaverint, nunc ſibi diſſimilis Conſtantius ab Acacio deluſus his ultimis favet.

Conſtantii ergo mandato Conſtantinopolim convenere quinquaginta delecti Epiſcopi, qui novam ab Acacio conflatam formulam probaverunt, quæ nona recenſetur à Socrate inter Arianæ profeſſionis formulas: cum tamen Catholici unicam ſemper Nicænam profeſſionem complexi ſint. Hac itaque Synodo ab Acacianis depoſiti, & communione excluſi ſunt Baſilius An-

Ancyræ Epiſcopus, & Macedonus Conſtantinopolis, Eleuſius Cyzici, Euſtachius Sebaſtæ, aliique Epiſcopi Semiariani. Ætius quoque ex Syria Presbyter nonnullorum criminum inſimulatus, novorumque dogmatum auctor de gradu Sacerdotii dejectus eſt, etiamſi eſſet Acacianus, & abſolutus Arianus. Ex orthodoxis depoſitus iſta Pſeud o-Synodo fuit Cyrillus Hieroſolymitanus Epiſcopus, cujus in ſedem Herennius Arianus promotus eſt.

Hilarius Pictavienſis dimiſſo Seleuciano Conciliabulo, Arianos Conſtantinopolim uſque proſequutus, ut in ipſa Principis hæretici aula trophæum Chriſti victor magnanimus erigeret, tres ſupplices libellos obtulit Imperatori, ut ſibi liceret eo præſente de fide cum Arianis, diſputare. Scriptos etiam adverſùs Arianam hæreſim libros Conſtantio offerre non formidavit: unum ex duobus futurum ſperans, ut vel Conſtantius tandem aliique Ariani veritate fidei perſpecta convincerentur, aut ipſe graves pro fide pateretur ærumnas, aut etiam morte afficeretur. Sed neutrius compos voti fuit. Cùm enim ejus invictam virtutem, & eloquentiam pertimeſcerent adverſarii, ne Orientem ubi prævalebat Arianiſmus Hilarius commoveret ulteriùs, Conſtantio perſuaſerunt, ut ipſum in ſuam Pictavienſem Eccleſiam remitteret, ut ſcribit Sulpicius poſt Hieronymum.

Hoc eodem anno propter conſtantem Nicænæ fidei profeſſionem proſcripti dudum ſancti Epiſcopi Paulinus Trevirorum, & Rodanius Toloſatum confeſſionis laudem Martyrii gloria cumularunt, per multa incommoda vita functi in exilio.

Macedonius poſtquam depoſitus Conſtantinopoli fuit, novam invexit adverſùs Spiritum Sanctum hæreſim, cui divinitatem impiè abrogabat; & cùm Filium Patri ſecundùm divinam ſubſtantiam eſſe ſimilem prædicaret, ſpiritu tamen, & ſubſtantia diſſimilem, ac

I 2 utri-

utrique longè inferiorem, quinimò utrique ſubditum, ac ſervum ſacrilego dogmate aſſeverabat. Quam hæreſim ipſius ſodales Baſilius Ancyranus, Euſebius Cyzicenus, & Eunomius propugnarunt, & propagaverunt.

Acaciani verò poſtquam depulſo Macedonio Eudoxium, qui erat Antiochiæ Epiſcopus, in Sede Conſtantinopolitana collocarunt, in Eudoxii quoque vacuam ſedem Meletium promoverunt, & Meletio paulò poſt exauthorato, Euzojum ſuffecerunt: quam hiſtoriam ſuperiùs proſequuti ſumus. Hoc tamen addendum, in Antiochena ultima Synodo Arianorum à Conſtantio coacta, qua & Meletius depoſitus eſt, & Euzojus intruſus, Acacium decimam conflaviſſe formulam Arianę profeſſionis, qua Filius Patri ſuo ἀνόμοιος diſſimilis aſſerebatur: unde, & Anomeorum nomen Acacianis hæſit. Hæc teſtatur Socrates, l. 2. c. 35. Iſta contigerunt anno Chr. 360. At ſequenti anno Conſtantius Imperator vita exceſſit Antiochiæ, ab Euzojo paucis ante mortem diebus baptizatus.

Synodus Laodicæna.

COacta fuit Laodicææ in Provincia Phrygiæ Pacatianæ, ut ex ipſa Synodi epigraphe conſtat. Eſt autem Laodicæa una ſeptem Eccleſiarum Aſiæ, quarum enumeratio legitur in Joannis Apocalypſi: mentio quoque fit ejuſdem civitatis *Coloſſ. ult.*

Conjicio celebratam fuiſſe hanc Synodum ſub Liberii Pontificatu, dum eſſet Julianus Romanorum Imperator. Nec enim ſubſcribendum duco Baronii ſententię in appendice ad Annalium *tom.* 4. quem ſequitur Severinus Binius, aliique quorum ſententiam minus ſolidis argumentis fulciri deprehendo. Eorum præcipuum, & in ſpecie ſolidius argumentum iſtud eſt, quia Nicænum Concilium teſte Hieronymo pręfat. in lib. Judith, judicavit hunc ipſum librum Judith eſſe canonicæ, ac divinæ auctoritatis. Inferunt itaque

que, Laodicænam Synodum eſſe procul dubio antiquiorem Nicæna, quatenus Laodicæna non collocat in ſcripturæ ſacræ Catalogo lib. Judith, quem tamen collocaſſet, ſi poſt Nicænæ Synodi declarationem coacta fuiſſet; Totum hoc argumentum nititur illo unico Hieronymi teſtimonio, quod tamen Hieronymus non unico ſed pluribus evertit teſtimoniis oppoſitis: etenim negat in prologo Galeato lib. Judith eſſe hagiographum, ſed aſſerit eſſe apocryphum perinde, ac librum quem commemorat paſtoris. Idemque expungit ex Scripturis divinis *lib. Judith. ad cap.* 1. *Aggæi, quod idem repetit epiſt.* 11. *ad Furiam.* Addo denique quartum his conforme Hieronymi ejuſdem teſtimonium, quo non ſolùm ſuam aperit de *lib. Judith ſententiam, ſed eam inſuper univerſæ attribuit Eccleſiæ, epiſt.* 115. *his verbis Judith, & Tobiæ, & Machabæorum libros legit quidem Eccleſia, ſed eos inter canonicas ſcripturas non recipit.* An igitur quod de Concilio Laodicæno concludit, idem, & quidem fortiori argumento propter toties multiplicatum Hieronymi teſtimonium concludet Baronius antiquiorem eſſe Hieronymum Nicæno Concilio? nec tantùm Hieronymum, ſed etiam Gregorium Nazianzenum, Ruffinum, & Athanaſium, qui juvenis, & Diaconus ab Epiſcopo ſuo Alexandro fuit in Nicænum conceſſum introductus ad diſputandum, ob ejus perſpectum ingenii acumen? Hic verò in ſynopſi ſcripta poſt Concilium, libros Judith, Tobiæ, Sapientiæ, & Eccleſiaſtici diſertè declarat, minimè canonicos eſſe aut divinos: additque hac de cauſa non legi fidelibus in Eccleſia, ſed cathecumenis dumtaxat.

Quis verò judicet ita ſcripturum Athanaſium, poſtquam Synodo Nicænæ interfuit, ſi illa librum Judith inter ſacros repoſuiſſet? Nazianzenus verò in ſuo de ſcripturis veris, & germanis carmine non recenſet in illarum ſerie memoratos libros, neque etiam Machabæorum, quin imò neque Joannis Apocalypſim: quin

I 3 etiam

etiam iſta ſubjungit ἀδὲ τὰπαντ᾽ ἐκτὸς, ὀυκ ἐν γνησίοις. Si quis proferatur alius ab his recenſitis liber, non eſt germanus. Ruffinus pariter in *ſymbol. Apoſt.* librum Judith cum aliisquibuſdam de ſacrorum librorum Catalogo excludit, collocatque inter Eccleſiaſticos libros, quos carere dicit divinæ fidei certitudine, atque auctoritate. Et tamen Athanaſium, Nazianzenum, Hieronymum, Ruffinum nemo inficias ierit ſcripſiſſe poſt Nicænam Synodum. His adde neque ſtudioſiſſimè conquiſita olim per Dalmatium Cuzici Epiſcopum Nicænæ Synodi acta quidquam de libro Judith, vel de divinorum librorum Catalogo prodidiſſe.

Quin etiam cùm Laodicæni Concilii 7. canon meminerit hæreticorum Photinianorum, qui non niſi poſt Synodum Nicænam exorti ſunt, fatendum omninò eſt Laodicæna comitia Nicænis eſſe recentiora. Scio aliquos cavillari, quod hujus can. 2. translatio (quæ eſt Iſidori Mercatoris) Photinianos haud exprimat: ſed Photinianos exprimit 1. translatio, quæ eſt Dionyſii Exigui, qui conſenſu omnium eruditorum eſt antiquior; & cujus verſio multo præ Iſidoriana fidelior, & exactior eſt. Et inſuper omnia quotquot hactenus legi potuerunt archetypa Græca Photinianos exprimunt. Quis porrò neget majorem habendam fidem Græcis exemplaribus omnibus quibus eruditiſſimus, & antiquiſſimus translator aſtipulatur, quam Iſidori translationi, quam multis paſſim ſcatere mendis nemo Græcè præſertim doctus ignorat? At illi denuò cavillantur, haud eſſe credibile fuiſſe à Laodicæni Patribus approbatum, aut receptum Photinianorum baptiſmum, quem tamen, ut nullum, & invalidum rejicit Concilium 2. Arelatenſe can. 16. At percontari libet undenam iſti colligant in hoc Laodicæno can. 7. approbari Photinianorum Baptiſmum; ibi enim de Baptiſmo nullum eſt verbum, ſed de hæreſi abjuranda, deque inſtructione circa res fidei, & de chriſmatione ad ſacramentum uti autumo

mo Confirmationis. Baptiſmi tamen proceſſionem ſupponit etiam in ipſa Catholica Eccleſia collati, ſaltem quod attinet ad cathecumenos converſos, quorum in hoc ipſo Laodicæno canone mentio præceſſit: cùm eſſet illorum temporum conſuetudo, ut plerique Baptiſmum differrent, etiam ad exitum vitæ. Itaque haud facilè quis mihi perſuaſerit, ad hunc reſpexiſſe canonem Baſilium Magnum, dum ſcribens ad Amphilochium c. 1. ait nonnullis Aſiaticis viſum fuiſſe, ut Catharorum, ſive Novatianorum Baptiſmus approbaretur, ſed potius ad canonem 8. Synodi Nicææ (quæ eſt in Aſia civitas) reſpexerit, quo diſertè decernitur, ut Cathari, qui ad Catholicam fidem convertúntur, recipiantur etiam cum gradu, & ſacris Ordinibus, quos in hæreſi ſuſceperant. Cur enim minoris Synodi canonem, nihil ejuſmodi exprimentem allegaret, omiſſio Synodi œcumenicæ canone, qui rem perſpicuè definiverat? Stet igitur priſtino ſuo loco, quem in omnibus Veteribus Conciliorum editionibus Concilium Laodicænum occupabat poſt Nicænum ipſum; qui locùs etiam eidem Laodicæno aſſignatur in decreto *c. primo adnotatio diſt.* 16. nec inde dimoveatur, neque cauſa detur querelæ de termino moto.

Canon Laodicænus primus communione ad aliquod tempus illos ſuſpendit, qui ſecundas nuptias inierint; eiſque preces, & jejunium præſcribit, ântequam eis permittatur ad ſacram communionem accedere. His planè ſimilia ſtatuit Concilium Neocæſarienſe can. 3. ad quem hic reſpicitur per hæc Laodiceni verba κατὰ τὸν ἐκκλησιαστικὸν κανόνα. Secundum Eccleſiaſticam regulam. Et Baſilius in ſuis ad Amphilochium canonibus idem decernit. Quin imò trigamos ad Euchariſticam communionem vix admittit poſt quinquennium exactè in pœnitentia tranſactum; Adeò diſtrictè primitiva Eccleſia vitæ puritatem, & morum munditiem exigebat acceſſuris ad ſacratiſſimam domini menſam.

Can. Laodicænus ſecundus facit ad communionem admittendos eſſe pænitentes poſtquam delicta confeſſi ſunt, ejuſque injunctum pœnalis ſatisfactionis tempus explevere, κατὰ τὴν ἀναλογίαν τοῦ πταίσματος. Secundum proportionem delicti. Quo canone impietas Novatorum circa pœnitentiam refellitur. Meminit enim confeſſionis, & converſionis, ac deteſtationis peccatorum, & his congruentis ſatisfactionis, quam vult adimpleri antequam pœnitenti detur ad Euchariſtiam acceſſus. Conformatur Laodicæno Concilio Tridentinum quatenus decernit *ſeſſ.* 14. *cap. octavo*, ut ſatisfactio injungatur pro qualitate Criminum. Canon 6. hæreticis Eccleſiæ ingreſſum interdicit; Sed iiſdem necnon Judęis, & Gentilibus permittitur à Carthaginenſi Concilio 4. can. 84. intra Eccleſiam verſari, & Verbum Dei audire uſque ad cathecumenorum miſſam.

Can. 10. decernit non debere Catholicos ſuis permittere liberis connubia indiſcriminatim cum hęreticis. Cujus ſanctioni deſumenda ratio eſt non ſolum ex odio hęreticę pravitatis, aut ex periculo perverſionis circa fidem, ſed etiam ex profanatione Chriſtiani conjugii, quod unum eſt ex Eccleſię ſacramentis. Huic ſimilem ſanxit canonem decimum quartum Synodus Chalcedonenſis. Vox tamen indiſcriminatim ἀδιαφόρως, quam habet canon iſte Laodicęnus, innuere videtur, poſſe aliquando nuptias permitti cum hęreticis, ubi gravis ſubeſt, rationabilis cauſa. Eodem pariter collimant, & eandem ſanctionem iterant Canon Laodicęnus trigeſimus primus, & Agathenſis 67. à Gratiano quoque in decreto inſertus, *c. non oportet cum omnibus*, *& c. cave 28. quæſt.* 1.

Canon Laodicęnus 13. non permittit populo electionem eorum, qui ad ſacrum altaris miniſterium applicandi ſunt. Probatum invictis teſtimoniis fuit ſuperiùs ad Nicęnum canonem quartum, ad Epiſcoporum electionem admiſſa olim fuiſſe plebis ſuffragia. Secus

tamen

tamen fieri ſolitum fuit circa minorum ſacerdotum, & inferiorum Eccleſiæ Miniſtrorum electionem, ut ex iſto canone decimotertio perſpicuum fit. Populi quidem teſtimonium de vita, & moribus ordinandi requirebatur. Juxta illud primæ Timoth. 3. *Oportet illum, & teſtimonium habere bonum ab jis qui foris ſunt.* Quin imò nonnunquam populus ipſe aliquem optimè meritum proponebat, & poſtulabat ordinari: Teſtatur enim Paulinus *epiſtola* 45. ſe Barcinone in Hiſpania fuiſſe ab Epiſcopo Lampio initiatum clero, & ſacratum ad illius populi poſtulationem. Item refert Aug. *epiſt.* 225. fuiſſe Pinianum ab Hypponenſi populo inſtanter poſtulatum, ut ad clerum promoveretur. Inſuper (ne quid huc pertinens omittatur) actuum Apoſtol. 1. non ſoli Apoſtoli, ſed tota Eccleſia Mathiam elegit, & Joſeph Barſabam, ut ex eis unus aſſumeretur. Et Act. 6. credentium convocata multitudo ſeptem diaconos elegit. Verùm ad illud primum caput teſtatur Chryſoſtomus Petrum potuiſſe quidem per ſeipſum meritò eligere, ſed maluiſſe per modeſtiam, & prudentiam univerſæ Eccleſiæ gratificari. Poſtulationes autem, quæ fiebant Epiſcopis à populo nihil habuiſſe præter ſupplicationes: neque jus ullum, aut obligationem induxiſſe, certum eſt.

Diatriba de Eulogiis ad Laodicænum Canonem XIV.

CAnon 14. *Ne ſancta inſtar Eulogiarum in feſto Paſchæ in alias Parœcias tranſmittantur.* Ratio Canonis eſt, quia cùm diebus Paſchalibus fideles Euchariſtiam omnes ſumerent, non alio Symbolo ſacro Societatis opus erat illis. Per Euchariſtiam quippè, *unus panis, & unum corpus, multi ſumus omnes, qui de uno pane, & de uno Calice participamus*, ut ait Apoſt. 1. Corinth. 10. Eulogiarum diſtributio fieri ſolebat, nunc intra Eccleſiam, nunc verò intra privatas fidelium ædes ad

quos

quos deferebantur: ſæpè numero etiam fideles privatim ad amicos procul diſtantes tranſmittebant, ut mutuæ pietatis, & ſacræ charitatis Symbola, quas penes ſe habebant eulogias, ſeu benedictiones. Exempla ſuppetunt in *epiſt. Auguſt.* 31. 34. 35. *& in epiſt.* 1. *Paulini ad Severum.*

Cathecumenis aliquando datæ ſunt Eulogiæ diebus Paſchæ, hoc reſpectu, quia Euchariſtiæ non communicabant. Sed hoc fieri deinceps prohibuit Concilium Carthaginenſe tertium Can. 5. His verbis: *Placuit ut per ſolemniſſimos Paſchales dies Sacramentum Cathecumenis non detur niſi ſolitum ſal: quia ſi fideles per illos dies Sacramenta non mutant, nec Cathecumenis oportet mutare.* Quo loco nomen Sacramenti latiore ſignificatu uſurpatur pro quibuslibet myſticis ſignis, ut erant panes Eulogiarum, & ſal benedictum. Huc pertinet Auguſtini locus l. 2. de peccatorum meritis cap. 26. *& quod accipiunt* (loquitur autem ibi de Cathecumenis) *quamvis non ſit Corpus Chriſti, ſanctum eſt tamen & ſanctius, quam cibi quibus alimur, quoniam Sacramentum eſt.* Similiter Theophilus Alexandrinus canon. 8. decernit oblatorum ad altare (hoc eſt panis, & vini) minimè participes eſſe debere Cathecumenos, ſed Clericos, & populum fidelem.

Eulogiarum nomen commune eſt particulis Azymi, quæ à Sacerdote, & Diacono Clericis, populoque fideli tribuebantur, ſimulque particulis fermentati panis, quas ex uſu Occidentalium Eccleſiarum Epiſcopi ad Baptiſmalium Eccleſiarum ſacerdotes tranſmittebant. Quod genus Eulogiæ vulgò fermentum dicebatur. Hujus auctor, ac inſtitutor fermenti ab Anaſtaſio memoratur Melchiades in ipſius vita. Meminit quoque fermenti Innocentius I. reſcribens ad Decentium Epiſcopum Eug. ubi num.... cap. 5. At verò Eulogiarum ex Azymo pane oblationum ſacrificium incruento deſtinatarum, quarum pars ſeparabatur ad divinam, & my-

myſticam in altari conſecrationem, reliquum verò Eulogiarum, ſeu benedictionum nomine inter fideles diſtribuebatur finita Miſſa, qui Euchariſtiam non ſumpſerant, vetuſtior eſt, quam fermenti inſtitutio. De priore illa extat Pii Papæ I. Canon his verbis: *Ut de oblationibus quæ offeruntur à populo, & de conſecrationibus quæ ſuperſunt, vel de panibus quos deferunt fideles ad Eccleſiam, vel certè de ſuis, Presbyter convenienter partes inciſas habeat in vaſe nitido, & convenienti, ut poſt Miſſarum ſolemnia, qui communicare non fuerint parati, Eulogias hoc eſt, panem benedictum omni die dominico, & diebus feſtis exinde accipiant, quæ cum benedictione prius faciat.* Hæc Pius Papa. Hic uſus viget etiam nunc apud Græcos finita Miſſa, & in uſu eſt apud Græcorum Eccleſiam tituli S. Athanaſii in Romana Civitate.

Idem porrò ritus oblationum, ex quibus ſacra mox Euchariſtia conficienda erat, confirmatur iſta Cypriani Carthaginenſis querela lib. de opere, & de eleemoſ. *Locuples, & dives es, & dominicum celebrare te credis, quæ corbonam omninò non reſpicis, quæ in dominicum ſine ſacrificio venis, quæ in partem de ſacrificio, quod pauper obtulit, ſumis*, Similem renovat querelam Auguſt. ſerm. 215. de temp. *Oblationes quæ in altari conſecrentur, offerre erubeſcere debet homo idoneus, ſi de aliena oblatione communicat.* Eandem materiam idem ſermone ſequenti proſequitur Auguſtinus. Hæc ad plenam Eulogiarum notitiam.

Proſequutio Laodicænorum Canonum.

CAnon Laodicænus 15. declarat non aliis licere intra Eccleſiam canere, quàm canonicis cantoribus, qui ambonem conſcendunt, & de membranis legunt. πλέον τῶν κανονικῶν ψαλτῶν τῶν ἐπὶ τὸν ἄμβωνα ἀναβαινόντων, καὶ ἀπὸ διφθέρας ψαλλόντων. Ubi hoc obſerva denomi-

minationem Canonicorum fuiſſe olim Eccleſiæ cantoribus aſcriptam. De cantoribus, ſeu Pſalmiſtis conſulito inferiùs can. 10. Carthaginenſis Concilii 4. Quàm ſunt ergo veteris Eccleſiæ diſciplinæ diſſentanei Calviniſtarum profani conventus, in quibus Laici omnes viri, & fœminæ promiſcuè cantant.

Hic verò obſervandæ ſunt accuratius hæ Synodi voces τῶν κανονικῶν ψαλτῶν. Canonicorum Cantorum. Et hoc ſciendum Canonem non tantum ſignificaſſe regulam, ſed prætereà catalogum Eccleſiaſticum, ac indicem non modò ſacrorum librorum, qui ex hoc dicantur Canonici, at etiam Clericorum Eccleſiæ, miniſterio addictorum, & de ſportulis, ac oblationibus Eccleſiæ participantium. Unde & canonicorum nomen ad nos dimanavit, non verò à canone, ſeu regula Sancti Auguſtini, ut quidam imaginantur. Hæc enim vocis acceptio multò antiquiùs uſurpata eſt, tum ex hoc Laodicæno canone, tum ex aliis Canonibus veterum Conciliorum facilè probamus. In primis namque ſic ait Nicæni Concilii canon 16. πρεσβύτεροι ἢ διάκονοι ἢ ὅλως ἐν τῷ κανόνι ἐξεταζόμενοι. Sacerdotes, aut Diaconi, aut generatim quicumque ſunt in canone recenſiti. Et inſequens canon 17. de Clericis ita loquitur πολλοὶ ἐν τῷ κανόνι ἐξεταζόμενοι τὴν πλεονεξίαν καὶ τὴν αἰσχροκερδίαν διώκοντες. Plerique in canone recenſiti, avaritiam, & turpe lucrum ſectantes. Præterea Synodus Antiochena can. 2. εἰ δὲ φανείη τις τῶν Ἐπισκόπων ἢ πρεσβυτέρων ἢ διακόνων, ἢ τις τοῦ κανόνος τοῖς ἀκοινωνήτοις κοινωνῶν, ſi quis deprehenſus fuerit Epiſcopus, aut Presbyter, aut Diaconus, aut alius, qui de canone ſit cum excommunicatis communicans. Canon etiam Antiochenus 6. ὁ αὐτὸς δὲ ὅρος ἐπὶ λαϊκῶν, καὶ πρεσβυτέρων, καὶ διακόνων, καὶ πάντων τῶν ἐν κανόνι, idem ſit decretum circa, Laicos, Sacerdotes, & Diaconos, & omnium qui de canone ſunt ejuſdem Synodi canon 11. εἴ τις Ἐπίσκοπος, ἢ πρεσβύτερος, ἢ ὅλως τοῦ κανόνος, ſi quis Sacerdos, vel Diaconus, aut

ge-

generatim quis de canone. Chalcedonenſe porrò Concilium damnans ſimoniacam in Clero promotionem, canon 2. εἴτις Ἐπίσκοπος προβάλλοιτο ἐπὶ χρήμασιν ἢ οἰκονόμον, ἢ ἔκδικον, ἢ προσμονάριον, ἢ ὅλως τινὰ τοῦ κανόνος, ſi quis Epiſcopus per pecunias promoveat vel œconomum, vel defenſorem, vel manſionarium, vel omninò aliquem, qui ſit in canone. Illa quoque liturgiæ pars, in qua Sanctorum conſcripta nomina pronunciantur, quorum opem Sancta Eccleſia antè, & poſt myſticam conſecrationem invocat ex antiqua denominatione canon dici ſolet, voxque ipſa canonizandi ortum inde habere videtur, vel quia in Miſſæ canone nomen addebatur ejus, quem Eccleſia vindicabat, ut loquitur Optatus in lib. 1. adversùs Parmenianum, hoc eſt Sanctorum numero recenter aſcribebat; vel quia ſanctus defunctus, cujus publicè colendi, & invocandi nova per Eccleſiam poteſtas fiebat, canoni, hoc eſt, Sanctorum Cathalogo inſcribebatur, ut nullus publico cultu honoraretur, aut invocaretur, qui non publico illo albo eſſet inſcriptus. Cæterùm ut ad cathalogum Clericorum ſingulis olìm Eccleſiis addictorum regrediar, is innuitur à Sancto Cypriano *in epiſt.* 35. monente fuiſſe à ſe, Numidicum inſcriptum Presbyterorum Carthaginenſium numero, ut deinceps ſedeat in Clero. Ejus inſuper meminere canones Apoſtolorum 17. & 51. ſub nomine καταλόγου τοῦ ἱερατικοῦ cathalogi ſacri. Et Baſilius Magnus in epiſtola canonica ad Chorepiſcopos ſub nomine ἀναγραφῆς inſcriptionis. Præptereà Concilium Agathenſe can. 2. ſub vocabulo matriculæ. Sydonius quoque Apollinaris *l.6. epiſt.* 8. ſub voce Albi, *nomen* (inquit) *Lectorum albus nuper excepit*. Porrò ex Albo Clericorum delebantur Clerici contumaces, depoſiti, excommunicati, aut ſceleris convicti, ut liquet ex citato canone Agathenſi, & ex Auguſtini *epiſt.* 137. de Bonifacio Sacerdote criminis accuſato. Clerici quoque ad ordines expetiti, & rogati, non inſerebantur

Ca-

Canoni ſeu cathalogo miniſtrorum illius, in qua ordinabantur Eccleſię, niſi ſe inſeri conſentirent, ut conſtat ex Paulini epiſt. 6. & 45. Hæc teſtimonia ad probationem Canonis ſufficiant.

Canon 19. decernit: *Ut finitis Epiſcoporum homiliis Cathecumeni ſeparatim orent. Deinde egrediantur: His digreſſis orent pænitentes, & ſubinde ſecedant: His exactis fideles ter orent, primam ſilentio ſecundam, & tertiam orationem voce pronuncient. Deinde omnes ſibi invicem pacem dent, & ſic ſacra fiat oblatio.* Decernit demùm *ſolis fas eſſe Miniſtris altaris ad altare accedere, ſoliſque ibi communicare.*

Obſerva Cathecumenorum duplex olìm in Eccleſia genus, auditorum, & competentium. Primi quidem verbum Dei intra Eccleſiam audiebant, & Chriſtiani eſſe deſiderabant, ſed ad Baptiſmum ſuſcipiendum nondum nomen dederant. Secundi autem nomen ad hoc dederant, ideòque ad Baptiſmum inſtituebantur aliquot ante paſcha, vel Pentecoſten hebdomadis, & preces in Eccleſia ſuper ipſis fundebantur. De his loquitur Auguſt. lib. de cura pro mortuis cap. 12. *Paſcha* inquit, *appropinquabat, dedit nomen inter competentes.* Et ejus ſermo *de temp.* 116. *ad competentes*. Eoſdem Leo Papa *epiſt.* 4. & Ordo Romanus vocant Electos.

Obſerva illam poſt tres fidelium orationes dari ſolitam pacem fuiſſe olìm per mutua oſcula exhibitam, ut perhibet Juſtinus Martyr apol. 2. *Nos invicem*, ait, *oſculo ſalutamus* φιλήματι ἀσπαζόμεθα *finitis orationibus*. Et Dionyſius *Eccleſ. Hierarch. cap.* 4. Cyrillus Hieroſolymitanus *Cathec. Myſtag.* 5. Chryſoſtomus *homil.* 30. *in* 2. *Cor.* 13. & Auguſtin. *ſerm.* 83. de diverſis ſic dicens *Poſt orationem dominicam quam accepiſtis, & reddidiſtis, dicitur pax vobiſcum, & oſculantur ſe invicem Chriſtiani in oſculo ſancto, quod eſt ſignum pacis, ſi quod oſtendunt labia fiat in conſcientia: ideſt ſicut labia tua ad labia fratris tui accedunt, ſic cor tuum à corde illius non recedat.* Huc pertinet illud Apoſtoli ſæpius repetitum: *Salutate invicem*

cem

cem in oſculo ſancto, *Roman.* 6. *v.* 16. 2. *Cor.* 13. *v.* 12. *Theſſal.* 5. *v.* 26. Nec verò id fiebat inter diverſos ſexus, cum certum ſit fœminas intra Eccleſiam fuiſſe muro intermedio à viris ſejunctas. Pacem dabant Sacerdotes primùm Epiſcopo, deinde ipſi inter ſe invicem, ac demùm Laici Laicis viciſſim, ut ſtatuit Canon iſte 19.

Canon 20. vetat Diaconis ſedere præſente Presbytero, niſi hic iubeat: vult tamen Diaconum ab inferioribus Clericis honorari. Synodus quoque Nicæna, ut ſupra vidimus, prohibet ſedere Diaconos inter Presbyteros. Vide inferius huc pertinentem Canonem 34. Concilii Carthaginenſis quarti cum noſtris ad eumdem obſervationibus, Canon 21. Subdiaconis vetat in Diacono manere, aut ſacra vaſa contingere. Cui tamen adverſari videtur in 1. Concilii Carthaginenſis 4. Canon 5. ſtatuens, ut qui Subdiaconus ordinatur calicem vacuum, patenamque vacuam ſumat de manibus Epiſcopi. Deinde Concilium Bracarenſe citatum *in decreto c. non liceat*, *diſt.* 23. interdicit inferioribus Clericis vaſa ſacra deferre niſi Subdiaconis. Sed diſtinguendum cum Theodoro Balſamone Subdiaconis inhiberi ſacrorum vaſorum contrectationem, dum divina Sacramenta continent, non item ſi vacua ſint, quin imò contrectationem horum eſſe de eorum officio.

Canones 22. & 23. miniſtrum ὑπηρέτην, hoc eſt Subdiaconum, & inferiores Clericos negant geſtare poſſe orarium: quæ vox orarii Græcis paſſim, Latiniſque uſitata ſtolam, quam nunc vocamus, ſignificat. Hujus non rarò mentio eſt in liturgia Chryſoſtomi, ubi ſtola nunc dicitur ὀράριον nunc ἐπιτραχήλιον, quod ſonat collo ſuper injectum, Et quartum Toletanum Concilium citatum in *c. orarium*, *diſt.* 25. ſic decernit: *Unum orarium oportet Levitam in ſiniſtro humero geſtare, propter quod orat, dexteram autem partem oportet habere liberam, ut expeditiùs*

tiùs ad Miniſterium ſacerdotale diſcurrat. Aliquando etiam orarium ſignificat linteum, quo fideles etiam laici ſacratiſſimam Euchariſtiam involutam privatim aſſervabant, quod dominicale quoque vocabatur. Scribitque Ambroſium in obitum Satyri fratris ſui, eum, cùm eſſet Cathecumenus, in graviſſimo naufragii, vitæque periculo conſtitutum, ne vacuus myſterii è vita diſcederet, divinum ab illis, qui erant myſteriis initiati, petiviſſe Sacramentum, & ipſum ſibi ad collum alligari feciſſe orario involutum, ſeque mox in medios fluctus præcipitem dediſſe: ſed inſigni miraculo fuiſſe ad littus delatum incolumen.

Canon 24. omnibus clericis Cauponarum ingreſſum interdicit. Habetur in *c. non oportet diſtinct.* 44. cui conformis eſt Canon Apoſtolorum 53. *Si quis Clericus in caupona comedens deprehenſus fuerit, ſegregetur, præterquam ſi in via propter neceſſitatem diverterit in publicum hoſpitium*. Conferenti Canones Laodicænos cum illis, qui nomine Apoſtolorum inſcribuntur, liquidò apparet, magnam eorum partem vel ex Laodicænis in Apoſtolicos, vel ex Apoſtolicis in Laodicænos eſſe derivatam.

Canon 28. *Non oportet* (ait) *in dominicis locis, ſeu Eccleſiis agapen facere, & intus manducare, vel accubitus ſternere*. Agape convivium erat inter fideles in Eccleſia ſolitum exhiberi poſt ſacra peracta myſteria, jam inde à naſcentis Eccleſiæ primordiis uſitatum. Hujus meminit Apoſtolus 1. *ad Cor.* 11. & Judas in canonica epiſtola his verbis: *Hi ſunt in epulis* (Græcè legitur ἐν ταῖς ἀγαπαῖς in Agapis) *maculæ convivantes ſine timore*. Ritum Agaparum deſcribit Chryſoſtomus *homil.* 27. *in principium ad* 1. *ad Cor.* 11. *Statis*, inquit, *diebus menſas faciebant communes, & peracta Synaxi poſt Sacramentorum communionem inibant convivium, divitibus quidem cibos ſuppeditantibus, pauperibus vocatis, & omnibus communiter veſcentibus*. Ita Chryſoſtomus: meminit inſuper

Ter-

Tertullianus in apologetico. *Cœna noſtra de nomine ſuo rationem ſui oſtendit: vocatur enim* ἀγάπη, *quod eſt apud Græcos dilectio; quantiſcumque ſumptibus conſtet, Lucrum eſt pietatis nomine facere ſumptum, ſi quidem inopes refrigerio iſto innuamus*. Synodus Gangrenſis can. 11. Anathema intorquet in eos, qui agapas ita deſpiciunt, ut in eis intervenire nolint, idque ſtatuit occaſione Euſtachianorum hæreticorum, de quibus ad id Concilium ſupra egimus. Quia tamen ex adverſo graves ſe in agapas inſinuabant abuſus, quales ipſi etiam coarguunt Apoſtoli Paulus, & Judas, ideò Laodicæni Patres agapas intra Eccleſiam fieri vetant. Ejuſmodi etiam in Eccleſiis convictus Ambroſio impensè diſplicuiſſe refert Auguſtinus *lib. 3. confeſſ. c. 2.*

Can. 29. celebrari prohibet ſabbatum ritu Judaico, præcipitque diei dominici celebrationem. Dies dominicus celebratur loco Sabbati ex Apoſtolica inſtitutione 1. Cor. 16. *Per unam Sabbati unuſquiſque veſtrum apud ſe ſeponat*, &c. & vocatur dominica dies *Apocal. 1. v. 10.* in honorem ſcilicet, & cultum Dominicæ Reſurrectionis.

Can. 35. prohibet relicta Dei Eccleſia nominare Angelos, vel congregationes facere. Angelos, hic intellige malos, & deſertores, quos variis nominibus deſignare, & invocare ſolebant hæretici ſectatores Saturnini, Baſilidis, Ebionis Apellis, & ſimilium ex Simonis magi colluvie prodeuntium, quorum meminere Irenæus, Tertull. Epiphanius. Hoc ipſum confirmat, qui ſequitur can. 36. interdicens magiam, incantationes, & phylacteria, ſeu amuleta, nimirum magica, & præſtigioſa. Canon 48. *Oportet eos, qui illuminantur, poſt Baptiſmum ſuper cœleſti Chriſmate ungi, & eſſe regni Chriſti particeps*. Duplex ſolebat olim, uti, & nunc in Baptiſmo adhiberi unctio. Nam Baptiſmum præcedebat unctio ex oleo Cathecumenorum, ſequebatur verò poſt Baptiſmum unctio Chriſmatis; cujus meminere Clemens Papa *lib. 3.*

Apoſt. conſtit. cap. 16. & *c.* 17. Dionyſius *hier. Eccleſ. c.* 2. Cyprianus *epiſt.* 70. *ad Jan.* Tertul. *de Baptiſ. c.* 7. *Exinde* inquit *egreſſi de lavacro perungimur*. Juſtinus *q.* 137. Cyrillus Hieroſolimitanus *catech. Myſtag.* 2. & 3. Ambroſius *l.* 2. *de ſacram. c.* 7. Auguſt. *ſer.* 206. *de temp.* Synodus prima Arauſicana can. 1. de ſacri verò Chriſmatis per Chriſtum inſtit. & uſu Scribit Fabianus Papa, & Martyr. *epiſt. ad Epiſcopos Orient.* memorat Optatus *lib.* 3. *contra Parmenianum* vitream Chriſmatis ſacri ampullam è ſublimi feneſtra in ſubjecta ſaxa projectam à Donatiſtis per miraculum ſervatam fuiſſe illæſam. Unctio porrò ex oleo Cathecumenorum, quæ Baptiſmo præmittebatur, fiebat quidem apud Latinos in capite, & in pectore baptizandi, ut ex Ambroſio notat Pamelius ad Tertullianum de Baptiſmo initio libri, vel etiam in pectore, & ſcapulis, ut habet liber Theodulphi Aurelianenſis de ordine Baptiſmi c. 10. At verò apud Græcos unctio iſta fiebat à Sacerdote per totum ejus, qui baptizandus erat, corpus. Id enim diſertè tradunt Dionyſius *Eccl. hier. cap.* 2. Cyrillus *Catech. Myſtag.* 2. & Chryſoſtomus *hom.* 6. *in epiſtolam ad Coloſſenſes*. Quæ cauſa fuit ut Canon Presbyter cui demandatum fuerat baptizandi officium, ſibi metuens ex libidinis ſenſu, quo invitus tamen, & omni conatu renitens afficiebatur, quando mulieres ante baptiſmum oleo perungebat, fugam in deſertum capeſſiverit, unde tamen revocatus fuit apparente ſibi Joanne Baptiſta, & concupiſcentiæ affectum reſecante, adeò ut paulo poſt Perſicam fœminam inſignis pulchritudinis, cujus præſertim metu ſe fuga ſubduxerat, abſque ullo ejuſmodi ſenſu perunxerit, adeò ut nec ſexum ipſum penitus adverterit, ut teſtificatur Sophronius c. 3. His adductus Rainaldus Theophilus in tractatu de vetita clericis cum fœminis converſatione perſuaſum quidem habet mulieres perinde, ac viros olim toto corpore inungi ſolitas ad ipſam immediatè cutem, ſed tamen obviam

itum

itum oculorum illecebris interpoſito oppanſo aliquo linteo. Adjungo, quòd non minùs decebat, obviam quoque itum tactus illecebris obvoluta pluribus ex panno, aut lino involucris miniſtri manu.

Canon 49. ſtatuit: *Ne panis in quadrageſima offeratur niſi Sabbatis, & Dominicis diebus*. Similiter Synodus in Trullo Quiniſexta can. 52. conſtituit ut tota quadrageſima, exceptis Sabbatis, & Dominicis, & Annunciationis feſto, non alia celebretur Liturgia niſi Præſanctificatorum προηγιασμένων, quæ ibi Balſamon interpretatur oblationem ſacrificii diebus anteactis celebrati quemadmodum apud Latinos fieri mos eſt magnæ Paraſceves die. Idemque iſtam canonis rationem profert, quia ſacrificium lætitiæ ſolemnis eſt indicium, ideòque non conveniens cum mœſtitia jejuniorum, & pœnitentiæ.

Aliqui tamen de Eulogiis non de ſacrificio canonem iſtum 49. exponere malunt, conjicientes ideò in quadrageſima Eulogias panis prohiberi, ne per earum comeſtionem ſolvatur jejunii rigor, exceptis Dominicis, & Sabbatis, quibus apud Græcos vacat jejunium: ſed intelligendum eſſe locum de pane Euchariſtico, tùm alia ſuadent argumenta, tùm illud quod ſumitur ex Eccleſiaſtico verbi προσφέρειν ſignificato, quo utitur iſte Canon, ſimiliter enim Nicænus canon 14. negat Diaconos poteſtatem habere τὸ προσφέρειν, ſed ſolos Sacerdotes. Canon etiam Nicænus 12. eos qui in pœnitentium claſſe verſabantur, quæ σύστασις conſiſtentia dicebatur, ſolaque privabantur Euchariſtiæ communione dicit κοινωνεῖν ἄνευ προσφορᾶς, communicare in relliquis, præterquam in ſacrà divini altaris, ſeu ſacrificii oblatione. Laodicænus item canon 58. non permittit, in privatis domibus ſacra offerri myſteria, ὅτι δεῖ ἐν ταῖς οἴκοις ΠΡΟΣΦΟΡΑΝ γίνεσθαι παρὰ Ἐπισκόπων ἢ πρεσβυτέρων, ut alia innumera ſanctorum Patrum loca Græcæ iſtius vocis in Eccleſia veteri notionis pro ipſo Sacrificio prætermittam.

Digitized by Google

Teſtantur Socrates *lib.* 5. *cap.* 22. & Sozomenus *lib.* 7. *cap.* 19. divina in omnibus Eccleſiis celebrari ſabbato ſolere myſteria, præterquam in Eccleſiis Romæ, & Alexandriæ. Cujus rei cauſa quoad ſaltem Romanam Eccleſiam fortaſſis erat, quia Romana Eccleſia Sabbatis jejunabat, ut perſpicuum eſt ex Innocentii Papæ Epiſt. ad Decentium cap. 4. Hieronymi, ad Lucinium, Auguſtini *epiſt.* 86. *ad Caſulanum*, & *epiſt.* 118. *ad Januarium*. Itaque Synaxium quæ Latinis collectæ dicebantur, quædam inſtitutæ ſolum erant ad audiendum Dei verbum; & publicè, atque in commune orandum: aliæ verò prætereà ad ſacratiſſimum, & incruentum Sacrificium offerendum. Quod etiam prælaudato Socratis loco aſtruitur, ubi refert Alexandriæ fieri Synaxe δίχα τῆς τῶν μυστηρίων τελετῆς abſque myſteriorum oblatione.

Canon Laodicænus 50. fidelibus in quadrageſima Xerographiam præſcribit. Hoc eſt ut non niſi ſiccis veſcantur cibis: Tertull. *l.* 1. *adversùs phyſicos* ſic dicit *Xerophagiam obſervamus ſiccantes cibum ab omni carne, & jurulentia, & uvidioribus quibuſcumque pomis, ne quid vinoſitatis, vel edamus, vel potemus*. Ejuſmodi Xerophagiam in jejuniis etiam nunc ſervant Græci apud quos vigere teſtatur Balſamon abſtinentiam à piſcibus, quos etiam Tertullianus omnis carnis nomine comprehendit. Armeni quoque Chriſtiani, ſed tamen Eutychiani, & Schiſmatici non ſolùm ſe abſtinent à terreſtrium carnibus, lacticiniis, & ovis ſed etiam à piſcibus, a vino ab oleo, ut ſcribunt diverſi qui has noſtro ſeculo nationes peragrarunt. Docet præterea Balſamon ad *Apoſt. Can.* 69. ſervari quoque à Græcis omnibus Xerophagiam, totius anni decurſu, feriis quartis, & ſextis, adeò, ut nec his, neque quadrageſimalibus diebus, vel cum ægrotis diſpenſetur unquam in mortis etiam confinio, niſi circa piſces.

Quod attinet ad Sabbatorum jejunium Græci, omneſque

neſque Orientales illud ſemper etiam, intra ipſam quadrageſimam abhorruerunt ab ipſis Eccleſiæ primordiis, canon enim Apoſtol. 66. dicit: *Si quis clericus inveniatur ſiue dominico die, ſive ſabbato jejunans, uno ſolo excepto ſabbato* (eo videlicet quod eſt pridie Paſchæ) *deponatur; ſi verò Laicus excommunicetur.* Canon item Apoſtol. 69. præcipit quadrageſimæ, omniumque quartarum, & ſextarum feriarum per annum jejunium. Ignatius *Epiſt. ad Philippenſes* poſt diſtrictè commendatum quadrageſimæ, feriarumque per annum quartæ, & ſextæ jejunium, adiungit eos, qui ſabbatis jejunant uno excepto (pridie nimirum Paſchæ) eſſe Chriſticidas. Petrus Alexandrinus Epiſcopus, & Martyr Canon 15. jejunium feriæ quartæ, ideò præcipi refert, quia eo die Concilium initum fuit de capiendo, & occidendo Chriſto: ſextæ autem quia eo die crucifixus eſt. Cauſa verò cur Orientales Sabbati jejunium tantoperè averſabantur, iſta fuit, quia jam inde ab Apoſtolorum tempore abortæ erant hæreſes profitentes Hebræorum Deum, qui mundum condidit, legemque Moyſi dedit eſſe malum, ejuſque odio Sabbatis jejunabant; quos ille ſuo cultui deſtinaverat. Cujus hæreſis author fuit Simon ille Magus, quam hæreſim diſcipuli ejus Menander, Baſilides, Saturninus, Cerinthus, Carpocrates pro viribus propagarunt. His ſucceſſit Cerdon, Cerdoni Marcion, quibus ſe Manichæi adjunxerunt. Videndus Irenæus *lib.* 1. *cap.* 20. *& ſeqq.* Epiphanius *hær.* 21. *& ſeqq.*

Refert Auguſtinus *Epiſtola* 86. *ad Caſulanum* in Eccleſiis Orientis non jejunari quidem Sabbatis, in Occidentalibus verò ritus eſſe diverſos, ut alicubi Sabbato jejunetur, alicubi minimè, tùm per Africæ plagas, tùm etiam per diverſa Italiæ loca. Romæ quippe diſtrictè Sabbatis jejunari, ſed non Mediolani; ſeq;

quum hac de re Ambroſium conſuluiſſet, iſtud ab eo ſapientiſſimum reſponſum retuliſſe: Quid poſſum hic docere amplius, quam quod ipſe facio? Quando hic ſum non jejuno Sabbato, quando Romæ ſum jejuno Sabbato: & ad quamcumque Eccleſiam veneritis ejus morem ſervate, ſi pati ſcandalum non vultis, aut facere. Eadem repetit Auguſt. *epiſt.* 118. *ad Januarium*. At in Gallia *Conc. Agathenſe can.* 8. & *Aurelianenſe* 4. *can.* 2. Sabbatis jejunari præcipiunt. Eademque in Hiſpania ſervari teſtatur Hieronymus ad Lucinium Bæticum.

Innocentius Pontifex Epiſt. ad Decentium mandat jejunandum eſſe, Feriis ſextis, & Sabbatis, & addit illam, cur Græci cenſerent jejunandum eſſe Sabbato, pridie Paſchæ, rationem valere quoque circa omnia per annum Sabbata, memoriam nimirùm dominicæ ſepulturæ, ac triduanæ Chriſti mortis: Quandoquidem fatentur Græci feſtivum dominicæ Reſurrectionis gaudium non tantùm die Paſchæ, ſed omnibus etiam anni dominicis diebus celebrandum eſſe: Adeò ut ob hujus Myſterii memoriam, nec liceat genua flectere inter orandum. Huc pertinent *c. placuit*, & *c. Sabbato de conſecr. diſt.* 3.

Feriis autem 4. ſolemnia fuiſſe Orientalibus, & Græcis jejunia liquet ex epiſt. Ignatii ad Philippenſes, & ex can. 15. Petri Alexandrini, & ex can. Apoſt. 69. & ex Clemente Alexandrino *l.* 7. *Stromatum*, & Origine *homil.* 10. *in Levit.* apud Latinos pro feria 4. quam non jejunabant aſſumptum eſt multis locis Sabbati jejunium. Locus autem Ambroſii *lib. de Elia*, & *jejunio c.* 10. *Quadrageſima totis, præter Sabbatum, & dominicam, diebus jejunatur*, intelligendus eſt de ritu Mediolanenſis Eccleſiæ, cui præerat Ambroſius.

Canon Laodicænus. Si Martyrum Feſta prohibet celebrari in Quadrageſima niſi Sabbatis, & dominicis. Ratio eadem eſt, quæ prohibiti diebus iiſdem ſacrificii, can. 49. Quia non eſt conveniens publica lætitia

cum

cum luctu, & pœnitentia. Quam etiam ob cauſam, qui ſequitur canon 52. inhibet nuptias, & Natalitia per Quadrageſimam celebrari.

Can. 53. Saltationes, & choreas excludit à nuptiis fidelium, permittitque modeſta convivia, cum Chriſtus Dominus noſter, interfuerit convivio nuptiarum in Cana Galilææ.

Can. 54. Clericis vetat ſpectaculis ſcenicis intereſſe, citatur in *c. non oportet diſt.* 95.

Can. 57. Cavetur ne in villis, aut in vicis conſtituantur Epiſcopi, ſed ſolùm viſitatores, quos canon iſte vocat περιοδευτὰς. Simile decretum decidit Synodus Sardicenſis, can. 6. non licere Epiſcopum præficere alicui pago, aut etiam parvæ urbi, cui poſſit ſimplex ſacerdos ſufficere, & rationem addit, ne Epiſcopi nomen, & auctoritas vileſcat. Huc ſpectat in decreto Gratiani tota diſt. 80. Periodeutarum clericorum mentio quoque fit in lege Græca Juſtiniani *Cod. de Epiſc. & Cler. ad Martianum præfectum*: ubi collocantur poſt Chorepiſcopos ante cæteros Sacerdotes.

Canon 58. *Non oportet in domibus oblationes celebrari ab Epiſcopis, aut Presbyteris.* Debita ſanctis, & incontaminatis myſteriis veneratio jus iſtud produxit, nam ne in lege quidem Moſaica licitum erat alibi, quam in tabernaculo hoſtias offerri. Dicitur hoc idem apud Gratianum *c. ſicut non alibi*, & *c. Clericus*, & *c. miſſarum de conſecr. diſt.* 1. conſequens fit ex Can. Laodicæno, ut Epiſcopus, qui celebrare in loco privato prohibetur, non poſſit hanc alteri ſacerdoti concedere poteſtatem, cum ſit juris regula indubitata: Nemo plus juris in alterum transferre poteſt quam ipſe habeat. At poſteriorum temporum Canones, id quandoque licitum eſſe decernunt cum Epiſcopi venia, modò adſit altare portatile. Attamen poſtremum jus Trid. Concil. *ſeſſ.* 23. *in decreto de obſeru. & evit. in celebr. miſſarum* Epiſcopis prohibet iſtam indulgere licentiam. Veruntamen

K 4 ubi

ubi urgeret neceſſitas, ſcribunt omnes ferè Theologi, hanc poſſe dari, & accipi facultatem: Mens enim Tridentinorum patrum fuit abuſus exſcindere, non verò fidelium neceſſitatibus deeſſe: Eamdem neceſſitatis ratio cauſam dedit prioribus Eccleſiæ ſæculis, atrociter deſæviente gentilium inſectatione in locis abditis, & privatis ſacroſancta myſteria celebrandi.

Can. 59. providet, ne in Eccleſiis decantentur vulgaria, aut privata carmina: Neve alii legantur, quàm ſacri, & canonici libri, quos ſigillatim recenſet. Novatores hunc ſolent Canonem Canoni Trid. Conc. *ſeſſ.* 4. opponere, eò quòd Laodicænus Canon reticeat libros Tobiæ, Judith, Sapientiæ, Eccleſiaſtici, Machabæorum, qui divinæ declarantur authoritatis à Trid. neque Laodicænus Canon Apocalypſin commemorat, quam novatores Calviniani inter ſacros libros recipiunt: Qui ex oppoſito librum Baruch expungunt, quem tamen Laodicænus Canon ſacris accenſet.

Sufficit verò nihil fuiſſe Laodicææ definitum expreſsè, contra divinam libri Judith, & aliorum voluminum authoritatem. Solis hæreticis hoc proprium, & ſingulare eſt, ut illis, quæ circa fidem pronunciavit Eccleſia, præfractè auſint refragari: Cùm tamen per inſignem moderationem Eccleſia Chriſti, dum res adhuc in incerto ſunt, & necdum ei divini Spiritus illuſtratione revelantur, ſuum ſoleat ſuſpendere judicium; donec pleniori luce divinus eam Spiritus dignetur colluſtrare: Neque cenſet temere præveniendum, ſed potius humiliter præſtolandum Dei beneplacitum, quo diſpellatur omnis ambiguitas. Quemadmodum poſt Laodicænæ Synodi tempora, prælucente Deo conſtabilita eſt illorum librorum authoritas, de quibus hactenùs Eccleſia dubitaverat. Id enim factum eſt in Conc. 4. Carthaginenſi.

Can. 47. Et in Conc. Romano ſub Gelaſio, & noviſſimè in generali Trid. His adjunge ſacrorum librorum in-

indicem, quem contexuit Auguſtinus tribus illis Conciliis conformem, *l.* 2. *de doctr. Chriſtiana c.* 8. Similiter licuit aliquando dubitare, antequam ſuum interpoſuiſſet Eccleſia definitivum judicium circa hujuſmodi ſcripturas: Sed poſtquam Eccleſia pronunciavit, nefas eſt, vel dubitare. Sic pariter priſcis Eccleſiæ ſeculis licuit graviſſimis, & ſanctiſſimis illorum temporum Theologis Papiæ, Irenæo, Juſtino, Lactantio, Victorino, Severo Sulpitio ipſique Tertulliano, qui nullam cum Sanctis habet ſortem, eſſe Chiliaſtis, quod nunc hæreſim ſaperet. Licuit olim non modo Judæis Scriptoribus Philoni, & Joſepho, ſed etiam Juſtino *Apol.* 1. Clementi Alexand. *l.* 3. *Stromatum*, Tertull. *de habitu mulier.* Lactantio *l.* 2. *diu. inſt. c.* 15. viris eruditis docere, & ſcribere dejectos fuiſſe de cœlo malos Angelos, eo quòd in terris cum mulieribus congreſſi fuiſſent, & ex eis homines progenuiſſent; Quod re poſtmodùm meliùs comperta non affirmaretur citra piaculum, poſtquàm circa rem iſtam, novo lucis auctu ſuam Deus Eccleſiam inſtruxit.

Synodus Alexandrina, ſub Liberio Papa.

POſtquàm Arianorum contra Eccleſiam violentiſſima procella, morte Conſtantii Auguſti deferbuit, & Julianus ſumpti imperii habenis omnes Epiſcopos ab Arianis relegatos in priſtinas Sedes revocavit, nihil priùs, & antiquiùs, qui ad clavum univerſalis Eccleſiæ ſedebat, Liberius habuit quàm ut Eccleſiæ ruinas inſtauraret, Arianoſque ad Eccleſiæ ſinum invitaret, redeunteſque paterna charitate complecteretur. Hic in primis Occidentales Epiſcopos, magni nominis Euſebium Vercellenſem, & Luciferum Calaritanum adhuc in Oriente, propter fidem exulantes Legatorum Apoſtolicorum poteſtate decoravit, ut collapſas in Oriente Eccleſias erigerent.

In-

Intereà Alexandriam reverſus Athanaſius Concilium Epiſcoporum illic convocavit, ad quod invitatus Lucifer duos vice ſui Diaconos delegavit, cum intereà Antiochiæ hæreret, ut illi Eccleſiæ Schiſmate divulſæ, quod ſuperiùs retulimus, provideret. Cùmque eſſet ingenio ad rigiditatem, & ſeveritatem propenſo, Meletii Epiſcopatum, & partes eò quòd olim Arianis conſenſiſſet, minimè approbant, oppoſitis Meletio Euſtachianis, Epiſcopum creavit, & ſacravit Paulinum. Synodus verò Alexandrina præſidente Athanaſio ſtudens paci, & unitati communi decrevit, ut Ariani Epiſc. & Presbyteri à lapſu reſurgentes reciperentur in Eccleſiam, cum priſtino gradu. Hoc decretum Lucifero quidem diſplicuit, ut erat inflexi animi, non tamen obniti apertè auſus fuit communi decreto, cui quos delegaverat diaconi ſubſcripſerant, ut ſcribit Ruffinus. Quin etiam quum Euſebius dimiſſo Conc. Alexandrino, cui ſtudioſè ſuffragabatur, Antiochiam conceſſiſſet, nec ſatis Luciferi in ea urbe geſta probaret. Lucifer viciſſim quæ Alexandriæ geſta erant iniquo ferens animo, ſed ab Euſebii communione ſubduxit, & quam primum in Sardiniam reverſus, omnium averſatus eſt communionem Epiſcoporum, qui per Arianam fraudem Ariminenſis Concilii profeſſioni ſubſcripſerant; nec non eorum omnium, qui eoſdem ſub pœnitentia recepiſſent: tametſi Liberius ad reſtituendam Eccleſiæ pacem miſſis ad omnes Italiæ Epiſcopos litteris, quæ extant inter Hilarii fragmenta, mandaſſet eſſe recipiendos. Et ita conflatum Luciferianorum ſchiſma.

Multa prætereà in hac Synodo Alexandrina conſtituta ſunt, ut refert Socrates *l.* 3. *c.* 5. Ibi quippè damnata eſt Macedonii, Eunomiique hæreſis contra Spiritus ſancti divinitatem. Alia quoque quæ recens emergebat hæreſis Apolinaris, quæ animam humanam à Chriſto removebat. Innovatum quoque fuit præcedentis alterius Alexandrini ſub Sylveſtro Papa Concilii, cui

Oſius

Oſius Legatione Apoſtolica in univerſo Oriente deſungens præſederat decretum, ubi reprobatum fuit Sabelli dogma, quo divinarum perſonarum omnis realis diſtinctio tollebatur. Et verò diſertè fides Trinitatis explicari poſſet, atque à Sabellii blaſphemia diſcerni, neve fideles vocabulorum penuria cum Sabellianis ſentire viderentur, ſtatutum eſt Oſio authore, utendum eſſe nominibus, οὐσίας, ad ſignificandam communem trium naturam, & ὑποστάσεως ad exprimendas ſingularum perſonarum diſtinctas proprietates. Quæ eadem vocum uſurpatio hac altera Synodo Alexandrina, ſub Liberio comprobata eſt, authore illius præſide Athanaſio; ſic tamen, ut tàm Latinis, quàm Græcis liberum eſſet propriis linguarum diverſarum idiomatis uti, ne circa verba certamen exardeſceret, modò nulla eſſet in re diſcrepantia: ut teſtatur, & collaudat Gregorius Nazianz. orat. in laud. Athanaſii.

Sanè inter Catholicos non autem hæreticos, ut ais Hieroymus epiſt. 57. ad Damaſum de proprietate vocis hypoſtaſis gravis agitata eſt concertatio; illis in Arianiſmum, illis in Sabellianiſmum invicem impingentibus: cùm tamen re ipſa idem omnes circa Trinitatis fidem ſentirent. Ipſe Hieronymus ſuſpectam ſibi ibidem aſſerit hypoſtaſis vocem circa divinas perſonas, eo quod hypoſtaſis Latinè ſubſtantiam ſonet, eſſe autem tres in divinitate ſubſtantias, ſeu eſſentias mens ejus refugiebat aſſentiri: Ideòque Damaſum Papam hac de re conſulit, cujus tamen ignoratur reſponſio. Hilarius quidem lib. de Synòdis admittit dici poſſe tres in Deo ſubſtantias. Ex adverſo Auguſtinus, *l.* 5. *de Trinit.c.*8. *&* 9. *& l.*7. *c.*4. & Hieronymus ad Damaſum, & ante nos Tertullianus *lib. contra Praxeam*, & Concilium poſtremò Toletanum ſecundum, c. 1. Et Lateranenſe ſub Innocentio III. c. 2. Unicam in Deo affirmant eſſe ſubſtantiam, tres verò negant. Sed hi ſubſtantiam pro eſſentia intelligunt: Hilarius verò ſubſtantiam non

pro

pro eſſentia, ſed pro hypoſtaſi, ut ipſe proteſtatur ſumit. Et quidem Apoſtolus Hebr. 1. Unigenitum Dei vocat, χαρακτῆρα τῆς ὑποςάσεως αὐτοῦ, Characterem hypoſtaſis ipſius, ubi vulgatus interpres tota Eccleſia receptiſſimus hypoſtaſim vertit ſubſtantiam: figura inquit ſubſtantiæ ejus: extat luculentus Gregorii Nicæni Liber de differentia eſſentiæ, & hypoſtaſis. Ariſtoteles quidem in prædicamentis vocat, ὀσίαν, quam nos ſubſtantiam dicimus. At verò ὑποςάσιν, Theologi Scholaſtici pro clariori hac in re diſcrimine, non jam ſubſtantiam, ſed ſubſiſtentiam dicere ſolent. Baſilius Magnus, cum fratre ſuo Gregorio Nicæno conformiter, ſentiens diſcernit inter ὀσίαν, & ὑποςάσιν *epiſt.* 43. ut eſſentia ſit aliquid unum pluribus commune, hypoſtaſis verò proprium aliquid ſingulare, & incommunicabile: atque hoc adjungit ex differentiæ horum vocabulorum ignorantia ortum eſſe multorum errorem circa Dei notitiam neceſſariam.

Synodus œcumenica ſecunda, & Conſtantinopolitana prima, ſimulque Romana ſub Damaſo Synodus.

CONſtantinopolis olim dicta Byzantium à Pauſania Lacedæmoniorum Duce condita, mirificè à Conſtantino Auguſto nobilitata, & amplificata fuit, à quo nomen accepit, factaque eſt Imperii ſedes, & caput. Hæc civitas ſita eſt in Europæ Provincia Thracia, quæ nunc Romania vocatur ad fretum Boſphorum, quod ambo Maria committit Ægeum, & Ponticum; Tribus locis mari alluitur: à meridie quidem ſinu Propontidis, quod vocat *Mar di Marmora*, qui ſinus pars eſt maris Ægei, quod vulgò *Arcipelago* dicitur. Ab ortu civitas Boſphoro cohæret Aſiam ab Europa dirimenti, cui ab Aſia objecta eſt Chalcedon urbs, quæ nunc *Scutari* dicitur. Denique alluitur à parte Septentrionis ſinu illo, qui à Boſphori ſuperiori, ſeu Boreali

par-

parte verſus occaſum exporrigitur, qui vulgò denominatur Cornu, & portum conſtituit toto orbe commodiſſimum. Ulteriùs verò ad Arcton imminet civitati Pontus Euxinus, qui nunc mare nigrum, aut mare majus appellatur. Ipſa verò urbs nunc à Turcis *Stambol* nuncupatur.

Hæc Synodus habita ſub Romano Pontifice Damaſo, & Imperatore Theodoſio fuit, tres potiſſimum ob cauſas 1. ut Nicæna fides tot jactata procellis, & tot Pſeudo-Synodis reprobata, de novo adversùs Arianus ſtabiliretur, 2. ut Macedonii hæreſis negans Spiritus Sancti divinitatem profligaretur, 3. ut Eccleſiæ Conſtantinopolis præſul orthodoxus præficeretur, quam Ariani Epiſcopi Euſebius, Macedonius, Eudoxius, Demophilus, alter alteri ſuccedendo, labefactaverant. Iſthuc convenerunt centum quinquaginta Orientales Epiſcopi, ann. Chr. 381. Quo eodem in Occidente intra fines Italiæ, duæ aliæ Synodi ſucceſſivè celebratæ ſunt. Aquilejenſis primum, deinde Romana: Aquilejenſis acta ſuperſunt, eique præfuit Valerianus Antiſtes Aquilejæ, quæ eſt Carnorum Metropolis ad Timavum amnem ſita, Italiæ quondam adverſus Barbarorum è Septentrione incurſus validiſſimum propugnaculum ab Hunnis, deinde duce Attila ſubverſa: nunc verò propter cœli intemperiem, & circumjacentes paludes planè deſerta, & inhabitabilis. Valeriano in hac Synodo proximus aſſedit Ambroſius Mediolanenſis. Hic etiam interfuit Philaſtrius Brixienſis Epiſcopus, ſcriptorum eruditione librorum, vitæque ſanctitate perilluſtris, nec non Juſtus Lugduni Epiſcopus, aliique tùm ex Italia, tùm ex Gallia, tùm ex Africa. Synodica etiam epiſtola Aquilejenſium ad Epiſcopos Provinciarum Viennenſis, & Narbonenſium primæ, atque ſecundæ meminit Proculi Maſſilienſis, & Conſtantii, qui legati ab Eccleſiis Gallicanis miſſi ad Concilium fuerant. Quin etiam altera ejuſdem Concilii ad Gratianum

Va-

Valentinianum, & Theodoſium Imperatores epiſtola dicit, ex omnibus Provinciis Occidentalibus legatos Synodo interfuiſſe. In hac damnata fuit Ariana impietas, & Epiſcopi Ariani Palladius, & Secundinus Sacerdotio depoſiti ſunt. Dimiſſo Aquilejæ Concil. alterum Romæ coegit Damaſus Epiſcoporum Occidentis, inter quos præfati conſederunt Ambroſius, & Valerianus. Ad iſtud pariter invitaverat Orientales, qui longam Conſtantinopoli inter ſe altercando trahentes moram ſeſe per litteras Synodales utcumque excuſaverunt, miſſis Romam tribus ex ſuo cœtu Epiſcopis Cyriaco, Euſebio & Priſciano, qui eas detulerunt. Hæc referuntur integræ apud Theodoritum l. 5. c. 9.

Iſto Romano Concilio cui Damaſus præſedit, reprobata eſt Ariminenſis Synodus, quam ipſe antea Liberius damnaverat, ut refert Damaſus in ſua ad Epiſcopos Illyrici epiſtola, in qua hæc memoratu digna leguntur: *Neque enim præjudicium aliquod fieri potuit per numerum Arimini congregatum; Quando conſtat neque Romanum Epiſcopum, cujus ante omnia decebat eos expectare decretum, neque Vincentium qui tantis annis Epiſcopatum inviolabiliter cuſtodivit, neque alios talibus præbuiſſe conſenſum.* Quibus docemur Concilia quantumvis generalia, atque etiam legitima Romani Epiſcopi authoritate indicta, carere tamen certa in ſuis decretis authoritate, & fide, antequam illius fuerint approbatione communita. Concilium namque Ariminenſe dubium non eſt, œcumenicum fuiſſe, legitimèque indictum; Cùm eò Liberius de ſuo latere delegaverit, nec minus certum eſt graviter circa fidem Catholicam erraſſe. Similiter quamvis Synodus iſta Conſtantinopolitana fuerit pariter œcumenica, & inſuper Orthodoxa, (idemque dicendum de Chalcedonenſi,) attamen nonnulla utriuſque decreta omni authoritate caruerunt, quia Damaſus, & Leo Romani Epiſcopi noluerunt, illa ſuis approbationibus comprehendere. Huc pertinet illa

al-

altera Damaſi ſententia, *in epiſt. ad Stephanum*, & Conc. Africanum: *Nam ut vobis Synodum ſine ejus* (loquitur de Romana Cathedra,) *Authoritate fieri non eſt Catholicum, nec Epiſcopus niſi in legitima Synodo, & ſuo tempore Apoſtolica vocatione congregata definitè damnari poteſt, neque ulla unquam Concilia rata leguntur, quæ non ſunt fulta Apoſtolica authoritate*. Hæc Damaſus. Ante quem Julius etiam Papa epiſt. ad Epiſcopos Orientales, quam refert ad longum Athanaſius apol. 2. aſſerit fuiſſe ab Apoſtolis traditum, & deinde à magno Concilio (hoc eſt Nicæno) declaratum, non poſſe ullam convocari Synodum inconſulto, aut invito Romano Epiſcopo. Ante Nicænum verò Conc. Marcellus Papa, & Martyr. epiſt. ad Epiſcopos Antioch. Provinc. refert ad Apoſtolorum ſanctionem iſta, quæ ſequuntur. I. ut poſſint quilibet Epiſcopi à quocumque judicio appellare ad Romanum Epiſcopum. II. ut nulla celebretur Synodus abſque Romanæ ſedis beneplacito. III. ut nullus Epiſcopus, niſi in legitima Synodo per Apoſtolicæ ſedis authoritatem convocata cujuſcumque criminis accuſatus judicetur. Notiſſimum etiam eſt in Oecumenico Chalcedonenſi Conc. caput accuſationis contra Dioſcorum Patriarcham Alexandrinum, fuiſſe ab eo Synodum convocatam inconſulto Romano Epiſcopo, quod nec fieri licet, nec unquam alias factum eſt. Unde perſpicuè arguitur iſtam Synodum Conſtantinopolitanam, quæ Chalcedonenſem præceſſit, fuiſſe Damaſi Romani Epiſcopi authoritate convocatam.

Theologi, & Juris Canonici Periti duas approbant regulæ iſtius exceptiones: primam ſi Papa ipſe infidelis, aut hæreticus eſſet: Quo titulo Baronius aſtruit legitima inſtructum fuiſſe authoritate Clerum Romanum, quando Concilium Sinveſſanum adversùs Marcellinum Pontificem convocavit, poſtquàm iſte idola coluit ſub Diocletiani perſecutione. Secundæ exceptioni locus eſt in caſu Schiſmatis, ſi jus foret utrinque

am-

ambiguum, ſicut uſu venit in Conciliis Piſano, & Conſtantienſi, quæ depoſitis eorum temporum Summis Pontificibus alios de novo crearunt: illud quidem Alexandrum quintum, & hoc Martinum quintum. Sed jam Conſtantinopolitani Concilii Canones exploremus.

Can. 1. approbatur, & revocatur Nicæna fides de Verbi divini cum Patre ὁμοουσίᾳ, id eſt, conſubſtantialitate. Damnantur inſuper nefaria Macedonii, & Eunomii dogmata Spiritui ſancto divinitatem abrogantia, & blaſphemantia ipſum eſſe Filii creaturam, atque diverſæ, inferioreſque à Filio ſubſtantiæ. Proſcribuntur ſimul hæreſes Photini Chriſtum hominem tantùm prædicantis: Et Sabellii unicam in Deo perſonam aſſerentis, tribus nominibus pro ſuarum diverſitate operationum deſignatam, ut eadem Perſona dicatur Pater ratione creationis, & Filius propter redemptionem, & Spiritus ſanctus propter animarum ſanctificationem. Hæreſis etiam reprobatur Apollinaris Laodicæni humanam Chriſto animam detrahentis, ut ejus vices Verbum in corpore aſſumpto gerat.

Canon 2. providet, ne ultra propriarum Eccleſiarum fines Epiſcopi ſe extendant, neve ultra ſuas parochias, niſi à locorum Epiſcopis rogati ordinationes faciant. Habetur in *c. Epiſcopi, qui extra diœceſim 9. q. c.* Idemque ſtatuerat Canon Apoſt. 34. Quo deponi jubentur Epiſcopi, qui ſic intra alienos fines ordinaverunt, & clericos qui ordinati ſunt. Idemque ſub Papa Julio ſtatuit Concilium Antiochenum Can. 22. Qui citatur à Gratiano *c. Epiſcopum non debere 9. q. 2.* & Concilium denique Tridentinum *ſeſſ. 6. de reform. cap. 5.* Can. 3. *Epiſcopus Conſtantinopolitanus habeat priores honoris partes poſt Romanum Epiſcopum, eo quòd Conſtantinopolis ſit nova Roma.* Hunc Damaſus Canonem in Concilio Romano reprobavit, quippè qui ex mera editus ambitione ſedibus Patriarchalibus ab antiquo inſtitutis, & Nicæna

Sy-

Synodo confirmatis præjudicabat, novamq; invehebat authoritatem, quæ Imperatorum poteſtate ſuffulta, ſe adversùs Eccleſiæ Rom. primatum à Chriſto in perſona Petri conſtitutum inſolentiùs erigeret. Quod poſterioribus ſæculis effectum eſt, unde hæreſes,& exitialia ſchiſmata emerſerunt toto Oriente. Conatum eundem ambitioſum, Græci renovarunt in Synodo Calcedonenſi, ſed eum facit irritum Leo Magnus *epiſt.* 51. ad Anatolium Conſtantinopolis Epiſc. & *epiſt.* 52. ad Marcianum Auguſtum,& *epiſt.* 53. ad Pulcheriam Auguſtam,ubi hunc can. 3. ſic deſignat. *Fruſtra quorumdam Epiſcoporum profertur conſenſus, cui tot annorum ſeries negavit effectum.* Deinde Juſtiniani Imperatoris prodivit nou. 130. Græcę huic vanitati aſtipulans: *Sancimus* (inquit) *ſecundum ipſorum finem ſanctiſſimus veteris Romæ Papam primum eſſe omnium ſacerdotum: Beatiſſimum verò Archiepiſc. Conſtantinopolis novæ Romæ ſecundum ordinem obtinere poſt ſanctiſs. Apoſtolicum Thronum veteris Romæ.* Quam novellam inſeruerunt Græci, *l.* 5. *Baſilicon c.* 3. ſed illud Laicæ poteſtatis edictum, non alio fulcro ſubniti potuit quam Synodorum decretis à ſupremo univerſalis Eccleſiæ capite reprobatis. Pſeudo-ſynodus Trullana, ſub altero Juſtiniano his ſimilem edidit can. 2. His verò ſanctiſſimi Pontifices refragati ſunt Damaſus, Leo Magnus, Gregorius etiam Magnus, *lib.* 6. *epiſt.* 31. ad Eulogium Alexandrinum, & Anaſtaſium Antiochenum, Nicolaus *I. epiſt. ad Michaelem Imperatorem*, quæ incipit: *Propoſueramus;* & Leo Papa IX. epiſt. ad alterum Michaelem Imperatorem. Epiſc. tandem Conſtantinopoleos gradus ille dignitatis ſecundus indultus à legitima poteſtate fuit decreto Innocentii III. in generali Conc. Lateranenſi, quod refertur, *c. antiqua*, *de privileg.* Sanè ipſe Conſtantinopolis Epiſcopus pluribus ſæculis nihil ampliùs quam ſuffraganeus extitit Metropolitani Hæraclææ Epiſcopi, quod ipſe ultro teſtatur ſchiſmaticus Balſamon ſcribens in hanc Synodum.

L Can.

Can. 4. declaratur irrita Maximi Cynici ad Conſtantinopoleos Epiſcopatum promotio, & omnes per eum factæ ordinationes quoque invalidæ: declaratque Maximum neque eſſe, neque fuiſſe unquam Epiſcopum, Gravis, & ardua hìc involvitur quæſtio, inferiùs ſpeciali diſſertatione ad Canones ordinationum Carthaginenſis Concilii quarti pleniſſimè diſcutienda.

Can. 6. prohibet in primis admitti accuſationem adversùs Epiſcopum ab eo intentatam, qui vel hæreticus, vel aliter excommunicatus ſit, vel condemnatus, vel infamis ſit, niſi ſe plenè purgaverit, & infamię labem abſterſerit. Quin neque adversùs ullum Clericum audiri permittit accuſationem, ſi accuſator ipſe jam reus delicti factus ſit, niſi poſtquam ſe objecti criminis inſontem probaverit. Quam renovavit conſtitutionem Concilium Carthaginenſe vulgò dictum ſecundum Can. 6.

Eodem Canone 6. ſancitur, *Ut in accuſatione Epiſcopi poſſit à Provinciali Epiſcoporum Synodali judicio recurri ad majorem Synodum Diœceſis Epiſcoporum* : προσιέναι μείζονι συνόδῳ τῆς διοικήσεως ἐπισκόπων. Marcellus Papa, & ſub Maxentio Tyranno Martyr Epiſt. ad Epiſcopos Provin. Antioch. ſcribit eſſe jam inde ab Apoſtolis conſtitutum, ut accuſatus Epiſcopus, non niſi in Synodo Romani Pontificis authoritate coacta judicari poſſit. Iſtud quidem jus poterat ſibi Romanus Epiſcopus, quoties viſum fuiſſet, aſſerere. Cæterùm in remotioribus regionibus maximè per Orientem illa de Epiſcoporum delictis cognitio, & judicium exercebatur à Synodis Epiſcoporum, ut ex veteris Eccleſiaſticæ hiſtoriæ locis innumeris compertum eſt.

Epiſcopatum igitur limites graduſque, diverſi admodum inter ſe erant, quemadmodum & Synodi ab Epiſcopis convocandæ. Trina namq; iſta, Epiſcopi juriſdictio, Epiſcopalis ditionis amplitudo, & Synodorum indictio proportione mutua conveniunt. Primus

ſe

ſe offert gradus Epiſcoporum alicui Metropolitano ſubjectorum. Iſti non aliis præſunt quàm inferioribus Clericis, & Laicis; nec aliam cogere Synodum valent, quam ſubditorum Clericorum: horum Epiſcoporum ditio, quæ nunc diœceſis dicitur, olim Parœcia vocabatur. Secundus Epiſcoporum gradus, ac ordo eſt Metropolitanorum, quorum poteſtas, & juriſdictio in omnem provinciam plures complectentem Epiſcopatus protenditur. Hi Synodos Provinciales hoc eſt ſuffraganeorum Epiſcoporum indicere poſſunt ex tota provincia; quam iſte ſextus Canon ἐπαρχίαν ſuffraganeos verò Epiſcopos ἐπαρχιώτας vocat. Tertius gradus Epiſcopos comprehendit pluribus Eccleſiaſticis Provinciis præfectos, ſive Patriarchæ, ſive primates forent. Horum ditiones, ac præfecturæ vocabantur antiquitus diœceſes, & inde congregatæ Synodi nominabantur diœceſanæ, in quas ex pluribus provinciis Epiſcopi conveniebant: ſuprà primates conſtituti erant Patriarchæ; qui Archiepiſcopi quoque dicebantur; quod nomen ſerius Metropolitanis communicatum eſt: Patriarcharum, aut primatuum Concilia Græci quidem diœceſana; Latinis univerſalia, & generalia dicebantur, quamdiu nullum œcumenicum apud Latinos Concilium celebratum eſt: Convocatio autem œcumenicarum Synodorum ad ſolum Romanum Pontificem pertinet, ut alibi commoſtravimus; cujus eſt ſolius ſumma per omnem Eccleſiam toto terrarum orbe diffuſam poteſtas, & cui uni cæteri omnes Patriarchæ ſubiiciuntur.

Quamquam primatiæ frequentiores in Occidente fuerunt, non defuerunt tamen in Oriente, cujuſmodi erat Theſſalonicæ primum in Macedonia, ut conſtat ex Papæ Leonis *Epiſt.* 84. alias 82. *ad Anaſtaſium Theſſalonicenſem*; nec non ex *Epiſt.* 2. Nicolai Papæ I. ad Michaelem Auguſtum. Deinde Acridi, ſeu Juſtinianæ primæ in Dardania, ut perſpicuum eſt ex Juſtiniani

nou. 131. *c.* 31. Erant pariter in Oriente primates Seleuciæ ad Tigrin, quæ nunc eſt Bagdet, ut fidem facit Nicænus can. Arabicus 33. Falsò autem multis perſuaſum eſt Bagdet eſſe antiquam illam in Chaldæa Babylonem; cùm certum ſit Euphratem per mediam Babylonem excurriſſe, cùm tamen Bagdet non niſi ad Tygris amnis Orientalem plagam ſita ſit, ubi condita fuerat antiqua Seleucia. Primatis Romagyreos, ſeu Annenſis meminit Procopius, *lib.* 2. *de bello Perſico*, eumque Perſicis Eccleſiis præfuiſſe teſtatur: Canon ille 23. Arabicus refert Seleucienſem illum antiſtitem plenam habere poteſtatem Archiepiſcopos ordinandi, & vocari nomine Catholici hoc eſt univerſalis, Procopius etiam Catholici nomen inditum ait primati Annenſi, ſeu Romagyreos. Armenorum Patriarcham Otto Friſingenſis, *l.* 7. *c.* 31. de ipſius ad Eugenium III. Pontificem legatione loquens dici etiam Catholicum refert, & Epiſcopis pluſquam mille præeſſe.

Primatuum meminit Synodus Chalcedonenſis can. 9. & 17. Porrò Zonaras ad ejus can. 17. Exarchos commemorat Epiſc. Cæſaræ Cappadocum, & Epheſi, & Theſſalonices, & Corinthi, quos ideò inſignia dignitatis ſuæ geſtare dicit πολυςαύρια, ſic à Crucium multitudine dicta. Quod idem inſigne Synodus 8. œcumenica ὠμοφόριον vocat can. ult. ideſt ſuperhumerale Latini dicunt pallium, quale mittit Greg. Magnus ad Corinthi Epiſc. *l.* 9. *epiſt.* 55. legimus in Pontificali Anaſtaſii Marcum Sylveſtri ſucceſſorem pallii geſtandi jus Oſtienſi Epiſcopo conceſſiſſe, eò quòd ad ipſum pertineat Romani Epiſcopi conſecratio. Require inferiùs præallegatum octavæ Synodi can. ult. cum annotatis.

Primatiæ nihil aliud fuere, quàm Vicariatus ſummi quidem Pontificis in Occidente, Patriarcharum verò in Oriente 4. verò erant Primatum præcipua privilegia. I. jura appellationum à Metropolitarium judiciis. II. jus indicendæ Synodi diœceſanæ, quò poterant cita-

rare ſubditos Epiſcopos, eoſque retinentes per Eccleſiaſticas cenſuras compellere . III. jus formatarum litterarum expediendarum, ſine quibus Epiſcopis non licebat à propriis Eccleſiis abſcedere . IV. jus ordinandi ſubditarum ſibi Eccleſiarum Epiſcopos: quod tamen jus non peræque omnibus, ſive Patriarchis, ſive primatibus competebat, ſed pro conſuetudine, aut commiſſæ poteſtatis tenore, in quibuſdam reſtrictiùs. in quibuſdam effuſius erat, in quibuſdam etiam prorsùs nullum, præterquam intra fines propriæ Metropolitanæ provinciæ ſolo Metropolitæ jure, non verò Primatiali, aut Patriarchali. Non eſt inſtituti mei, tam vaſta, prolixaque diſquiſitio, quam ſatis exactè proſequitur Franciſcus Hallier in ſuo opere de ſacris ordinationibus, & electionibus. Sanè indubitatum eſt Patroclum Arelatenſem fuiſſe à Pontifice Zoſimo conſtitutum primatem provinciarum Viennenſis, & geminarum Narbonenſium, & tamen qui Zoſimo proximè ſucceſſit Bonifacius I. *epiſt.* 3. in Patroclum acriter invehitur, eò quòd Lotembiæ præfeciſſet Epiſcopum abſque Metropolitani Narbonenſis conſenſu, cui jus attribuit vel ratam, vel irritam faciendi hanc ad Lotembienſem Epiſcopatum promotionem. Præterea Papa Leo Magnus *epiſt.* 89. ad Epiſcopos provinciæ Viennenſis, Hilarium Arelatenſem hoc nomine criminatur, quod Epiſcopum ordinaſſet intra fines provinciæ Viennenſis inconſulto Metropolita; Quin etiam hæc verba ſubjungit. *Quid ſibi Hilarius quærit in aliena provincia? & id quod nullus deceſſorum ipſius, aut Parochus habuerit, quid uſurpat?*

Multæ ſuperſunt veterum Romæ Pontificum epiſtolæ ad diverſos Epiſcopos, quos Vicarios ſuos Apoſtolicos, ac primates creant, quibus præcenſita jura comprobantur. Leonis Magni ad Anaſtaſium Theſſalonicenſem, Hormiſdæ ad Remigium Remenſem epiſt. 1. ejuſdem ad Epiſcopum Tarraconenſem *epiſt.*

 59.

59. Ejuſdemque ad Salluſtium Hiſpalenſem, *epiſt.* 26. Zoſimi ad Epiſcopos Galliæ in gratiam Patrocli Epiſcopi Arelatenſis; Item Vigilii epiſt. ad Aurelianum Epiſcopum Arelatenſem, quæ legitur in actis Synodi quintæ œcumenicæ, coll. 7. & Gregorii Magni *l.* 4. *epiſt.* 52. ad univerſos Epiſcopos pro Vigilio pariter Arelatenſi: Gregorii quoque Papæ II. & Zachariæ Papæ epiſt. ad Bonifacium Epiſcopum Moguntinum, quem primatem per omnem Germaniam conſtituunt. Iidem tamen ſummi Pontifices proteſtantur, per hujuſmodi primatias nihil derogari antiquis Metropolitanorum juribus. Hormiſda in ſuis ad Remigium, & ad Salluſtium epiſtolis: *Vices* (ait) *noſtras tibi committimus ſalvis privilegiis quæ Metropolitanis Epiſcopis decrevit antiquitas*, Idem hoc proteſtatur præallegatis Vigilius, idemque præcitatus Gregorius Magnus.

Quem verò Latini primatem, Græci non modò ἔξαρχον vocabant, ut fidem faciunt Chalcedonenſes can. 9. & 17. ſed etiam αὐτοκέφαλον, tametſi Patriarchæ ſubjectum. Quam rem doctiſſimè ſuo more proſequitur Joan. Morinus Congregationis Oratorii Domini Jeſu Sacerdos in ſua exercitatione Eccleſiaſtica 17. Porrò in noſtra Gallia de tot veteribus primatiis, Arelatenſi, Remenſi, Senonenſis, aliiſque nihil præter inanem titulum ſupereſt, ſolo excepto Lugdunenſi, ad quem adhuc à Metropolitanorum judiciis provocatur, ſcilicet Turonenſis, Senonenſis, Rotomagenſis. Nunc eò, unde digreſſi ſumus, revertamur. Hujuſce Concilii Can. 6. circa provocationem ab inferiori Epiſcoporum Synodo ad majorem ac ſuperiorem Synodum, ſeu ad Exarcham, aut Patriarcham conſonat Chalcedonenſis Synodi can. 9. & inſuper Pelagii Papæ I. *epiſt.* 21. *his verbis*. *Si verò in qualibet provincia ortæ fuerint quæſtiones, & inter ipſius provinciæ Epiſcopos diſcrepare cœperit ratio, atque inter ipſos diſſidentes non conveniat, ad majorem tunc ſedem referantur. Et ſic illæ facilè, aut juſtè non diſcernuntur, ubi fuerit Synodus re-*

gu-

gulariter congregata, canonicè & juſtè diſcernantur: Majores vero, & difficiles quæſtiones, ut ſancta Synodus ſtatuit, & beata conſuetudo exigit ad ſedem Apoſtolicam ſemper referantur. Circa hanc Pelagii conſtitutionem de majoribus quæſtionibus ad ſedem Apoſtolicam referendis, eam conſtat fuiſſe praxim omnium priſcorum Eccleſiæ ſæculorum, ipſiuſque Canonici juris pars maxima conſtituitur ex Romanorum Epiſcoporum reſcriptis ad varias conſultationes Epiſcoporum. Idque conforme eſt regimini, quod à Deo inſpiratus conſtituit Moyſes, ut narratur Exod. 18. *Moyſes electis viris ſtrenuis de cuncto Iſrael, conſtituit eos principes populi, tribunos, & centuriones, & quinquagenarios, & decanos, qui judicarent plebem Domini omni tempore: quidquid autem grauius erat referebant ad eum, faciliora tantummodò judicantes.*

Subiicitur denique fidei regula Symbolum Conſtantinopolitanum, illud idem quod ſolemnioribus Miſſis decantari ſolet, cum additione tamen vocis, Filioque, à Latinis facta, qua occurritur poſteriorum Græcorum hæreſi. Cùm enim Macedonius, & Eunomius Filium quidem ex Patre procedere, ſed Spiritum ſanctum à ſolo Filio creatum aſſererent, ut liquet ex Baſilii contra Eunomium librum; Concilium id unum definivit, quod hæretici iſti convellebant, ſuperfluum judicans adjungere id, in quo ipſi cum Catholicis conveniebant. Quandonam verò Eccleſia, cujus eſt una eademque poteſtas & fidei Symbola edendi, & aliquando edita illuſtrandi, & ampliandi, vocem illam addiderit, non eſt planè compertum. Certè Græcanicæ hæreſis ſemina circa divini Spiritus à ſolo Patre proceſſionem 1. jecit poſt Neſtorium defenſor hujus Theodoritus in ſuis ad Cyrilli anathematiſmos commentariis c. 9. Quo loco priſcis Eccleſiæ patribus Græcis, & Latinis palam adverſatur Photius, ut invaſionis ſuæ in ſedem Conſtantinopolitanam, & ſchiſmatis ſui à Romana cathedra, unde fuerat anathemate fulminatus, cauſas & prætex-

tus emendicaret, hanc de proceſſione ſpiritus S. hæreſim arripuit, & propugnavit in ſuis encicliciis literis, quibus Rom. Eccleſ. proſcindit ob illam ad Symbolum adjectionem, & profeſſionem proceſſionis Spiritus à Patre, Filioque, tametſi ſuam Photius hæreſim Græcis ſuis omnibus perſuadere non valuit: quandoquidem ipſi contemporaneus Leo Imperator, Græcorum cognomine Sapiens hanc Spiritus ab utroque proceſſionem profitetur in ſuo ad Omarum Saracenorum Regem libello.

In hac ipſa Conſtantinopolitana Synodo Epiſcopi, qui interfuerunt de Juſtitiæ, & Eccleſiæ commodis parum ſoliciti, ſed propriis tantummodò, atque adeò iniquis affectibus indulgentes, multas, perturbationes concitaverunt, multaque præſtiterunt Epiſcopis indigna, & indecora, quæ uberiùs deſcribit in carmine de vita ſua Greg. Nazianz. qui pleraque ab illis indigna in hoc ipſo Concil. in quo conſederat, paſſus eſt. Fuerat depulſo invaſore Maximo Gregorius dictus Nazianz. ad hanc ſublimem Conſtantinopolis ſedem totius Concilii non modò conſenſu, ſed etiam applauſu, acclamationibus, & laudum præconiis promotus, & pro tam inſigni electione Theodoſius Auguſtus univerſo Conc. gratulatus fuerat. Et tamen poſt paucos dies hoc ipſum Concilium Gregorio ea quæ juſtitiæ, & officii erant monenti, & roganti, non modò refragatum eſt, ſed eundem etiam repulit, deſpexit, & dignitate quam contulerat abdicavit, ſublecto in locum meritiſſimi viri indigniſſimè dejecti viro indigno, & incapaci, non tantùm Laico, ſed necdum Chriſtiano tametſi ſenio provecto Nectario adhuc Cathecumeno.

Meletius Antiochenus Epiſcopus Sanctorum faſtis poſt obitum tàm à Latinis, quàm à Græcis aſcriptus, in cujus anniverſaria celebritate Chryſoſt. ſermonem habuit, cum ſediſſet ut Patriarcha in hac Synodo, ea nondum ſoluta diem obiit extremum: cujus funus ſummis honoribes Concilii Patres proſequuti ſunt, in quo Gre-

go-

gorius Nicænus panegyricam dixit orationem. Is decedens Epiſc. ad pacem Eccleſiæ conciliandam impensè hortatus eſt: hoc deſiderans, ne alius ſibi quàm Paulinus daretur ſucceſſor, ut ſic diſperſa ſub duobus hactenùs Epiſc. Eccleſiæ Antiochenæ membra in unum corpus coaleſcerent, quemadmodum jam antea proviſum fuerat, communique conſpiratione conventum, & promiſſum ab utraq; fidelium Antiochenorum parte, ſtatim atq; alter è duobus Epiſcopis præmoreretur.

Greg. Nazianz. in hoc inſtabat, ut ſolus in Antiochena Eccleſia Paulinus agnoſceretur, atque relinqueretur Epiſcopus: ſed quoniam hìc Orientalibus erat inviſus, hac de cauſa, quòd à Latino Epiſcopo cum Meletii, qui jam anteà Epiſcopatu Antiocheno potiebatur, injurioſa offenſione in eandem Antiochiæ ſedem intromiſſus fuiſſet, & quia Damaſus Romanus Epiſc. aliique Occidentis præſules cum uno Paulino ſibi fidiſſimo, nihil vero cum Meletio communicaverant; ideò Synodi hujus œcumenicæ Patres exoſum habere cæperunt Nazianzenum, quaſi Damaſo addictum, & Occidentalium partes ſuſtinentem. Eos itaque pænituit quòd eum ad Epiſcopatum Conſtantinopolis promoviſſent: Meletio autem Flaviarum deſpecto Paulino ſublegerunt.

Intereà Conſtantinopolim ad Synodum poſt Meletii obitum advenit Timotheus Alexandrinus Epiſcopus cum numeroſo Epiſcoporum Ægypti comitatu, qui omnes indignati ſunt, quia non expectato Alexandrino præſule, cujus prima fuerat habenda ratio, & præſidente Antiocheno Meletio fuiſſet Gregorius aliarum antea ſedium Epiſcopus contra Canonum præſcripta translatum in nouum Conſtantinopolis Epiſcopatum. Major Græcorum pars Timotheo ſe adjungens contra Gregorii promotionem, quamvis à ſe ipſis factam reclamavit. Tum Gregorius ſtudio communis pacis, & propriæ quietis ſe ſponte abdicavit, firmiterque conſtituit nullus unquam poſt hac

Synodis intereſſe, eo quod ut ipſe probè expertus ait, omnia in his per tumultus, & factiones gererentur, Igitur anno ſequenti adhuc Conſtantinopoli exiſtens ad novam in ea urbe indictam Synodum invitatus, & à Theodoſio Auguſto rogatus recuſavit accedere.

CONC. TAURINENSE.

HAbitum fuiſſe conſtat Taurinenſe Concilium paulo poſt Ambroſii Mediolanenſis exceſſum, ſedente ad univerſæ Eccleſiæ Clavum Papa Siricio, ſub quarti ſæculi finem. Ab evidenti veritate prorsùs deviant Baronius, & poſt ipſum Binius, dum iſto Concilio declaratum affirmant Maſilienſem Eccleſiam eſſe Narbonenſis ſecundæ provinciæ Metropolim Eccleſiaſticam, Cùm ex adverſo Concilium ipſum perſpicuè dicat, ſe hoc privilegium indulgere non urbi, aut Eccleſiæ Maſſilienſi, quam ad aliam provinciam pertinere diſertè fatetur, & hac ratione penitùs excludendam ab hoc jure circa alienam, diverſamque provinciam; ſed privatim hoc attribuere perſonale privilegium ſoli Proculo, nullatenus in ejus ſucceſſores tranſfundendum, ſeque hoc uno reſpectu moveri, quod ſit ætate provectior, & quòd plerique Narbonenſis provinciæ Epiſcopi ab ipſo fuerint ordinati: *Quamvis* (inquit) *ejuſdem regionem Epiſcopi aliud defenſarent, ac ſibi alterius provinciæ Sacerdotem præeſſe non debere contenderent*. Et mox ita proſequitur? *Non tam civitati ejus quæ in altera provincia ſita eſt, quàm ipſi potiſſimum deferretur*. Et ſubindè. *Quamvis unitate provinciæ minimè tenerentur, conſtringeretur tamen pietatis affectu, hæc ipſi Proculo tantum in diebus vitæ ejus forma ſervabitur*. Et ſanè conſtituerat Nicæna Synodus Can. 4. ut intra unamquamque provinciam præſit Metropolitanus Epiſcopus in

ea

ea conſtitutus. Perſpicuè verò teſtantur tùm notitiæ imperii liber, tùm Ammianus Marcellinus l. 15. Arelatam, & Maſſiliam pertinere ad Viennenſem provinciam. Quin & hoc idem iteratò declarat de Maſſilienſi urbe Taurinenſis Synodus eam eſſe alterius a Narbonenſi provinciæ. Hæc ergo ſecunda Narbonenſis, neque Maſſilienſem Epiſcopum poterat, neque Arelatenſem agnoſcere Metropolitanum, ſed ſolum Aquenſem. Etenim Aquas Sextias notitia illa Imperii aſſerit eſſe Narbonenſis ſecundæ Metropolim; Et conſtat (quod & alibi fuſiùs explicavimus) veterem Eccleſiarum partitionem fuiſſe ad Imperii partitionem accomodatam, & conformem.

Hoc ſanè Metropolitæ privilegium quod per ambitum, & factionem Proculus à Taurinenſi Conc. contra jus extorſeat, Zoſimus Pontifex ſuis quæ ſuperſunt reſcriptis reprobavit; Quin etiam contumacem Proculum, qui aliena jura invaſerat, à propria quoque Maſſilienſi ſede extruſit, idemque in Patroclum Arelatenſem inſignia privilegia contulit.

Porrò Arelatenſis Eccleſia non modò conſequuta ex antiquo fuit ut eſſet Metropolis ſuamque conſtitueret provinciam in regione Viennenſi peculiarem, eique ut ſuæ Metropoli ſubjecta foret Maſſilienſis Eccleſia; verùm etiam diù primatiæ, ac Apoſtolici Vicariatus jure ſupra utramque Narbonenſem provinciam potita eſt, tantùmque authoritate Zoſimi Papæ conceſſione obtinuit, ut non modò in ſua Viennenſi, verùm, & in prima Narbonenſi, quæ Narbonenſi Metropolitæ, & in ſecunda Narbonenſi Provincia, quæ Aquenſi Metropolitæ ſubjiciebatur, Epiſc. crearet. Cæterùm iſtud privilegium Epiſcopos in alienis provinciis creandi, ac ordinandi, idem Zoſimus meliore conſilio, ut ipſe ſcribens ad Simplicium Viennæ Metropolitanum ingenuè fatetur, revocavit. Quò etiam reſpexit S. Leo Papa, epiſt. 89. ad epiſcopos provinciæ Viennenſis his ver-

verbis: *Quid ſibi Hilarius Arelatenſis quærit in aliena provincia? & id quod nullus deceſſorum ipſius, aut Parochus habuerit quid uſurpat? cùm ipſum quod Patroclo à ſede Apoſtolica temporaliter videbatur eſſe conceſſum poſtmodùm, ſit ſententia meliore mutatum.*

Et utique ordinatio Epiſcoporum ad Metropolis Epiſcopum pertinet ex Nicænis Canonibus 4. 5. 6. 7. cui non eſt æquum derogari à Primate vel etiam ab ipſo Patriarcha. Denique S. Papa Gregorius l. 4. epiſt. 95. ubi Virgilio Arelatenſi confert ſuper vicinis provinciis Apoſtolici Primatis, ac Vicarii dignitatem: *Singulis* (inquit) *Metropolitis ſecundùm priſcam conſuetudinem proprio honore ſervato.* Et Papa Hormiſda ſimilia jura Remigio Remenſium Epiſcopo indulgens hoc addit: *Saluis priuilegiis quæ Metropolitanis decreuit antiquitas.*

Id verò mirum eſt Epiſcopum Maſilienſem, qui alteri ſubjiciebatur Metropolitæ, ſcilicet Arelatenſi, tantum juris habuiſſe etiam ante iſtud Taurinenſe Concilium, ut etiam in aliena provincia jus exerceret Metropolitani, & Epiſcoporum creationi præſideret. Probabilis conjectura eſt facilè contigiſſe, ut quemadmodum imperante Ariano Conſtantio Saturninus Arianus Arelatenſem Eccleſiam occupaverat, ita & Aquenſem alius aliquis Arianus Epiſcopus eodem Conſtantio regnante, vel qui ſucceſſit Juliano Apoſtatæ, vel Valentiniano, qui omnes erant Orthodoxis infenſiſſimi, occuparit: Qua occaſione plebs Catholica cum cæteris Epiſcopis, aut cui ſollicitudo omnium Eccleſiarum incumbit Romanus Pontifex, curam Aquenſis Metropolis proximiori Epiſcopo, qui eſt Maſſiliæ, quæ dimidiæ tantum diei itinere diſtat ab Aquis-Sextiis, demandaverit: Qui vicem tunc Metropolitani gerens nonnullos in eadem provincia Epiſcopos ordinarit, aliaque Metropolitani munia obierit: indeque contigerit, ut idem Maſſilienſis Proculus factione potens, & gratia Principum virorum ſubnixus, quibus obſiſte-

re

re tutum non fuiſſet, hoc demum à Synodo Taurinenſi obtinuerit, ut commendatam ſibi precariò provinciam tota vita, ut proprietarius poſſideret. Et ſanè teſtatur Synodus ſe contemplatione pacis, atque concordiæ ita judicaſſe. Sed tandem jura prævaluerunt, Papa Zoſimo iſtud Synodi judicium contrario decreto abrogante.

Tunc etiam temporis Viennenſis Eccleſia de primatu cum Arelatenſi contendebat; Synodus vero Taurinenſis, ad quam illa controverſia delata fuit, non diffinitivam, quæ litem dirimeret, ſed ambiguam ſententiam tulit, ut illa Eccleſia Primatis dignitate potiretur, quæ ſe Metropolim probaret.

CONC. CARTHAGINENSE IV.

INitio Pontificatus Anaſtaſii Honorio Auguſto IV. & Eutychiano conſulibus anno Chr. 398. convocatum eſt univerſale Conc. (ſic enim vocatur in ipſius proloquio 214. Epiſcoporum Africanorum in ſecretario Carthaginenſis Baſilicæ. Concilio præſedit Aurelius Carthaginis Epiſcopus, & Africæ Primas: Huic inter alios interſuit Auguſtinus Hipponenſis Epiſcopus.

Africa Occidentalis, quæ Patriarchæ ſubiiciebatur Romani Epiſcopi, quæque in partitione Imperii pertinebat ad Romanum Occidentis Imperium, ſex provincias complectebatur. 1. Proconſularem, Africam, ſeu Zeugitanam. 2. Numidiam. 3. Bizacenam. 4. Tripolitanam. 5. Mauritaniam Septenſem, ſeu Tingitanam. 6. Mauritaniam Cæſarienſem, ut conſtat ex notitiæ Imperii libro, & ex Concilii Milevitani cap. 27. variiſque Carthaginenſibus Conciliis. Primatis autem univerſalis titulo præerat his omnibus provinciis Epiſcopus Carthaginis. In ſola proconſulari provin-

vincia, in qua erat Carthago, recenſiti ſunt Vandalicæ perſecutionis tempore 164. Epiſcopi teſte Victore Uticenſi l. 1. in ſumma; Epiſcopales ſedes pluſquàm trecentæ Carthaginenſi primati obtemperabant; cùm tunc temporis duæ tantùm ſuperſint, Septenſis quæ Olyſiponenſi Metropoli, & Trigintana quæ Eborenſi Metropoli ſubiicitur; ut obſervat Aubertus Miræus in Epiſcopatuum notitia: Duæ illæ Metropoles ſunt in Luſitania.

Can. 1. 2. 3. 4. de ordinationibus tractant Epiſcoporum, Sacerdotum, & Diaconorum per manuum impoſitionem: Nec meminerunt ullius inſtrumenti ab ordinatore traditi, aut ab ordinato contrectati. Unde gravis emergit difficultas, quia decretum unionis Armenorum ab Eugenio IV. Pontifice poſt dimiſſam Synodum Florentinam editum nullius in tribus iſtis ordinationibus meminit manuum impoſitionis, ſed traditionis inſtrumentorum, quam requirit ut neceſſariam: Certum prætereà eſt, illam inſtrumentorum contrectationem, aut ſaltem libri Euangeliorum in primis ordinationibus locum non habuiſſe, quando necdum editá fuerant ſacra Euangelia. Certùm denique eſt fieri ſacras Græcorum ordinationes ex Eccleſiæ Rom. approbatione per manuum impoſitionem, abſq; ulla inſtrumenti exhibitione, vel contactu. Hæc quæſtio prolixiorem exigit diſcuſſionem, quam remitto ad hujus Concilii appendicem. Cùm verò in hodierna Sacerdotum conſecratione duæ concurrant manuum impoſitiones, oppoſitis diſſentiunt ab invicem rationibus Theologi, quænam illarum, an etiam utraque ſit eſſentialis.

Canon 5. Declarat *Subdiaconos ordinari ſine ulla manuum impoſitione, ſed ſolùm de manu Epiſcopi ſumendo calicem vacuum, & patenam vacuam; de manu autem diaconi Urceolum cum aqua, & mantile, & manutergium.* Hic obſerva, ſubdiaconatum non eſſe ordinem ex divina inſtitutione ſacrum, ſed ex Eccleſiaſtica dumtaxat, ut mo-

monet Innocentius Papa III. *c. à multis de ætat. & qual. & ord. præfic.* adeò ut primitus fuerit à Sacris ordinibus excluſus *c. nullus diſt. 6.* Et Synodus Ancyræ can. 13. declarat, non licere Chorepiſcopis ordinare Presbyteros, aut Diaconos, nihil prohibens de Subdiaconis. Quinimò Synodus Antiochena can. 10. diſertè aſſerit ordinari à Chorepiſcopis poſſe Lectores, Exorciſtas, & Subdiaconos, at nullatenus Diaconos, aut Presbyteros. Ea quoque de cauſa Subdiaconos abſque manuum impoſitione ordinari docet iſte canon Carthaginenſis. Quoad verò Subdiaconorum ſub primitiva Eccleſia cælibatum, pleraque antiqua Concilia, quæ ad id Sacerdotes, & Diaconos aſtringunt, nihil de Subdiaconis exprimunt; ſed alia tamen his quoque præcipiunt: unde conjicio in reliquis ſub nomine Diaconorum Subdiaconos etiam comprehendi. Nam vetuſtiſſimum Concil. Eliberitanum can. 33. Deinde Agathenſe can. 28. & Turonicum ſecundum can. 20. & Epiphanius circa finem libri adversùs hæreſes, idemque in hæreſi Catharum 59. negant diſertè Subdiaconis licere coniugatis cum affectu, ſeu cohabitatione maritali. Quod idem non obſcurè indicat Synodus Chalcedonenſis can. 14.

Canones Carthaginenſes 6. 7. 8. 9. modum præſcribunt ordinandi Acolythos, Exorciſtas, Lectores, ſeptem ordines recenſentur in Romano Conc. ſub Sylveſtro can. 7. Oſtiariorum, Lectorum, Exorciſtarum, Acolythorum, Subdiaconorum, Diaconorum, Presbyterorum. Eoſdem omnes repetit Concil. Iſtud Carthaginenſe, quibus tamen addit Cantores, ſeu Pſalmiſtas: ſed hoc eſt officium potiùs, quàm Eccleſiaſticus ordo, cùm Concilium ipſum Cantores creari à Sacerdote affirmet, reliquos autem ab Epiſcopo. Acolythorum præter duo illa Latina Concilia meminit inſuper Cyprianus *epiſt.* 55. & Cornelius Papa in epiſt. quam refert Euſebius *l. 6. hiſt. eccl. cap.* 33. ut ſileam Gelaſium epiſt. ad Epiſcopos Lucaniæ cap. 3. alioſque ſequentes Ro-

Romanos Pontifices. Apud veteres autem Græcos non invenio Acolythorum diſtinctam mentionem, tametſi vox illa ſit planè Græca, non apud Dionyſium in *Hierar. Eccl.* non apud Ignatium *epiſt. ad Antiochenos*, cui recenſet ordines Presbyterorum, Diaconorum, Hypodiaconorum, Lectorum, Cantorum, Janitorum, Laborantium, & Exorciſtarum nihil commemorans de Acolythis, ut neque Conc. Antiochenum, quod quidem Can. 10. à Chorepiſcopis ordinari poſſe monet, Lectores, Exorciſtas, & Hypodiaconos, à ſolis verò Epiſcopis, Diaconos, & Presbyteros. Nihil verò de Acolythis loquitur. Ne verò Laborantes ab Ignatio commemoratos aliquis fortè cum Acolythis confundat, docet Epiphanius in compen. Laborantes id habuiſſe officii ut fidelium defunctorum corpora curarent, & ad ſepulturam componerent, quos Pollinctores profana vocabat antiquitas.

Canon 10. ſtatuit Cantorem, ſeu Pſalmiſtam poſſe abſque interventu Epiſcopi per Sacerdotem conſtitui hac verborum formula: vide ut quod ore cantas corde credas, & quod corde credis operibus comprobes.

Can. 12. ſancit ut eligantur viduæ, ac ſanctimoniales (hæ dicebantur etiam Diaconiſſæ) quæ miniſterio adhibeantur fœminarum baptizandarum, & capaces ſint illas ante baptiſmum inſtituendi. De Diaconiſſarum miniſterio circa fœminarum baptiſmum, nequid in eo fiat, vel appareat indecorum, tractat Clemens Papa *l.* 3. *Conſt. Apoſt. cap.* 14. & Epiphanius *hær.* 79. At verò circa mares excluſis tantùm fœminis, minor adhibebatur cautio cùm ſic alloquatur baptizatos Cyrillus Hieroſolymitanus *Catech. Myſtag.* 2. *O rem miram nudi apparuiſti in conſpectu omnium, nec tamen pudoris ſuffuſi eſtis.*

Can. 13. ſponſis injungit ut nocte, quæ ipſorum benedictionem ſequitur ſe in virginitate contineant, propter ſanctæ illius benedictionis reverentiam.

Can.

Can. 15. *Vt Epiſc. vilem ſuppellectilem, & menſam, ac victum pauperem habeat, & dignitatis ſuæ authoritatem fide, ac vitæ meritis quærat. C. Epiſcopus, diſt.* 41 & Trid. *ſeſſ.* 25. *c.* 1. Memoriale eſt Ammiani Marcellini ſcriptoris ethnici ſincerum de quibuſdam Epiſcopis præconium lib. 27. *Antiſtites* (inquit) *quoſdam provinciales tenuitas edendi, potandique parciſſimè, vilitas etiam indumentorum, & ſupercilia humum ſpectantia, perpetuo numini veriſque ejus cultoribus, ut puros commendant, & verecundos.*

Can. 20. *Vt Epiſcopus nullam rei familiaris curam ad ſe revocet, ſed lectioni, & orationi, ac verbi Dei prædicationi tantummodò vacet.* Huc ſpectat Gregorii Nazianzeni de ſe ipſo teſtimonium in carmine de vita ſua, nullam ſe dediſſe operam in exigendis quæſtorum ſuorum rationibus circa Eccleſiæ ſuæ facultate. Sapienter tamen Auguſtinus, ut refert in ejus vita Poſſidius *cap.* 24. facultatum Eccleſiæ curam fidelibus clericis omnem delegabat, qui cuncta accepta & erogata notabant, ipſe verò ſingulis annis eorum rationes audiebat: numquam tamen clavem aut annulum habens.

Can. 22. *Vt Epiſcopus ſine conſilio Clericorum ſuorum Clericos non ordinet, ita ut Civium teſtimonium, & conniventiam quærat.* Habetur in *c. Epiſcopus ſine Conſilio diſt.* 24.

Can. 31. *Vt Epiſcopus rebus Eccleſiæ tanquam commendatis, non tanquam propriis utatur.*

Can. 32. *Irrita erit donatio Epiſcoporum, vel venditio, & communicatio rei Eccleſiaſticæ abſque conniventia, & ſubſcriptione Clericorum.* Vide in decreto 12. *q.* 2. *per totam.* In Galliæ Regno per edictum Henrici II. anno 1558. quod deindè in comitiis Aurelianenſibus art. 29. ſub Carolo IX. ex deliberatione Gallicani Cleri confirmatum eſt, nemorum ad Eccleſias pertinentium arbores proceras dejicere prohibetur Epiſcopis, Abbatibus; & quibuſcumque præbendatis, & aliis quibuslibet perſonis. Solemnitates etiam ſervandas ad legitimam rerum Ec-

cleſiæ alienationem, quibus omiſſis (ſaltem in Gallia) foret invalida, refert Chenuntius Juriſconſultus in ſuo tractatu de alienationibus rerum Eccleſiæ. Prima eſt, ut interveniat Capituli, aut Cleri deliberatio, & conſenſus ſcripto expreſſus, cum ſingulorum ſubſcriptione; juxta hunc Carthaginenſem canonem, &c. *ſine exceptione* 12. *q.* 2. Secunda, ut ex deputatione per capitulum committantur certæ perſonæ ad juridicè inquirendum de qualitate rei cujus tractatur alienatio, deque utilitate, aut neceſſitate ejus alienationis; quæ demùm facta inquiſitio refertur ad capitulum. Tertia, ut publicè per Parochos tàm loci, quam convicinos, perque affixas ſchedulas denuncietur illa futura alienatione, per licitationem, ac ſubhaſtationem, ut qui in licitatione plus obtulerit rem habeat. Quarta, ut accedat Epiſcop conſenſus, aut ejus Vicarii, aut Abbatis, ſi de re agitur regularis Eccleſiæ, aut Monaſterii. Quo ult. caſu requiritur inſuper ſummi Pontificis conſenſus, non enim ad iſtud ſufficit ſuperioris generalis, & multò minùs Provincialis authoritas. Prædictæ requiruntur ſolemnitates, etiamſi non fiat alienatio in perpetuum, aut etiam ad annos 30. dummodò fiat emphyteuſis ultra novennium, ut ex praxi, & jure Gallicano docet Chenutius: qui etiam refert ob unum, & aliarum harum ſolemnitatum defectum, multis in Gallia judiciis irritas fieri multas rerum Eccleſię alienationes, quę fuerant pluſquam centum annorum pręſcriptione firmatę.

Tres juſtas eſſe rerum Eccleſię alienandarum cauſas docet Gloſſa in proœmio cauſę 12. q. 2. Primam ipſius Eccleſiæ neceſſitatem, aut evidentem utilitatem, ut ſi fructus ad Eccleſię impenſas, aut cleri ſuſtentationem, aut debitorum ſolutionem ſufficere non poſſint, *c. hoc jus porrectum* 10. *q.* 2. Cauſa ſecunda eſt pietatis ad ſubſidium pauperum in gravi neceſſitate, vel in redemptione captivorum, juxta diffinitionem S. Papæ Gregorii *l.* 5. *epiſt.* 17. & *l.* 7. *epiſt.* 4 qui vult his caſibus

bus ſacra vaſa confringi, & conflari. *Aurum enim habet Eccleſia non ut ſervet, ſed ut eroget, & ſubveniat in neceſſitatibus, c. aurum* 12. *q.* 2. Cauſa denique tertia eſt vitandi damni, quando Eccleſiæ præ lia ſterilia, aut inculta remanerent ob magnas neceſſarias in eis reparandis impenſas, magnamque diſtantiam, *c. ſine exceptione* & *c. terrulas* 12. *q.* 2. & *c. ad aures de rebus Eccleſ. non alien.*

Denique contra rei Eccleſiæ alienationem, quæ fit à capitulo, vel unus clericus ejuſdem capituli opponens admittitur *c. ſi quis de Rebus Eccl. non alien.* etenim in re communi potior eſt conditio prohibentis. Sed reliquos hujus Conc. Canones proſequamur.

Can. 34. *Vt Epiſcopus quolibet loco ſedens; ſtare Presbyterum non patiatur.* His conformia ſcribit Hieronymus ad Evagrium epiſt. 58. *Cæterum* (ait) *etiam in Eccleſia Romæ Presbyteri ſedent, & ſtant Diaconi: licèt paulatim increbreſcentibus vitiis inter Presbyteros, abſente Epiſcopo, ſedere Diaconum viderim.* Diaconis verò inter Presbyteros ſedere vetant ſacri Canones Nicænus 18. & Laodicænus 20.

Can. 35. *Vt Epiſcopus in Eccleſia, & conſeſſu Presbyterorum ſublimior ſedeat. Intra verò domum Presbyterorum collegam ſe eſſe cognoſcat.* Citatur in *c. Epiſcopus in Eccleſia diſt.* 59. in Liturgia Chryſoſtomi ſedes Epiſcopalis dicitur, ἡ ἄνω καθέδρα, quæ ſurſum eſt ſedes. Et Auguſt. in Pſalm. 126. dicit Epiſcopis altiorem poni locum, ut cognoſcant ſe eſſe in ſpecula conſtitutos ad vineam Domini, quæ eſt ejus Eccleſia, cuſtodiendam. Et de iſto (inquit) alto loco periculoſa redditur ratio.

Can. 44. *Clericus nec comam nutriat, nec barbam.* Allegatur apud Gratianum *c. clericus diſt.* 42. Idem cavetur Agathenſis Concilii Can. 20. de tonſura porrò clericali multa præclara require infra ad Canon. 40. Conc. Toletani 4.

Can. 45. *Clericus profeſſionem ſuam, & in habitu, & in inceſſu probet; Et nec veſtibus, nec calceamentis decorem quærat.*

rat. Habetur in *Can. clericus profeſſione diſt.* 41. huic ſimilem require inferiùs Can. 16. Nicænæ Synodi ſecundæ. Clericum nihil magis dedecet, aut contemptui magis obnoxium reddit, quam illa exterius ſe prodens immodeſtia. Sapientiſſimè admonet Eccleſiaſticus c. 19. Ex viſu cognoſcitur vir, & ab occurſu faciei cognoſcitur ſenſatus Amictus corporis, riſus dentium, & ingreſſus hominis enunciant de illo. Id eſt qualis interius ſit: Quemadmodum gnomon exterior horologii diſpoſitionem indicat interioris machinæ.

Can. 47. *Clericus per plateas, & andronas niſi magna, & certa ſui officii neceſſitate non ambulet.*

Can. 51. *Clericus quamtumlibet verbo Dei eruditus, artificio victum quærat*. Habetur in decreto *c. Clericus quantumlibet diſt.* 91. ſequitur huic ſimilis Can. 52. *Clericus victum, & veſtitum ſibi artificiolo, vel agricoltura abſque ſui officii detrimento paret*. Eadem docet jubetque Clemens Papa *lib.* 3. *Conſt. Apoſt. c. ult.* adducens Apoſtolorum exempla; & ſpeciatim Pauli Tabernaculorum opificis *Act.* 18. *v.* 4. *Act.* 20. *v.* 34. 2. *Theſ.* 3. Epiphanius *hæreſ.* 80. fidem facit ſuo tempore pleroſque Sacerdotes ſolitos eſſe propriis manibus operari. De Spiridione, qui in magna Synodo Nicæna conſedit perhibent Ruffinus, & Socrates illum ſimul, & Thremituntis in Cypro Epiſcopum, & capellarum gregis fuiſſe Paſtorem. *S*ynodus verò Nicæna ſecunda Can. 15. pauperibus Clericis exemplum proponit Pauli Apoſtoli, ut ad ejus imitationem victum manibus propriis operando ſibi parent. Admodum notabile eſt, quod duabus Epiſtolis ſcribunt Agatho Papa, & Romanum Concilium ad Imperatorem Conſtantinum cognomine Pogonatum ſuos ei commendantes ad Sextam Synodum Legatos. *S*e enim primum excuſant, quòd cum cupiviſſent doctiores, & eloquentiores mittere pro tanti muneris, & officii dignitate, ideòque ex ultima Britannia Clericum his ornatum dotibus acciviſſent, iſte tamen adventare non potuerit, nec

alius

alius reperiri queat Clericus inſigniter doctus, ex quo direptis, & vaſtàtis per Longobardos Eccleſiis, tàm hi qui mittuntur Legati, quàm cæteri Clerici non valuerint ſtudiis litterarum incumbere, adacti neceſſitate ad manuum laborem aſſiduum, quo vitam ſuſtentare poſſent. Denique Aquilejenſe Concilium, cui Ambroſius Mediolanenſis interfuit pauperiem dicit in Sacerdotibus eſſe glorioſam. Verùm ad iſtiuſmodi gloriam non ſunt ambitioſi noſtrorum temporum Clerici, vel Monachi.

Can. 60. *Clericum ſcurrilem, & turpibus verbis jocularem ab officio decernit removendum.* Citatur à Gratiano *c. Clericum ſcurrilem diſt.* 46. ſtultiloquium, & ſcurrilitatem damnat Apoſtolus *Epheſ.* 5. *v.* 4. præclarè admonet Bernardus: *Nugæ in ore Laicorum, nugæ ſunt, in ore Clericorum blaſphemiæ: Conſecraſti os tuum Euangelio, talibus aperire non licet.* Sanctum audiamus Ambroſium *lib.* 1. *officiorum c.* 23. *Licèt interdum honeſta joca, & ſuavia ſint, tamen ab Eccleſiaſtica abhorrent regula; væ vobis qui ridetis, quia flebitis, ait Dominus. Non ſolùm profuſos, ſed omnes etiam jocos declinandos arbitror: Plenum tamen ſuavitatis, & gratiæ ſermonem eſſe non indecorum.* Hæc Ambroſius.

Can. 58. *Ex pænitentibus Clericus quamvis ſit bonus non ordinetur. Si per ignorantiam Epiſcopi factum ſit, deponatur à Clero, quia ſe ordinationis tempore non prodidit fuiſſe pœnitentem.* Similiter Siricius Papa ad Himerium Taraconæ Epiſcopum c. 14. *Illud quoque par fuit nos providere, ut ſicut pœnitentiam agere non conceditur cuiquam Clericorum, ita poſt pœnitudinem, ac reconciliationem nulli unquam liceat Laicorum Clericatus honorem adipiſci.* Hæc Siricius. Cauſa utrobique eſt decor, & veneratio ſtatus Clericalis, utque Clericus ſit juxta Paulum inconfuſibilis, & irreprehenſibilis. Similiter Leo Papa epiſt. 92. inquiſ. 2. *Alienum eſt* (ait) *à conſuetudine Eccleſiaſtica, ut qui in Presbyterali honore aut in Diaconi gradu fuerint conſe-*

crati, hi pro aliquo crimine ſuo, per manus impoſitionem remedium accipiant pænitendi: Quod procul dubio ex Apoſtolica traditione deſcendit, ſecundum quod ſcriptum eſt: Sacerdos ſi peccaverit, quis orabit pro eo? Unde hujuſmodi lapſis ad promerendam miſericordiam Dei, privata eſt expetenda ſeceſſio, ubi illis ſatisfactio, ſi fuerit digna, ſit etiam fructuoſa, Hæc Leo Magnus. Similiter Origenes *lib.* 2. *contra Celſum*, docet qui pœnitentiam obiviſſet, eum arceri in perpetuum à ſacris ordinibus, aut eorum exercitio. Optatus item Milevitanus in fine lib. 2. *Multis* (inquit.) *Notum eſt, & probatum perſecutionis tempore aliquos Epiſcopos inertia à confeſſione Dei delapſos thurificaſſe, & tamen nullus eorum, qui evaſerunt, aut manum lapſis impoſuit, aut ut genua figerent, imperavit*. Et Auguſtinus lib. 1. contra Donat. de Baptiſmo cap. 1. *Ordinatis*, (ait) *cum ad Eccleſiam à Schiſmate redeunt, non imponitur manus inter Laicos*. Sed in Concilium Carthaginenſe quintum Canon. 11. ſic ſtatuit: *Idem confirmatum eſt, ut ſi quando Presbyteri, vel Diaconi in aliqua graviori culpa convicti fuerint, qua eos à Miniſterio neceſſe fuerit removere, non eis manus tamquam pœnitentibus, vel tamquam fidelibus Laicis imponatur*. His adde apud Gratianum *c. Presbyter. ſi fornicat. diſt.* 182. Cæterum publicæ pœnitentiæ loco Clericus delicti reus in Monaſterium relegabatur, aut ad privatam ſeceſſionem, ut docent Leo Magnus loco cit. & Hieronymus *epiſt.* 48. *ad Sabinianum*, & Conc. Aurelianenſe tertium, Can. 4.

Canones autem quibus pœnitentia Clericis ipſis injungebatur, ut eſt Arauſicani primi Concilii Canon. 4. *Dicens pœnitentiam deſiderantibus etiam Clericis non negandam*. Quidam exponunt de pœnitentia privata: Alii etiam de publica non judiciaria quidem, ſed ſpontanea nullo interveniente gravi delicto: De qua etiam loquitur Concilium Toletanum quartum Canon. 53. quæque in ipſis Laicis promotionem ſequentem ad ordines minimè impediebat, ut ibi decernitur. Ita

no-

noſter Morinus exponit *lib.* 2. *exercit. Eccleſiaſt. cap.* 23.

Veruntamen Cypriani Epiſtola 59. ad Fidum, quæ continet initio querimonias contra Terapium Epiſcopum, eò quod Victorem Presbyterum, qui graviter in Deum deliquerat, auſus fuiſſet reconciliare, pacemque ei dare præpropera feſtinatione, antequàm plenam impleviſſet pœnitentiam: Illa, inquam, Epiſtola perſpicuè loquitur de pœnitentia, tum publica, tùm judiciaria, nec poteſt ullatenus de privata, vel de ſpontanea exponi. Potiùs igitur cenſerem regulam illam de interdicta ſacris Clericis pœnitentia, neque ſemper, neque omnibus locis viguiſſe, ut ſuperiùs perſpeximus de Sabbathorum jejunio etiam in diverſis Occidentis locis, deque aliis Eccleſiaſticæ diſciplinæ officiis.

Can. 69. Irregularem dicit, qui aut ſecundam uxorem, aut viduam, aut alteriùs derelictam duxerit. Huc ſpectat Apoſtolorum Canon 18. inſertus in decreto *c. ſi quis viduam diſt.* 34. & Conc. Agathenſis Canon 1.

Canon 74. *Qui communicaverit, vel oraverit cum excommunicato, ſive Clericus, ſive Laicus excommunicatur,* Citatur *c. qui communicaverit* 11. *quæſt.* 3. ſimilem Antiochenæ Synodi Canonem ſecundum require ſuperius.

Can. 76. *Is qui pænitentiam in infirmitate petit, ſi caſu dum ad eum Sacerdos invitatus venit, oppreſſus infirmitate obmutuerit, vel in phræneſim verſus fuerit dent teſtimonium, qui audierint, & accipiat pœnitentiam: Et ſi continuò moriturus creditur, reconcilietur per manus impoſitionem, & infundatur ori ejus Euchariſtia. Si ſuperuixerit, admoneatur à prædictis teſtibus petitioni ſuæ ſatisfactum, & ſubdatur ſtatutis pœnitentiæ legibus, quamdiù Sacerdos, qui pænitentiam dederit, probauerit.* Idem fermè ſtatuit Synodus Arauſicana prima c. 12. *Subito obmuteſcens prout ſtatutum*

eſt baptizari, aut pœnitentiam accipere poteſt, ſi voluntatis præteritæ teſtimonium aliorum verbis habet, aut præſentis in ſuo nutu.

Can. 80. *Omni tempore jejunii manus pœnitentibus à Sacerdotibus imponatur.* Obſervato multiplices in Eccleſia manuum impoſitiones. 1. in Sacramento Confirmationis 2. in ſacris ordinationibus. 3. In reconciliatione, ſeu abſolutione pœnitentium. 4. in orationibus quæ fieri ſolebant ſupra ipſos pœnitentes, qua de re Canon iſte loquitur, & Canon 90. Hoc idem ſtatuit circa energumenos 5. & poſtremò Sanctimoniales Diaconiſſæ, &. Virgines conſecrabantur per manuum impoſitionem, ut docet Synodus Chalcedonenſis, Can. 15.

Can. 84. *Ut Epiſcopus nullum prohibeat ingredi Eccleſiam, & audire Verbum Dei, ſive Gentilem, ſiue Judæum, ſiue Hæreticum, uſque ad miſſam Cathecumenorum.* Soli pœnitentes primi ordinis, ſcilicet flentes ingreſſu Eccleſiæ prohibeantur: Cum Judæis verò Paganis, & Hæreticis non communicabatur quidem ad precum ſocietatem, ſed admittebantut intus ad Verbi Dei auditionem, ne aditus ipſis ad converſionem præcluderetur. Allegatur in *c. Epiſcopus nullum diſt.* 1. In Judaico templo pars quædam erat, quæ atrium gentium vocabatur, quo loco Gentilibus conſiſtere, atque adeò Deum verum, & unicum palam licebat adorare. Hinc refertur *Joann.* 12. *v.* 20. *erant autem quidam Gentiles ex iis, qui aſcenderant, ut adorarent in die feſto.* Vide ſupra Laodicænum Can. 6.

Can. 90. *Omni die exorciſtæ energumenis manum imponant.* Require Can. 80. ſuperiùs.

Canon. 91. *Pavimenta domorum Dei energumeni verrant.*

Can. 94. *Eorum qui pauperes opprimunt dona à Sacerdotibus refutanda.* Notatu dignus Canon circa eos qui ſecuros ſe ab obligatione reſtituendi, quæ aliis rapuere præſumunt, neque expoliatis ſe obſtrictos putant,

dum

dum falſam, & inanem ſplendoris, & pietatis gloriam ſibi, ſuæque impoſterum proſapiæ quærant, ſacella conſtruendo, vel nova ſervitia fundando ex corraſis injuſtè pecuniis. Huc ſpectat effatum Eccleſiaſtici præclariſſimum cap. 34. ver. 23. *Dona iniquorum non probat altiſſimus, nec reſpicit in oblationes, nec in multitudine ſacrificiorum eorum propitiabitur peccatis. Qui offert ſacrificium ex ſubſtantia pauperis quaſi qui victimat filium in conſpectu patris.*

Can. 104. Teſtatur de habitu religioſo viduarum quæ ſe obſequio Eccleſiæ devoverunt, deque voto perpetuæ caſtitatis. *Si quæ viduæ ſe devoverunt Domino, & veſte Laicali abjecta, ſub teſtimonio Epiſcopi, & Eccleſiæ in Religioſo habitu apparuerint.* Mentio quoque eſt 1. *Timoth.* 4. Viduarum peccantium dum nubunt eo quod fidem, quam Chriſto dederant irritam faciant. Cyprianus de diſcipl. & habitu virg. *Ut quæ* (inquit) *ſe Chriſto dicaverint, & à carnali concupiſcentia recedentes, tàm carne, quàm mente Deo devouerint.* Et Hieronymus ad Sabinianum Diaconum, ita loquitur: *Moris eſt, ut tàm virgo, quàm vidua quæ ſe Deo deuouerint, & ſæculo renunciantes omnes delicias ſæculi conculcarint, crinem Monaſteriorum matribus offerant deſecandum capite poſteà ligato, & velato.* Dionyſius *Eccl. Hierar. cap. 6.* mutationis veſtimentorum, & tonſuræ, & conſecrationis Sanctimonialium meminit.

Appendix ad Canones ordinationum præcedentis Concilii.

Scholaſticæ Theologiæ profeſſores, cùm non conſuluiſſent Græcarum ordinationum approbatos ab Eccleſia Romana ritus, neque ipſos veteris Eccleſiæ Latinæ uſus, & normas, ſed obſervatis dumtaxat poſteriorum temporum Latinis Ritualibus, & Pontificalibus, haud ſatis accuratè diſcuſſerunt Sacramen-

torum ſingulorum ſubſtantialia, & pleraque affirmarunt, haud ſatis cum Græcorum Catholicorum, aut etiam veteris Eccleſiæ Latinæ venerandis uſibus, & traditionibus convenientia.

In primis iſtorum multi aſſeruerunt ad Sacramenti pœnitentiæ validitatem neceſſe prorsùs eſſe, ut abſolvendi forma perſonam Miniſtri connotet, cum tamen antiquiſſimus, & multoties ab Eccleſia Romana comprobatus Eccleſiæ Græcæ uſus ſit, ut abſolutio per formam deprecativam impendatur: ſicut ex Græcorum orthodoxorum Euchologiis, aliorumque per Orientem diſperſorum fidelium, diffusè, atque apertiſſimè commoſtrant noſter Joann. Morinus in ſuo de pœnitentia tractatu. Quæ ſi Theologi ſcholaſtici reſciviſſent, aliter procul dubio docuiſſent. Enimverò cum S. Thomas in 4. *diſt.* 3. *art.* 2. *ad primum*, & Paludanus *eamdem diſt. queſt.* 1. *quæſito* 3. aliique communiter ex eo quod Eccleſia Græca baptizando ſic pronunciet: *Baptizetur Chriſti ſeruus*, *&c.* inferant, & arguant non eſſe abſolutè neceſſariam in Baptiſmo perſonæ baptizantis, ſeu miniſtri expreſſionem; pari argumento docuiſſent, nec eſſe neceſſariam in pœnitentiæ Sacramento, cum nec in hoc, nec in ullis Sacramentis Græci Miniſtri ſuam unquam perſonam enuncient.

Eadem ratione ſi ſcholaſticis Doctoribus innotuiſſent approbatiſſimi Græcorum Maronitarum, & quorumdam aliorum Orientalium cum Romana Eccleſia communicantium ritus, & praxes ordinationum; proculdubiò his peræque detuliſſent, nec in eas deveniſſent concluſiones, ex quibus ſequatur, orthodoxos Orientis omnes fuiſſe tot ſæculis hactenus ab Eccleſia Romana deluſos, quæ non tantum illorum examinavit, & probavit ritus, ſed etiam illos ita eorum obſervationi aſtrinxit, ut lethalem contrahant noxam, ſi velint in propriis Eccleſiis ritu Latino miniſtrare. Ex quo

quo id pariter ſequeretur, vel cogitatu horrendum; nullos penes ipſos eſſe, aut fuiſſe Presbyteros, & Epiſcopos, nullam Euchariſtiam, nullum Sacramentum Pœnitentiæ, Confirmationis, Ordinis, Extremæ Unctionis. Quinimò neque pluribus ſæculis apud Latinos ipſos ſub illis feliciſſimis Sanctorum veterum Patrum ſæculis, ut patet, vel ex Canone 5. Carthaginenſis 4. univerſalis Concilii, in quo cum ducentis, & ultra Epiſcopis conſedit Auguſtinus, aſſerente pro certiſſima Eccleſiæ norma, & indubitata praxi, ubi traduntur ordinis inſtrumenta, ibi nullam eſſe manus impoſitionem, & ita Sacerdotibus, & Diaconis, dum ordinantur imponi quidem manus, ſed nihil eis tradi, aut porrigi: at Subdiaconis Calicem cum patena tradi, ſed nullatenus imponi manus.

Noſter quidem Morinus contendit in ſuis ad ſacras ordinationes exercitationibus, nullam fuiſſe in Sacerdotum, & Diaconorum ordinationibus traditionem inſtrumentorum annis pluſquam octingentis apud Latinos. Cæterùm vir eruditionis conſummatæ non advertit, Ordinem Romanum libellum ab Alcuino Caroli Magni præceptore alicubi allegatum, ac per conſequens altioris antiquitatis referre in ſecunda parte, non ſolum manus ab Epiſcopo illis imponi, qui Sacerdotio initiantur, & manus injungi; ſed etiam calicem cum vino aqua permixto, & patenam cum pane tradi: ſimulque iſta eis enunciari: Accipe poteſtatem offerre Sacrificium Deo, miſſamque celebrare, tam pro vivis, quam pro defunctis.

Inter Scholaſticos Scriptores S. Bonaventura *in 4. diſt. 24. p. 2. art. 1. quæſt. 4.* ſolius meminit tanquam eſſentialis materiæ ad Sacerdotium, & Diaconatum impoſitionis manuum. Ex adverſo Dominicus Soto, & Capreolus, & Valentia contendunt hanc nihil eſſe quam accidentariam cæremoniam, ſolamque eſſe de Sacramenti eſſentia traditionem inſtrumentorum, Melius

ta-

tamen Petrus Soto, Ledeſma, Bellarminus, Vaſquez, utraq; ſaltem in Latinis Eccleſiis docent ad ſacrarum ordinationum validitatem, & eſſentiam pertinere.

Sanè quæcumque ſuperſunt libello Ordinis Romani vetuſtiora monumenta nullius in ſacris Ordinibus meminere traditionis, ſolamque prædicant χειροτονίαν Dionyſius in *Eccl. hier.* Clemens Papa in Apoſtolicis conſt. de quo libro Epiphanius *hereſ.* 70. teſtatur complecti omnia, quæ pertinent ad Eccleſiaſticam diſciplinam. Canones etiam ordinationum Carthaginenſes & omnia ferè Sanctorum Patrum, dum vel pro occaſionem de ordinibus ſermocinantur loca. His adjungit Morinus, quos ipſe primus in lucem edidit antiquiſſimos ordinationum Rituale ex Vaticana, & aliis illuſtribus Bibliothecis erutos, nec non librum Syriacum ordinationum Maronitarum, qui fuerunt hactenùs montis Libani accolæ, quorum fidem, & ſacros ritus dudum Eccleſia Romana probavit. Eo libro non aliter ordinantur ſacerdotes quàm ſola manuum impoſitione cum certis quibuſdam precibus, & verborum formis, nihil porrigitur ei, qui Sacerdotio initiatur, quàm Euangeliorum liber, ut ipſum legat. Prætermitto Armenorum eorum, qui cum Romana Eccleſia communicant ordinandi ritus, quorum ſacris Miniſteriis exercendis, ſummi Pontifices conceſſerunt Eccleſiam Romæ tituli S. Mariæ Ægyptiacæ.

Quinimò Sacræ Scripturæ non aliud in hujuſmodi perhibent, quam χειροτονίαν, ſeu χειροθεσίαν hoc eſt manuum impoſitionem paſſim in Actis Apoſt. & 1. Timot. 4. Ipſaque χειροτονία, communiter à Patribus Græcis uſurpari ſolet pro ſacra ordinatione. Sed etiam Concilium ipſum Tridentinum omnem amovet ambiguitatem, cum diſertè dicat *ſeſſ.* 14. *cap.* 3. Sacerdotes ritè ordinari per impoſitionem manuum. Et *ſeſſ.* 23. *Can.* 4. *Si quis* (ait) *dixerit per ſacram Ordinationem non dari Spiritum Sanctum, ac proinde fruſtra Epiſco-*

pum

pum dicere : Accipe Spiritum Sanctum , Anathema ſit . Atqui verba iſta profert Epiſcopus dum manus imponit. Judicat ergo Concilium id eſſe de Ordinationis ſubſtantia. Omitto Latinorum etiam Patrum teſtimonia, qui ut præclarè obſervat, & monet Bellarminus *lib. de Sacram. ordin. c. 9.* Inſtrumentorum traditionem prorsùs ſilent, manuum impoſitionem ſemper commemorant.

Tantis accedat argumentis relatio Theodoriti *hiſt. relig. c.* 13. Macedonio Monaco per aſtutiam, ac dolum ad altare ſacrum accito, nec prorsùs de ſui ordinatione futura ſuſpicanti, fuiſſe à Flaviano Epiſc. Antiocheno ſacrum celebrante manus impoſitas ἐπιθεῖναι χειροτονίαν, dumque hoc modo Sacerdotem factum adeò ſuccenſuiſſe, ut Pontificem arrepto, quo ſuſtentabatur ſcipione percutere nixus ſit, niſi circumſtantes ſenem excandeſcentem coercuiſſent.

Romani Pontifices Leo IX. Cœleſtinus III. Innocentius III. ſimulque Concilium Lateranenſe quartum, Innocentius IV. Alexander IV. Gregorius X. ſimulque Concilium Lugdunenſe ſecundum ex generalibus, Concilium pariter Florentinum, quod anno integro fidem Græcorum, & ritus examinavit, & Clemens VIII. qui Græcos Romæ Collegio à ſe fundato, & Eccleſia donavit, ut inibi ritu Græco miniſtrarent, quique ſua Conſtitutione trigeſimam quartam, quæ eſt in Bullario tomo 3. edixit, ut Romæ commoretur Græcus Epiſcopus Catholicus, qui Græcos prius probatos Græcanico ritu ordinet, iſti omnes (inquam) Græcorum ritus, & ordinationes approbarunt. Et quoties Clerici Græci de ſchiſmate convertuntur, ſi fuerant ab Epiſcopis ſchiſmaticis ordinati admittuntur ad ſacrum miniſterium citra novam ordinationem.

Poſteriores demùm Theologi perlecto Arcudii Theologi Dominicani libro, quo Græcorum penes

quos

quos diù verſatus fuerat Eccleſiaſticus ritus accuratè deſcribit, & viſis aliquando Romæ factis Græcorum ordinationibus in eorum propria Eccleſia tituli ſancti Athanaſii, & obſervantes nullum fuiſſe ordinatis Sacerdotibus, & Diaconis porrectum inſtrumentum, quod tangerent, rem majori ſedulitate exploraverunt, atque antiquiores Eccleſiarum Græcæ, Latinæque ritus, ac uſus cum Græcanicis horum temporum conformes eſſe perſpexerunt. Ideòque rationes inveſtigarunt, quibus poſſent apprimè Græcanici uſus cum Latinis horum temporum, ac præſertim cum Decreto Eugenii ad Armenos, in quo majoris difficultatis verſatur cardo, conciliare. Inter plures, quæ à diverſis circumferuntur, duæ ſunt, ut mihi quidem videtur præcipuæ ſoliditatis conciliationes, Una quidem, ut Chriſtus Dominus noſter in materiam ſacrarum ordinationum inſtituerit manum impoſitionem, quam nec ipſa mutare poſſit Eccleſiæ, & inſuper aliam quandam inſtituerit materiæ partem eſſentialem quidem, & ſpecialiùs connotantem illam poteſtatem, quæ per ſingulos ordines confertur: Iſta verò altera materiæ pars in aliquo ſigno conſiſtat per Chriſtum indeterminato, ſecundùm ſpeciem, ſed determinato tantùmmodo genericè: ipſam verò ſpeciem, & modum Eccleſiæ reliquerit determinandum, quæ poſſit ipſum pro ſuo arbitrio quoque immutare ac novum inducere: Itaque Orientales Eccleſias unum certum elegiſſe modum, Latinam Eccleſiam alterum retenta utrobique tamen manuum impoſitione.

Alii aliis verbis eodem tamen ſenſu dicunt, Chriſtum inſtituiſſe Sacramentorum materiam ſecundùm formale, ſed Eccleſiæ determinandam, quòad aliqua Sacramenta reliquiſſe ſecundùm materiale. Formale iſti dicunt quod alii genericum, id eſt modum, vel actum aliquem ſignificantem quomodolibet poteſtatem ſingulis ordinibus inhærentem. Materiale porrò vocant cer-

certum fixumque, atque ab Eccleſia definitum modum, qui ſit adhibendus inter conferendum ordines, qualis eſt inſtrumentorum traditio ex Latinæ Eccleſiæ deſignatione, aut alia quædam actio ex Orientalis Eccleſiæ præſcripto. Qua ſanè diſtinctione generici, & ſpecifici ſeu mavis formalis, & materialis illa rituum diverſitas non modo reſpectu Orientis, & Occidentis, verùm etiam, ut initio inſinuavi, veterum Occidentalium, cum hodiernis Occidentalibus conciliatur. Atque Eugenii quarti decretum non primam ordinationum Sacramentalium partem, hoc eſt genericam, & formalem, ſed ſpecificam, ac materialem ſolùm materiam proſequitur, quæ jamdudum uſu Romanæ Eccleſiæ inter omnes Occiduos Orthodoxos vigebat.

Hac eadem ratione argumentum reſolvit Bellarminus, quo videtur per Eccleſiam immutata ſacri Diaconatus materia, quæ ſit per Euangeliorum traditionem, cum tamen fuerint in ipſo primo naſcentis Eccleſiæ anno Diaconi ſeptem ab Apoſtolis ordinati, multique alii deinceps diverſis locis ſola manuum impoſitione, antequam ullum conſcriptum eſſet Euangelium: Quorum primum ab Apoſtolo Matthæo conſcriptum fuit anno Chriſti, ut ſupputat Baronius 41. annis ſeptem à deſcenſu Spiritus ſancti ſupra Chriſti diſcipulos: Quamquam Irenæus *lib.* 3. *cap.* 1. refundat longè poſterius Euangelii Matthæi conſcriptionem ad tempora quibus Petrus, & Paulus Romæ prædicabant, quod referendum videretur ad annum Chriſti ſaltem ſexageſimum. Quin etiam fieri poteſt, ut ſola manuum impoſitio ſit Orientalibus eſſentialis quantum ad materiam cæteraque in ipſorum ordinationibus adhiberi ſolita ſint cæremoniæ tantùm accidentariæ: Adeò ut ſola eſſentialis materia ſit penes illos Chiroteſia, quam intentio miniſtri, & ſuperadditæ verborum formæ ad hunc, vel illum determinent ſacri Ordinis gradum.

Cum

Cum è diverſo illa manuum impoſitio fortaſſe non conſtituat in Latinis Eccleſiis totalem, & adæquatam ordinum ſacrorum materiam, eò quod ab aliquot retro ſæculis viſum ſit Romanæ Eccleſiæ, aliud quid materiale adjungere traditionem inſtrumentorum, quæ ex ipſius mente, ac inſtituto, vel ſit de materia eſſentiali, vel concurrat, ut conditio ſine qua non, & ita neceſſaria ſit ad Sacramenti ſi non eſſentiam, ſaltem exiſtentiam, pro illa quam Chriſtus Eccleſiæ contulit, circa rem Sacramentariam poteſtate.

Hæc verò quam dixi poteſtas in tribus potiſſimum Sacramentis conſpicua eſt. In ordine quidem, ut jam diſſeruimus. In pœnitentia etiam in qua reſtringitur per Eccleſiam illa indefinita poteſtas abſolvendi, quæ confertur in ordine Sacerdotii ſupra ipſa hominum peccata quæ ſunt pœnitentiæ Sacramentalis ſubjecta materia. Nec rationi à pœnitentia ductæ ſufficienter occurres dicendo in ordinatione quidem non conferri abſolvendi poteſtatem niſi in actu primo, ſed in actu demum ſecundo conferri ab Epiſcopis, dum ordinatis Sacerdotibus ſubditos attribuunt, in quos exercere poſſint illam, quam in ordinatione receperunt ligandi, & ſolvendi poteſtatem, hæc enim adhuc perdurat argumenti vis in Epiſcopis ipſis, & Parochis, qui licet ſubditos nanciſcantur, ſola addictione ad propriam Eccleſiam, in quos deinceps ipſo jure divino habent ligandi ſolvendique poteſtatem, attamen Eccleſia ipſa iiſdem hanc reſtringit poteſtatem, ut nec Parochus in proprios Parochianos, nec Epiſcopus in proprios Diœceſanos quidquam poſſit circa reſervatos per ſuperiorem Eccleſiaſticam poteſtatem caſus, tametſi concurrant ſimul in hac re Paſtor, & ſubditi ſibi Gregis agnus: In Paſtore quidem divinitus conceſſa juriſdictio, ſententia abſolutionis, & ſolvendi intentio: in agno verò una cum interiori pænitentia diligens confeſſio.

Nec minùs effulget in matrimonii Sacramento illa

in re Sacramentaria Eccleſiæ Chriſti poteſtas. Cùm enim hujus Sacramenti materia divinitùs conſtituta ſit mutuus, ac legitimus partium conſenſus: Certùm eſt apud omnes Catholicos, Eccleſiam poſſe pro ſuo prudenti arbitrio edicere, ut conſenſus qui olìm plenè ſufficiebat ad hoc ſacramentum, jam non ſufficiat, Et ex adverſo diſponere poteſt, ut deinceps ſufficiat ille conſenſus, qui ante hac minimè ſufficiebat. Nam ſufficiebat ante Tridentinam Synodum clandeſtina conſenſio, jam nullatenus ſufficiens. Ex oppoſito in multis circumſtantiis non ſufficiebat olìm mutuus conſenſus, qui non ſufficit remotis priſtinis impedimentis. Generalia enim Concilia, Lateranenſe ſub Innocentio III. & Tridentinum multa graduum prohibitorum impedimenta dirimentia ſuſtulerunt: adeò ut mutuus conſenſus, qui anteà non valebat, jam ſit validus ad hoc Sacramentum in gradibus olìm vetitis. Circa memoratas ordinationum materiæ difficultates ex rituum diverſitate ortas diſputant Cardinalis de Lugo *diſput.* 2. *de Sacrament. in genere ſect.* 5. *num.* 85. *& ſeqq.* Beccanus *part.* 3. *de Sacrament. ord. q.* 4. Et inter Gallicanos Theologos præter præallegatum Joan. Morinum, Nicolaus Iſambertus, Philippus Gamachæus, Franciſcus Hallier,

Iſtam porrò Eccleſiæ circa ordinum impedimenta, quę apponere, vel amovere poteſt authoritatem nos adductione teſtimoniorum ex antiquorum patrum libris, & canonum ex probatiſſimis Conciliis, necnon exemplorum plurimorum ex Eccleſiaſticis Hiſtoriis, rursùm uberius confirmabimus inferius ad canonem quartum Octavæ Synodi Oecumenicæ.

CON. CARTHAGINENSE V.

QUemadmodum quarto Carthaginenſi Concilio præſedit Aurelius Carthaginis Epiſcopus totius Africæ Primas: ita & iſti quinto, cui pariter interfuit Auguſtinus.

Hujus Canon. 5. cavetur ne relicta principali Eccleſia ſua Epiſcopus in aliam ſe transferat Eccleſiam. Huic contraveniunt Epiſcopi, qui magna parte anni ruri verſantur, & deliciantur.

Canon. 6. Qui citatur *c. placuit de infantibus, de conſecr. diſt.* 4. jubet infantes de quorum Baptiſmo certitudo haberi non poteſt, ſine trepidatione baptizari: Et ſimiliter Eccleſias conſecrari, de quibus nihil conſtat, an fuerint conſecratæ. Conſule inferiùs annotata ad Can. 84. Synodi Quiniſextæ eadem decernentem. Sextus ille Canon renovatur in Conc. Africano n. 39.

Can. 7. Ut dies Paſchæ formatarum ſubſcriptione omnibus intimetur. Quæ litteræ Græcis Canonicæ, Latinis formatæ dicebantur, ut teſtatur Atticus ſub finem Concilii Chalcedonenſis, his verbis: Græca elementa numeros etiam exprimere, nullus eſt qui vel tenuiter Græci ſermonis peritiam habet, ignoret. Ne igitus in faciendis litteris Canonicis, quas mos Latinus formatas appellat, aliqua fraus falſitatis temerè præſumeretur, hoc à Patribus trecentis decem, & octo Nicææ conſtitutis ſaluberrimè inventum eſt, & ſtatutum, ut formatæ iſtam calculationis, ſeu computationis habeant rationem, id eſt, ut aſſumantur in computationem Græca elementa, prima Patris, Filii, & Spiritus Sancti, id eſt, π. υ. α quæ elementa, & octogenarium, & quadringenteſimum, & unum ſignificant numerum: Petri quoque Apoſtoli littera prima, hoc eſt π, quæ numerum octoginta ſignificat: Ejus quoque qui ſcripſit

Epi-

Epiſtolam prima littera: & cui ſcribitur ſecunda littera: accipientis tertia littera: civitatis quoque de qua ſcribitur quarta littera. Et indictionis quæcumque eſt ejus temporis idem qui fuerit numerus aſſumatur. Obiter hìc obſervandum ex prædicto teſtimonio, uſum indictionum jam viguiſſe tempore Nicæni Concilii. Harum verò indictionum plerique ſuſpicantur authorem Conſtantinum Magnum. Errare inſigniter conſtat Cedrenum, aliofque nonnullos illarum authorem affirmantes Theodoſium. Indictiones ſeriem annorum 15. complectebantur. Earumque triplex diſcrimen fuit: Aliæ dicebantur Conſtantinopolitanæ; de quibus ita loquitur Ambroſius epiſt. ad Epiſcopos Æmiliæ: Indictio Septembrimenſe incipit, hoc eſt ipſis Calendis Septembribus: Aliæ dicebantur Cæſareæ, quarum initium ſumitur ab octavo Calendas Octobris: Tertiæ demum Romanæ, quia in Pontificis Diplomatibus adhiberi ſolent, & exordium ſumunt à Calendis Januarii.

Diſſertatio de Litteris formatis.

Formatæ, ſeu Canonicæ litteræ in varias diſtribuuntur ſpecies, quarum aliæ communicatoriæ dicuntur, quæ ab Epiſcopis dabantur ſubditis peregrè agentibus; ut quocumque ibant in communionem fidelium admitterentur. Optatus *l. 2. contra Parmenianum* recenſita Romæ Epiſcoporum ſerie à Petro uſque ad Damaſum ità ſubjungit: *Cùm quo* (Damaſo) *nobis totus orbis commercio formatarum in una Communionis ſocietate concordat*: Et Conc. Arelatenſe primum can. 7. ut qui fideles ad Præſidatum promoti fuerint. Litteras accipiant communicatorias, ita tamen, ut in quibuſcumque locis eas geſſerint, ab Epiſcopo ejuſdem loci cura de illis agatur: Ut ſi cœperint contra Eccleſiaſticam diſciplinam agere, tum demum à communione excludantur. Præſidatum hìc intellige Præfecturam

quamcumque, aut Magiſtratum. Prætereà Auguſtinus, ut Fortunium Epiſcopum Donatiſtarum aſſerentem ſuam, ſuorumque communionem ubique terrarum protendi, dum vult ſe Catholicum aſſerere, falſi è contrariò convincat, ſic ait epiſt. 163. ad Eleuſium: Quærebam utrum communicatorias Epiſtolas, quam formatas dicimus poſſet quo vellem dare? Et affirmabam, quòd manifeſtum erat omnibus, hoc modo illam facillimè terminari poſſe quæſtionem. Communicatorias litteras Græci κοινωνικὰς καὶ εἰρηνικὰς γραφάς, dicunt.

Dimiſſoriæ item litteræ, Græcè ἀπολυτικαὶ γραφαί, formatis continentur, ſine quibus à proprio Epiſcopo obtentis nullus Clericus ab alio poteſt ordinari, juxta Concilii Sardicenſis canones 18. & 19. Quinimò neque jam ſuſceptos ordines alibi exercere, juxta Apoſtolorum canon. 15. & 16. Neque ipſis faseſt Epiſcopis longiùs peregrinari, vel in aulam proficiſci abſque dimiſſoriis Metropolitani ſui, vel Provincialis Synodi, juxta Sardicenſis Canonis præſcriptum Zoſimus Papa in Epiſt. ad Epiſcopos Galliæ injungit omnibus Romam ex Gallia profecturis Epiſcopis, ut formatas ab Arelatenſi Epiſcopo accipiant. Et Concilium tertium Carthaginenſe, ita ſancit Can. 28. *Epiſcopi trans mare non proficiſcantur, niſi conſulto primæ Sedis Epiſcopo ſuæ cujuſque Provincię, ut ab eo prę̨cipuè ſumere poſſint formatam.* Illam verò formatam Epiſtolam Zonaras ad Canon. 23. & Balſamon ad canon. 26. Carthaginenſes, ſive Africanus exponunt, ἀπολυτικὰς γραφάς, hoc eſt litteras dimiſſorias.

Formatæ complectuntur etiam litteras commendatitias, quæ ad hoc valebant, ut fideles peregrè euntes, tàm Laici, quàm Clerici hoſpitio, & menſa ſuſciperentur, atque Eccleſiaſtica Communione. Aliquando etiam ut Clericorum ordinatio ſignificaretur, aut etiam ut daretur de moribus teſtificatio. Has Græci vocant, συστατικάς, ſine quibus vetat Apoſtolorum can. 32. Quemquam ſive Epiſcopum, ſive Presbyterum, ſive

ſive Diaconum ſuſcipi. Quæ iteratur prohibitio per Laodicænum can. 41. & allegatur à Gratiano *cap. non oportet*, *de conſecr. diſt*. 5. & Clemen. *l*. 2. *Apoſt. conſtit*. *c*. 258. hoc idem pariter extendit ad Laicos Tertullianus *de præſcript. c*. 20. has litteras vocat conteſſerationem hoſpitalitatis. Et Gregorius Nazianzenus *invect*. 1. *in Julianum* refert, tunc apoſtatam transferre in Gentiliſmum propoſuiſſe diverſos Chriſtianorum ritus, atque ex his præcipuè litteras hoſpitalitatis. Balſamon *ad Apoſt. canon*. 15. ſcribit, opus eſſe Clerico in aliena Diœceſi verſanti litteris dimiſſoriis, ſi velit inibi Clericalia munia exercere, non enim ad hoc extendi, aut ſufficere commendatitias. Litterarum commendatitiarum mentio fit 2. Cor. 3. numquid egemus ſicut quidam Litteris commendatitiis ad vos, aut ex vobis? Conc. Chalcedonenſe can. 11. approbat, ut pauperibus quidem concedantur litteræ pacificæ, εἰρηνικαὶ (hæ ſunt communicatoriç, de quibus pauló ante) non autem commendatitię συςατικαὶ, niſi quando injuſta ſuſpicione laborant. Denique Trid. Conc. *ſeſſ*. 23. *cap*. 16. nullus Clericus peregrinus, ſine commendatitiis ſui Ordinarii litteris ab ullo Epiſcopo ad divina celebranda, & Sacramenta adminiſtranda admittatur. Hæc vocantur pariter litterę teſtimoniales.

Formatarum nomine deſignantur pariter litterę Paſchales indicentes quota Dominica ejus anni celebrandum ſit Paſcha. Antiquiſſima conſuetudo fuit, ut Romanus Epiſc. quotannis ad univerſas Eccleſias ſcriptis circularibus Litteris diem Paſchalem indiceret, ut liquet ex Arelatenſis 1. Conc. can. 1. Quia verò Ægyptii Aſtronomię peritia præcellebant, ea cura per Nicęnam Synodum demandata fuit Alexandrino Patriarchę, & in primis Romano Pontifici, diem Paſchalem ſedulo exploratum indicaret, quò poſtmodum Romanus Epiſc. illum per univerſas Eccleſias promulgaret, nt ſcribit Leo Magnus Papa *epiſt*. 64. *ad Marcianum Auguſtum*.

ſtum. Primates verò, & Metropolitani ſuarum Provinciarum Epiſcopis, & hi ſubjectis ſibi Eccleſiis per Litteras formatas ſignificabant, ut ſtatuit canon iſte 7. Carthaginenſis. Promulgabatur autem futurus dies Paſchalis per Diaconum inter Miſſarum ſolemnia ipſo Epiphaniæ die, ut conſtat ex Conc. 4. Aurelianenſis can. 1. & ex Caſſiani collatione 10. cap. 1.

Formatis pariter continentur encyclicæ, ſive circulares Litteræ, quæ vel ab Epiſcopo Romano, vel à Patriarcha, vel à Primate vel ab alio inferiore Prælato, vel à Synodo tranſmittuntur ad plures Eccleſias diſtribuendæ ſive in cauſa fidei, ſive ad morum diſciplinam, ſive ad indicendas preces, aut jejunia, vel admonendos fideles.

Inter Formatas recenſentur quoque commonitoriæ, ſeu memoriales Litteræ, quæ Legatis, aut Apocriſariis, ſeu Nunciis expediuntur, præſcribentes ut ſe gerere debeant in ſuæ legationis, aut nunciaturæ officio. Harum mentio eſt can. 98. Conc. Africani, & apud Cyrillum *epiſt.* 1. *ad Succeſſum* apud Auguſtinum *epiſt.* 129. & 158. apud Sidonium Apollinarem *l.* 8. *Carm. ad Lampridium*, & apud veteres alios. Dicebantur etiam una voce commonitoria.

Inter Formatas item locum habent tractoriæ Litteræ, quibus providebatur, ut Prælatis ad Synodum commeantibus vecturæ, & viatica ſuppeditarentur. Earum meminit iſtud ipſum Conc. Carthaginenſe 5. can. 10. de tractoriis multa tum ex ſacris, tùm ex profanis Scriptoribus congerunt teſtimonia duo Gallicani juriſconſulti conſummatiſſimæ eruditionis Barnabas Briſſonius *de verborum ſignif. verb. tractoriæ*, & Jacobus Cujacius *ad l.* 12. *Codicis tit.* 51. *de tractoriis*.

PRO-

PROSEQUUTIO CANONUM CARTHAGINENSIUM.

Canon 9. Hujus Conc. Carthag. ſic ſtatuit: *Ab Imperatoribus viſum eſt univerſis poſtulandum, propter afflictionem pauperum, quorum moleſtiis ſine intermiſſione fatigatur Eccleſia, ut defenſores eis adverſus potentias divitum cum Epiſcoporum proviſione delegentur.* Legitur, & in decreto *c. ab Imperatoribus* 23. *q.* 3. Iſtud juſtitiæ, & charitatis in pauperes teſtimonium S. Ludovico Gallorum Regi præclarum dat Eccleſia in ejus officio: Cùm metueret pius Rex, ne cauſæ pauperum negligerentur, bis ſingulis Hebdomadis in publico reſidens loco audiebat eorum querelas, & tùm juſtitia, tùm miſericordia eas expendens, celeriter eos expediebat.

Hæreſis Pelagianæ Hiſtoriam.

PElagius è Scotia Britanniæ inſulę Provincia oriundus & in Palæſtina Monacus adversùs Chriſti gratiam nova dogmata diſſeminavit: non aliam eſſe Dei gratiam, niſi Dei Legem, & Doctrinam, Chriſtique exempla, collatamque nobis arbitrii libertatem. Adamum æquè futurum mortalem, etſi non deliquiſſet. Eumdem ſuo peccato ſibi uni nocuiſſe, non verò progeniei ſuæ, neque ullum eſſe peccatum originis: adeòq; infantes non egere baptiſmo ad animæ ſalutem. Omnia materia referenda eſſe ad ſolam arbitrii libertatem. Pelagii diſcipulus Cœleſtius, ejus dogmata primus cœpit per Africam ſpargere. Quare Paulino accuſatore Carthaginis Diacono damnatus in Conc. Carthag. fuit.

Poſthæc Epiſcopi duo Gallicani Eros Arelatenſis, & Lazarus Aquenſis Pelagium accuſant apud Epiſco-

pos Palæſtinæ, ubi tunc ille in Monaſterio verſabatur; atque ad eos capitula tranſmittunt ex Pelagii, & Cœleſtii libris excerpta. Indicitur Lyddæ (quæ, & Dioſpolis dicitur) à Metropolitano Cęſareę Synodus cui ipſe pręſedit Cęſarienſis Epiſcopus Eulogius, eique proximus aſſedit Joannes Hieroſolymorum Antiſtes, cumque his alii 12. Epiſcopi ann. 415. quos ſingillatim nominat Auguſtinus *l.* 1. *contra Julianum c.* 5. capitula Synodi recenſet idem *l.* 2. *de pecc. orig. c.* 11. *& epiſt.* 106. *ad Paulinum*.

Pelagius fraudulentis reſponſionibus ita Synodo illuſit, ut ab ea fuerit Catholicus judicatus. Cùmque Hieronymus tunc in Palęſtina degeret, Pelagium ſcriptis primus oppugnavit, tùm in ſua ad Ctęſiphontem epiſt. tùm in Dialogis ſuis inter Atticum orthodoxum, & Critobolum, quo nomine Pelagium deſignat: cujus cauſam in Palęſtina tuebantur Joannes ille Jeroſolymorum Epiſcopus, & Ruffinus Aquilienſis Presbyter Origeniſta uterque. Sub idem quoque tempus cœpit Pelagium Auguſt. inceſſere tribus ad Marcellinum libris, & quarto ad Hilarium, & libro de natura, & gratia, quorum ipſe cum laude meminit Hieronymus dicens ſibi ſuperfluum eſſe de his ultra ſcribere, quę jam ſunt à meliore ingenio tractata.

Poſtmodum Ann. Chr. 416. ſub Innocentio Papa duobus aliis in Africa Conc. Milevitano, & Carthaginenſi damnantur errores Pelagii, & Cęleſtii. Ambę Synodi litteras ad Innocentium per Julium Epiſc. dirigunt, qui Carthagine profectus Milevim fuit, & hinc Romam ſe contulit. Innocentius re diſcuſſa Synodorum Africę judicium approbat, & Pelagium communione ſegregat, deque his ad utramque Synodum reſcribit. Cœleſtius his Synodis damnatus appellat quidem Romanum Epiſcopum, ſed dùm vixit Innocentius, ſuam non eſt auſus ultra proſequi appellationem: At eo defuncto Succeſſorem Zoſimum convenit. Ad hunc ſimul

etiam

etiam delatæ ſunt ex Palæſtina litteræ Pelagii, quas ille cum commendatitiis Praylii (qui Jeroſolimitano Epiſcopo Joanni ſucceſſerat) ad Innocentium (qui fortè per id tempus è vivis exceſſerat) dirigebat. Quibus perfectis, auditoque Cœleſtio, credidit Zoſimus ambos inculpabiles, & injuſtè laceſſitos. Quia tamen damnatus uterque fuerat, & à Conc. Africanis, & ab Innocentio Papa, diſtulit eos abſolvere, donec ab Africanis Patribus reſponſum refert.

Ad Africanos igitur litteras ſcripſit paulò commotiores, quas ex vetuſto exemplari Vaticano Baronius edidit. Per has declarat fidei Catholicæ profeſſionem Romæ ab utroque factam, judicium inſuper Epiſcoporum Palæſtinæ, additque Erotis, & Lazari gravia vituperia, utpotè qui Pelagium, alioſque ſanctitate conſpicuos viros calumniis proſcidiſſent. Africanorum, ad quos ſcribit, nimiam in condemnando Cœleſtio præcipitationem increpat. His acceptis litteris Africani Zoſimo reſcripſerunt, qua decebat moderatione, ſimulque Paulini Diaconi libellum miſerunt, quo accuſationum ſingula capita diſtinctè, dilucidèque proponebantur, ſuper quibus denuò interrogandus erat Cæleſtius. Tandem Romæ à Zoſimo hæreticorum calliditate detecta, qui ſecundùm capita iſta interrogati ſuum ampliùs occultare virus nequiverunt, aut ultra Judices ſuos ludificari, damnationem ambo meritam acceperunt. His acceſſit Imperatoris Honorii edictum promulgatum pridie Kalendas Maji an. 418. quo pœna deportationis Pelagianis hæreticis decernitur. Hæc ferè ſingula refert Auguſt. lib. de pecc. orig. decreti his anterioris Innocentii Papæ (ut ſileam ejus, quæ ſuperſunt litteras ad Concilia Carthaginenſe, & Milevitanum, quibus Pelagium, & Cœleſtium ipſe damnat, & excommunicat) meminerunt pariter propter adverſus collatorem, & Gennadius de viris illuſtribus cap. 43. qui addit fuiſſe

po-

poſteà hoc decretum ab ejus Succeſſore Zoſimo in omnem Eccleſiam propagatum. Eſtque aliud ipſum, de quo ita loquitur Anaſtaſius Bibliothecarius in Innocentio: *Hic conſtitutum fecit de omni Eccleſia*: hoc eſt decretum fidei ad univerſam Eccleſiam pertinens.

Accepto demum Zoſimi decreto eodem quoque anno 418. Kalendis Maji in plenaria totius Africæ Synodo ut ex prorsùs iſta eliminaretur hæreſis, canones damnationis editi ſunt, qui octo pariter leguntur in Concilio Milevitano antecedenti, & quos nonnulli Baronio contradicentes contendunt falsò aſcriptos Milevitano. Sed cùm nemo revocare in dubium poſt cauſam hæreſis Cæleſtii fuiſſe ſub Papa Innocentio in Milevitano Conc. ventilatam, neque convinci poſſit fuiſſe hoſce 8. Canones falsò illi attributos, quamquam iidem quoque pertineant ad plenarium Afric. Concil. Carthagin. celebratum, nihil obeſt, quin dicendum ſit fuiſſe illos octo Canones ad majorem firmitatem reſumptos, innovatoſque in plenario Concilio, poſtquam fuerant in minore, hoc eſt Milevitano ſanciti. Id verò convincitur ex eo, quòd Concilium ſecundum Turonenſe anni 567. Can. 20. unum allegat ex his octo ſub nomine Milevitani, qui tamen idem Canon citatur à Fernando Diacono tit. 18. ſub nomine Carthaginenſis. Et Cœleſtinus Papa epiſt. ad Epiſcopos Galliæ octo eoſdem Canones attribuit pariter Carthaginenſi Concilio.

De hoc anno 418. Proſper in Chronico iſta refert: *Honorio Auguſto XII. & Theodoſio Auguſto VIII. Conſulibus, Concilio apud Carthaginem habito ducentorum ſeptemdecim Epiſcoporum, ad Pontificem Zoſimum Synodalia decreta perlata ſunt, quibus perlatis, per univerſum orbem hæreſis Pelagiana damnata eſt.* Ejuſdem Synodi plenariæ ſub Zoſimo, ſimulque duarum præcedentium Milevitanæ, & Carthaginenſis ſub Innocentio, meminit Auguſt. epiſt. 47. his verbis: *Quod ſcriptum eſt ad Papam Romanæ urbis Innocentium*

de

de Concilio Carthaginenſis Provinciæ, & de Concilio Numidiæ & aliquantò diligentiùs à quinque Epiſcopis, & quæ ipſa ad tria reſcripſit. Item quod Papæ Zoſimo de Africano Concilio ſcriptum eſt; ejuſque reſcriptum ad univerſos totius orbis Epiſcopos miſſum; & quod poſteriori plenario totius Africæ Concilio contra ipſum errorem breviter conſtituimus. Quibus verbis Auguſt. indicat, quatuor habitas in Africa Synodos circa Pelagii, & Cœleſtii errores: duas ſcilicet ſub Innocentio: Mileuitanam, & Carthaginenſem Provinciales ambas; & alteras totidem ſub illius ſucceſſore Zoſimo; primùm Africanam in Provincia Zeugitana, cujus erat Metropolis Carthago. Hæc anno quadringenteſimo decimoſeptimo coacta fuit: alteram deinde pleniorem illam ducentorum, & decem, & ſeptem Epiſcoporum, quæ anno eodem inchoata fuit, nec ſoluta, niſi poſtquam a Zoſimo Pelagius, Cœleſtiuſque damnati ſunt.

Iſtud verò Concilium Auguſt. dicit poſterius fuiſſe, non tàm reſpectu reſcripti à Zoſimo contra duos hæreſiarchas editi, quam reſpectu Concilii Africani Provincialis. Iſta porrò plenaria Synodus Africana ea ipſa eſt, quæ communiter inſcribitur Concilium Carthaginenſe ſextum. Cæterum quinque illi Epiſcopi, quos ibidem memorat Auguſtinus, ſunt Aurelius Carthaginis, deinde Alypius, Auguſtinus, Euodius, & Poſſidius, quorum communis extat epiſtola de Pelagio ad Innocentium Papam, quæ eſt inter epiſtolas Auguſtini 95.

Pelagianæ hæreſis, toto jam orbe profligatæ patrocinium ſuſcepit Julianus Memorii Capuæ Epiſcopi filius, & in eadem ſede ſucceſſor, ſed mox ob hæreſim eadem ſede deturbatus. Hic plures conſcripſit pro tuendis Pelagii erroribus libros, vir acer ingenio linguaque, & calamo promptus, & diſertus, ſed procax, & temerarius, qui cum Auguſtino grande iniit & diuturnum certamen. Emerſit deinde Semipelagianorum hæreſis dicta etiam Maſſilienſium, propugnantibus illam in Gallia Caſſia-

no Abbate, Fauſto Regienſi Epiſcopo. Gennadio, Vincentio. Hanc naſcentem hæreſim ſub vitæ ſuæ finem editis duobus libris de prædeſtinatione Sanctorum, & de dono perſeverantiæ refutavit Auguſtinus. Litteris è Gallia præmonitus Hilarii, & Proſperi, & poſt Auguſtinum Proſper, Fulgentius, aliique magni nominis viri.

CONC. MILEVITANUM.

PRæclarè admonet Baronius, duo fuiſſe Milevitana Concilia in unum à Collectoribus confuſa. Primum anno Ch. 402. initio Pontificatus Innocentii, nec dum aborta hæreſi Pelagiana. Huic preſedit Aurelius Carthaginenſis Arcadio, & Honorio Auguſtis 5. Conſulibus, ut refert ejuſdem prefatio, que tamen indebitè prefixa eſt ſecundo Milevitano Conc. illi, quo fuit examinata Pelagii, & Cœleſtii herefis.

Iſtud ſecundum circa prenotatam herefim coactum eſt, anno Chr. 416. ultimo Innocentii vitę anno, quo eodem pariter habitum fuit in cauſa eadem Concilium Carthaginenſe preſidente quoque Aurelio: Eò tamen convenerunt ſolius Proconſularis Provincię, aut pauci etiam vicinarum Provinciarum Epiſcopi: Hoc verò Milevitanum Concilium ſecundum coegit Sylvanus Numidię Primas, qui tamen ipſe authoritati ſuberat Epiſcopi Carthaginenſis univerſę Africę Primatis, ut paulò ante monuimus ad quartum Carthag. Autumat Baronius ad hoc Milevitanum ſecundum ſolus pertinere anathematiſmorum in hæreſim Pelagianam canones octo, à plenario deinde Carthagine habito Africanorum Concilio inſtauratos, & denuò approbatos, cæteros autem canones Milevitanos aſcriptos fuiſſe, huc à quibuſdam Collectoribus, & aliis Africanis Conci-

cilliis tranſportatos. Nos indiſcriminatim, ac ſimul illos proſequemur.

Secunda hæc Milevitana Synodus celebrata fuit Imperatoribus Honorio, & Theodoſio Arcadii filio, cui Auguſtinus interfuit. Eſt verò civitas Milevis Provinciæ Numidiæ caput.

Primus in iſto Conc. canon, qui eſt in Africano 79. illos Anathemate percellit, qui ſentiunt cum Pelagio Adamum creatum fuiſſe morti obnoxium, quam non effugiſſet, etiamſi non peccaſſet. Non inficiatur Synodus primum parentem, quamvis in prima innocentia perſeveraſſet, habuiſſe tamen in ſe ipſo principia mortalitatis, adverſarias nimirum elementorum, ac humorum, ex quibus conſtituitur, qualitates, & innati caloris vim depaſcentis primigenium humorem, & ipſam corporis materiam, cujus eſt natura mutabilis, his adjunge innumeras ab extrinſeco deſtructionis cauſas Adamo impendentes: Veruntamen cùm Innocentem Deus ſupernaturali præſidio ſemper conſervaſſet incolumen, ut veriſſimè dicat Apoſtolus *Rom.* 5. *Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertranſiit, in quo omnes peccaverunt.*

Canon Milevitanus 22. qui eſt in Africano Conc. 92. edicit, ne Presbyteris, aut inferioribus Clericis permittatur appellatio ad tranſmarina, ſed ſolum ad Synodos Africæ: non diſſentit à canonibus Sardicenſibus, qui jus appellandi ad Romanum Epiſcopum permittunt quidem Epiſcopis, ſed Presbyteris, & inferioribus jus ſolum provocandi ad Synodos indulget. In Carthaginenſi Conc. 6. major fuit circa appellationes ad Romanam ſedem diſceptatio, de qua plenius eodem loco agemus. Neque verò Carthaginenſes Patres, neque hi Milevitani diſceptare intendebant de Romani Epiſc. ſupra univerſalem Eccleſiam præeminentia, & juridica poteſtate, ex qua ſequitur jus ad ipſum ex omnibus

Ec-

Eccleſiæ partibus appellandi; ſed ſapienter ſtudebant exitialem illorum abuſionem coercere, qui ſuis prælatis refractarii, prætextu juris appellandi, propriorum Epiſcoporum judicia, ſimulque canones Eccleſiaſticos, & omnem diſciplinam eludendo; ſua flagitia, & procacitatem tuebantur: ſeque debitæ vitiorum ſuorum correctioni ſubtrahebant.

Neque deſunt eorumdem temporum, & locorum exempla ſimilis procacitatis in appellantibus flagitioſis Clericis ad Romanum Tribunal. Apiarius Presbyter Africanus à ſuo Epiſcopo Urbano juſtiſſimè ob gravia ſcelera excommunicatus Zoſimum Papam appellaverat, Romamque profectus illum adeò ſuis mendaciis adversùs Urbanum concitaverat, ut Zoſimus in ſuorum Legatorum ad Conc. Carthag. commonitorio mandaverit de Urbano excommunicando, aut Romam evocando, niſi quæ ſui officii erant corrigeret. Idem tamen Apiarius poſt modùm ſe coram eodem Conc. exhibuit; ſuaque palàm confeſſus crimina, veniam ſupplex à Patribus petiit, eaque lege obtinuit, ut à Siccenſis Epiſcopatus finibus cujus erat præſul Urbanus, exularet; quamvis honorificè ſubreptitio Zoſimi decreto reſtitutus, ut eadem ipſa Synodus ad Bonifacium Papam ſcripſit; qui Zoſimo ſucceſſerat, ut conſtat ex Conc. 6. Carthag. c. 105. Iidemque Patres ſcripſerunt ad Bonifacii quoque ſucceſſorem Cæleſtium, ut perſpicuum eſt ex Conc. Africano cap. 101.

Notum pariter eſt Cæleſtium juremerito à Patribus Africanis damnatum, & ab horum ſententia provocantem, ſic decepiſſe Romanum Pontificem, ut ejus gratiam inierit, eumque ſuis accuſatoribus infenſum reddiderit, atque ipſis Africanis Patribus multò minùs æquum quàm decebat.

Quod verò Apiarii Presbyteri provocationem admiſerit Zoſimus, cùm tamen œcumenica, & probatiſſima Sardicæ Synodus jus iſtud Romanarum appellationum

num ſolis indulſiſſet Epiſcopis: id extraordinarium fuit. Sed ab impio Sacerdote Zoſimus eluſus eam calumniis ejus fidem habuit, ut ſibi hoc velut extraordinario caſu ſuprema utendum eſſe poteſtate duxerit. Appellatio porrò Cœleſtii cum eſſet in cauſa fidei ad univerſalem Eccleſiam pertinente, Romani Epiſcopi officium erat, judicium hujuſmodi ad ſuam trahere cognitionem, facta de ſe provocatione.

Multa graviter diſſerit Bernardus circa nimiam appellandi ad Papam multorum licentiam *lib. 3. de conſider. ad Eugen. Appellantur*, inquit, *boni à malis, ut non faciant bona, & ſuperſedent à voce tonitrui tui formidantes. Appellantur Epiſcopi, ne illicita audeant matrimonia ſoluere, vel probibere: appellantur, ne rapinas, ne furta, ne ſacrilegia, & quæ hujuſmodi ſunt cohibere ullatenùs, vel punire præſumant: appellantur ne indignas, & infames perſonas à ſacris officiis, beneficiiſve repellere, ſeu amouere queant. Videas præripi paſſim partes oppreſſorum, & prorumpere ad appellandum non tàm grauatos quàm grauare volentes. Zelatus eſt Dominus domum orationis factam ſpeluncam latronum. Et cur*, inquis, *malè appellati non veniunt oſtenſuri ſuam innocentiam, appellantium malitiam conuicturi? Dico, quod dicere ad hoc ſolent, nolumus vexari fruſtra: in curia eſſe, qui procliuiùs foveant appellantibus, foueant appellationes, ceſſuris Romæ domi ſedere ſatiùs. Fateor me non omninò decredere his. Quem das mihi in tam crebris appellationibus, quæ hodie fiunt, qui pro expenſis itineris nummum reſtituerit illi, quem fortè appellarit?* Hæc aliaque Bernardus. Sanè ad ſupremæ poteſtatis officium pertinet conſiderare illud 1. Corint. 6. *Multa mihi licent, ſed non omnia expediunt. Et iterùm Poteſtatem dedit mihi Dominus in edificationem, non in deſtructionem.*

Canon. 16. Milevitanus, qui verbis iiſdem iteratur in Conc. Africano can. 64. *Placuit etiam ut petatur à glorioſiſſimis Imperatoribus, ut jubeant judicibus dari petitos ſibi defenſores Scholaſticos, qui in actu ſint, vel in officio defenſionum cauſarum Eccleſiaſticarum, more Sacerdotum Provinciæ: ut iidem*

ridici Alexand. horum munus initio quinquennale fuit; ſed Juſtiniani Novella 15. reſtrinxit ad biennium: quam novellam parum ſcitè Balſamon intelligit de defenſoribus Eccleſiæ, quos ex eadem probare conatur fuiſſe ſemper Laicos Defenſores, tàm Eccleſiæ, quàm civitatum communi Græcorum appellatione dicebantur ἔκδικοι.

De Concilio plenario Africano, & Carthaginenſi VI.

DUo iſta concilia communiter diſtingui ſolent, & ut diſtincta recenſentur à Baronio volente fuiſſe habitum Africanum anno 418. uti collocat Proſper in Chronico ſcilicet Honorio XII. & Theodoſio octavum Conſulibus, cui eodem authore Proſpero, interfuere 27. Epiſcopi: Carthaginenſe porrò ſextum Concilium refert Baronius, aliique ad ſequentem annum 419. certè utrumque fuit Carthagine celebratum, utrumque plenarium fuit, utrique ſubſcripſerunt 200. & ſeptem Epiſcopi ſub eodem Carthaginis Epiſcopo ſimul, totiuſque Africæ Primate Aurelio: Ex utriuſque actis liquet fuiſſe ad utramque Synodum miſſos Zoſimi Papæ Legatos, Fauſtinum Epiſcopum, Philippum, & Aſellum Presbyteros; & ab utraque fuiſſe cum *Synodalibus litteris* dimiſſos tres eoſdem Legatos ad Bonifacium Zoſimi recens defuncti ſucceſſorem, quod utique citra miraculum fieri non potuit in diſtinctis Synodis.

Deinde quid rationis eſſe poterat, ut duæ tam proximæ convocarentur ex univerſa Africa plenariæ Synodi? Nunquid una ſufficiebat ad providendum ne detrimentum Eccleſiæ Africanæ paterentur ex hæreſi Pelagiana, quæ jam aliis Africanis Synodis Milevi, & Carthagine fuerat examinata, & exploſa? Quod vero ſcribit Baronius Carthaginenſi Conc. ſexto, ſub-

O ſcri-

ſcripſiſſe quidem 217. Epiſcopo in propriis Eccleſiis ſingulos eorum, ſed paucos in Synodo conſediſſe, id affirmari nequaquam poſſe inde arguitur, quia in ipſis Conc. actis refertur conſediſſe in ipſo eoſdem omnes, qui num. 217. ſubſignaverant, ut admonet Cardinalis Petronius, & ipſe Spondanus Baronii abbreviator. Eſt itaque ſub diverſis, iiſque veriſſimis denominationibus Carthaginenſis, & Africani unum, & idem Concilium congregatum anno quadringenteſimo decimo octavo ſub Zoſimo Papa, qui ſuos eò Legatos tres prænominatos direxit, cum ſuo quatuor capitum commonitorio. Hic profligata eſt Pelagiana hæreſis, hinc miſſæ Synodi litteræ ad Atticum Conſtantinopolis, & Cyrillum Alexandriæ antiſtitem, pro comparandis Nicænæ Synodis germanis exemplaribus. Hic abundanter cumulatéque proviſum eſt circa omnem Cleri Eccleſiæque diſciplinam. Et ne Canonum aut librorum diſperſorum multitudo confuſionem, aut ignorationem pareret, ſapienter renovata ſunt, & in unum veluti faſcem congeſta veterum Africæ Conciliorum ſalubriora decreta, & iiſdem verbis huic Synodo inſerta, ut ſic in unum libellum collecta commodiùs addiſcerentur. Hinc factum, ut quamplurimi hujuſce Concilii canones iis legantur quoque verbis in Milevitano 2. & Carthaginenſibus 3. & 5. Sancti etiam Auguſtinus, & Proſper unius tantum plenarii meminerunt totius Africæ Conc. circa Pelagiana dogmata hic in Chronico, ille in ſua 47. epiſtola.

In hoc ergo Carthaginenſi ſexto, ſeu Africano plenario Concilio lectum eſt monitorium, quod tribus legatis ſuis Zoſimus mandaverat quatuor continens capita. Primò ut renovetur Nicænæ Synodi Canon, quo ſtatuitur, ut quilibet Epiſcopus Synodi judicio condemnatus jus habeat ad Romanum Epiſcopum appellandi, qui alterutro modo poterit cauſæ providere, ſive judices vicinos Epiſcopos committendo,

ſive

ſive Legatos ex ſuo latere in eas partes expediendo. Secundò ne in comitatum, hoc eſt, Principis aulam Epiſcopi ſine Synodi, vel Metropolitani litteris accedant, poſt examinatam ſedulò, & approbatam profectionis cauſam: Tertiò de appellationibus Sacerdotum, aliorumque Clericorum admittendis à propriorum Epiſcoporum ſententiis ad Synodos Provinciales. Quartò de Urbano Epiſcopo Siccenſi, qui Apiarium Sacerdotem judicio damnaverat, aut excommunicando, aut Romam evocando, ſi ea quæ corrigenda erant, non corrigeret.

Quod attinet ad hoc ultimum, admonuit Synodus Pontificem, quod Apiarius ſua tandem crimina, & in proprium Epiſcopum proterviam, atque calumnias palam in Concilio confeſſus ſit, ſeque Concilii judicio ſubjecerit. Quoad verò appellationes Epiſcoporum ad Romanam ſedem, poſtquam Nicænos canones Concilium perlegit, nec in monitorio contentos reperit, dixit Auguſtinus Hipponenſis Epiſcopus Legatus Provinciæ Numidiæ: & hoc nos ſervaturos profitemur, ſalva diligentiori inquiſitione Concilii Nicæni: Totaque Synodus in illius ſententiam conſenſit, & hoc ipſum Romam reſcripſit litteris quas Bonifacius, qui Zoſimo nuper defuncto ſuffectus erat, recepit. Addiderunt & iſtud, miſiſſe Synodum ad Cyrillum Alexandriæ, & Atticum Conſtantinopolis Epiſcopum, ut ad ſe integros, & illibatos Nicenos canones tranſmitterent; pollicentur verò Africani Patres ſe Nicænorum canonum præſcripta omnia ſervaturos. Aliquantò poſt deferuntur Carthaginem litteræ Cyrilli, & Attici, cum viginti Nicænis canonibus in Latinum è Græco translatis. Quos ut receperunt, ſcripſerunt Africani Patres ad Cœleſtinum, quem Bonifacius paulò ante vita defunctus habuit Succeſſorem, tùm Apiarii, de quo paulò ſupra, pœnitentiam, tùm quæ ex lectione Nicenorum ad ſe

O 2 tran-

tranſmiſſorum Canonum ſibi comperta erant: nihilque repertum circa Zoſimi de appellationibus Epiſcoporum commonitorium, niſi quod can. 5. Nicæno ſtatuitur, ne qui fuerint à proprio Epiſcopo communione fidelium excluſi, ab ullo alio Epiſcopo recipiantur, niſi devoluta appellatione ſecùs fuerit à Provinciæ Synodo judicatum. Quam ob rem (inquiunt) impendio deprecamur, ne deinceps ad veſtras aures hinc venientes faciliùs admittatis, nec à nobis excommunicatos ulteriùs in communione velitis accipere: quia hoc à Nicæno etiam Concilio definitum facilè advertet venerabilitas tua. Neſcitur quid ad iſta reſponderit Cœleſtinus.

Iſta uſque adeò accurata Nicæni Concilii conquiſitio, cujus etiam expreſſa erat mentio in Zoſimi commonitorio, ſatis arguit Synodi Sardicenſis mentionem, quæ legitur *cap.* 1. *artic.* 6. hujus Carthaginenſis Concilii ſexti eſſe ſuppoſititium, & ab aliquo poſteriùs aſſutam Laciniam, qui hoc ipſos Canones in Concilio Sardicenſi, quo utique continentur, legerat. His adde Sardicenſe ipſum Concilium fuiſſe Africanis Patribus ignotum, cùm ſcribant ad Cœleſtinum his verbis; nam ut aliqui tamquam à tuæ ſanctitatis latere mittantur, nulla invenimus Patrum Synodo definitum. Quæ nullatenus dixiſſent, ſi Sardicenſe legiſſent, aut ex ore legatorum audiviſſent. Cùm hæc Synodus illud ipſum de mittendis à Romano Epiſcopo legatis in caſibus appellationum perſpicuè decernat can. 7. Et Auguſtinus, qui in hoc Carthaginenſi Concilio conſedit, ſcribit *lib.* 3. *contra Creſconium cap.* 34. ſe nullum agnoſcere Concilium Sardicenſe, niſi Arianorum. Quia ut ſuperiùs ad Synodum Sardicenſem obſervavimus. Ariani ſe ex legitimo Sardicæ Conventu ſubduxerant, ut perverſos Canones liberiùs conflarent, quos deinde Sardicenſis Synodi ementito nomine venditarunt. Itaque inita etiam cum Donatiſtis ſocietate, qui Africam

penè

penè omnem inceſſerant, ſuum per illos Conciliabulum, tota promulgari Africa, & legitimam Synodum ſupprimi curaverant.

Et ſanè dubitandi nullus eſt locus de veræ Sardicenſis Synodi authoritate pari cum Nicæna, cùm ſit utraque œcumenica, & à Romanis Pontificibus approbata, ideòque prævalere debet cuivis Africano Concilio inferioris ordinis, in iis præſertim, quibus Pontifex Maximus obſtitiſſet, ut in hac cauſa contigit.

Evidentiſſimum pariter eſt fuiſſe antiquiſſimum appellationum ad Romanum Tribunal uſum etiam ante Canones Sardicenſes: Excommunicatus namque ab Epiſcopo Ponti Marcion ad Pium Romæ Epiſcopum appellans auditus fuit teſte Epiphanio *hæreſ.* 42. Fortunatus & Feliciſſimus à Cypriano Carthaginenſi depoſiti, appellantes admiſſi ſunt à Cornelio Papa teſtificante ipſo Cypriano *epiſt.* 55. ad Cornelium Papam. Deinde in Hiſpania Baſilides depoſitus ad Stephanum Papam provocat, ut idem refert Cyprianus *ep.* 68. Athanaſius à Synodo Tyri dignitate motus Julium Papam appellavit, à quo reſtitutus fuit. Quæ appellatio præceſſit Synodum Sardicenſem, ut ex Athanaſii, & Theodoriti narratione colligitur. Poſt Sardicenſe decretum Joannes Chryſoſtomus à Theophilo Alexandrino in Synodo exauthoratus, ad Innocentium Papam provocans admittitur, ut conſtat ex duabus ejuſdem ad Innocentium Papam epiſtolis, Flavianus Conſtantinopolis Epiſcopus à Pſeudo-Synodo Epheſina gradu motus ad Leonem Papam provocat, ut refert Liberatus in Breviario cap. 12. Theodoritus etiam ibidem depoſitus ad ejuſdem Leonis judicium provocat, ut fidem facit ejus ad Leonem epiſtola. Ignatius etiam Conſtantinopolis Epiſcopus, ab Epiſcoporum Conciliabulo ſede pulſus, judicium reclamans Nicolai I. admiſſus, ut ſcribunt Curopalates Cedrenus, Zonaras. Alios innume-

ros prætermitto, quorum paſſim obvia ſunt exempla ex omnibus orbis Chriſtiani plagis in epiſtolis Sanctiſſimorum Pontificum Leonis, & Gregorii.

Cur autem Zoſimus Sardicenſe Concilium nomine Nicæni allegaverit, reſpondent nonnulli fuiſſe, id quoque à Nicæna Synodo definitum, ſed ab Arianis unà cum multis omnibus aliis ejuſmodi Synodi ſuppreſſum, ſolis exceptis viginti, qui Arianæ impietati nihil præjudicant, ſed tamen illa omnia decreta permanſiſſe integra in exemplaribus Romanæ Eccleſiæ, ex quibus ea Zoſimus deſumpſerit. Porrò de diminutione Canonum Nicænorum fuſiùs diſſeruimus ad Nicænum ipſum Concilium.

Reſp. alii, Sardicenſem ſimul cum Nicæna conjunctim habitas fuiſſe pro una, eademq; Synodo, tùm quia magna Epiſcoporum pars, quæ in Nicæna conſederat, interfuit pariter in Sardicenſi, ut ex ſubſcriptionibus liquet, atq; utrobique eadem fidei cauſa dijudicata fuit. Cæteroqui Synodus Sardicenſis num. Oecumenicarum augeret, talem enim fuiſſe illam, liquidò conſtat, quatenùs toto ex orbe Chriſtiano, Romani Epiſcopi ſtudio, & præſidentibus ipſius legatis coacta, & celebrata fuit, & tamen non recenſetur diſtinctè inter Oecumenicas, eò quod in unam cum Nicæna coaluerit. Ex quo rectè conjicitur fuiſſe à Zoſimo dictos Canones Nicænos, qui tamen ſunt Sardicenſes, quia in Romanæ Eccleſię archiviis ambarum Synodorum decreta ſub eodem Nicæni Concilii titulo connectebantur. Sed jam proſequendi ſunt nobis Canones aliquot præſentis Africani Concilii.

Can. 3. *Ut Epiſcopi, Presbyteri, & Diaconi non ordinentur niſi poſtquam omnes, qui ſunt in domo eorum, Chriſtianos Catholicos fecerint.* Habetur iiſdem verbis in Concilio item Carthaginenſi tertio, canon. 18. Ejuſmodi zelum ac ſtudium fidei, atque animarum ſalutis requirebat olim Eccleſia in Clero, ut nemo poſſet per Hierarchicos ordines ſibi eam ſponſam acquirere, niſi exemplo Davidis

Mi-

Micholem deſponſaturi profert Philiſthinorum aliquot præputia, ſcilicet hæreticorum converſionem.

Can.6. *Vt primæ ſedis Epiſcopus non appelletur princeps ſacerdotum, aut ſummus Sacerdos, aut quid ſimile, ſed primæ ſedis Epiſcopus*. Inſertum eſt in decreto *c. primæ ſedis diſt.* 99. Primam (de qua hìc) ſedem intellige primatialem Africæ, Compellationes quæ faſtum redolent abhorret exemplo humillimi, & mitiſſimi ſponſi ſui Chriſti Eccleſia; ideòque Romanus Papa tametſi revera ſummus Sacerdos, & Sacerdotum princeps, non tamen his quibus legitimè pro ſua dignitate poſſet, ſed humili titulo utitur ſervi ſervorum Dei, juxta Chriſti Verbum *Luc.* 22. Qui major eſt in vobis fiat ſicut minor, & qui præceſſor eſt ſicut miniſtrator. Eſt autem vero ſimile jam inde à primis ſæculis fuiſſe attributum Romanis Epiſcopis titulum Pontificis Maximi, & Epiſcoporum Epiſcopi: Etenim Tertullianus malè erga Zephyrinum Papam affectus, ejuſque Edicti pro admittendis ad veniam pœnitentibus Mœchis prima verba recitans *lib. de pudicitia cap.* 1. iſtam præmittit inſcriptionem: *Pontifex maximus Epiſcopus Epiſcoporum.* Et in Conc. Africano de hæreticis rebaptizandis, Cyprianus tunc temporis non ſat benè in Stephanum Papam affectus, ſic illum in proloquio præſtringit: *Neque enim ſe quiſquam noſtrum Epiſcopum Epiſcoporum conſtituit, aut tyrannico terrore collegas ſuos ad obſequendi neceſſitatem adigit.* Et in actis ſanctorum Martyrum Sebaſtiani ejuſque ſociorum ſinceriſſimis Cajum Papam Tiburtius Chromatii filius nuncupat Epiſcoporum Epiſcopum, quod poſteà nomen ab aliis eidem affigitur.

Can. 9. *Vt ſacramenta altaris non niſi à jejunis hominibus celebrentur, excepto uno die anniverſario, quo Cœna Domini celebratur*. Habetur in *c. ſacramenta altaris de conſecr. diſt.* 1. Huc illud Tertulliani refertur *lib. ad Vxorem cap.* 5. *Non ſciet maritus quid ſecretò ante omnem cibum guſtes & ſi ſciverit, panem illum non credit eſſe qui dicitur*. His

convenit D. Auguſtini in *epiſt.* 118. *cap.* 6. teſtimonium iſtud: nonniſi à jejunis Corpus Domini ritè ſumi poteſt. Dies Cœnæ Domini Canone iſto excipitur, quia exemplo Jeſu Chriſti, eodem die ad veſperam ſacrum celebrari mos erat, ad quod fideles etiam cœnati communicabant. Reperitur etiam iſte canon num. 29. in 3. Carthag. Concilio.

Can. 65. *Placuit ut plebes quæ numquàm habuerunt proprios Epiſcopos, niſi ex plenario Concilio cujuſque Provinciæ, & primatis, atque conſenſu ejus ad cujus Diœceſin eadem Eccleſia pertinebat, ac decretum fuerit, minimè accipiant.* Sanctum Baſilium legimus Cæſaraæ in Cappadocia Metropoliten, ut æmulo ſuo Tyanæ (quæ erat in ſecunda Cappadociæ Provincia) Metropolitæ ſuffraganeorum Epiſcoporum numero prævaleret, erexiſſe in Epiſcopalem Saſimorum Eccleſiam, eique Gregorium Nazianzenum quamvis reluctantem præfeciſſe. Prætereà Auguſt. (ut ipſe de ſe teſtatur) *epiſt.* 261. ad Cœleſtinum Papam in ſuæ Diœceſis Hipponenſis oppido Fuſſala, ſedem novam fecit Epiſcopalem, cui primùm præfecit Epiſcopum Antonium de conſenſu Primatis Numidiæ, cui ſubjecta erat Hipponenſis Eccleſia.

Canones octo adversùs errores Pelagii, & Cæleſtii, qui in Milevitano præcedenti Concilio leguntur, in iſto quoque plenario Concilio inſerti ſunt, ut & Milevitanus canon 22. quo appellationes tranſmarinæ prohibentur. Huic plenario Concilio ſubiicitur Epiſtola Synodica, hinc ad Bonifacium Papam tranſmiſſa.

Proſper *lib. contra collatorem cap.* 10. refert ita fuiſſe ab Africanis Patribus decretum. *Conſtituimus in Pelagium, & Cæleſtium per venerabilem Epiſcopum Innocentium, de beatiſſimi Apoſtoli Petri ſede prolatam manere ſententiam, donec apertiſſima confeſſione fateantur gratia Dei per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum, non ſolùm ad cognoſcendum, ſed etiam ad faciendum juſtitiam, nos per ſingulos actus adjuva-*

ri,

ri, ita ut ſine illa nihil veræ, ſanctæque pietatis habere, cogitare, dicere, agere valeamus.

CONC. TOLETANUM I.

ESt Toletum urbs inſignis ad Tagum amnem ſita Carpetanorum caput, quæ nunc regio *Caſtillia nova* dicitur. Primum Toletanum Concilium ſub Innocentio I. Papa fuit, & Imperatoribus Arcadio, & Honorio Chr. 405. Exſtat Innocentii Papæ ad hanc Synodum epiſt. Ejus cogendæ potiſſima cauſa fuit Priſcilliani hæreſis, quæ ſicut cancer per univerſam Hiſpaniam ſerpebat. Itaque plures editi ſunt contra illam in hac Synodo can. ſicut in aliis Hiſpanicis Cæſaraugustana, & Bracarenſi prima. Severus Sulpitius hujus hæreſis hiſtoriam exactè deſcribit, quæ Simonis, atque Baſilidis artes magicas, Gnoſticorum ſpurcitias infames, & Manichæorum deliria renovabat. Ejus author Priſcillianus propterea moti ab Imperii uſurpatore Max. addictus eſt.

Can. 5. Exigit ab omnibus Clericis, ut Miſſæ quotidie interſint, *Presbyter, Diaconus, Subdiaconus, vel quilibet Eccleſiæ deputatus Clericus, ſi intra civitatem fuerit, vel in loco, in quo Eccleſia eſt, ſi in Eccleſiam ad Sacrificium quotidianum non venerit, Clericus non habeatur.*

Can. 6. *Puella Dei familiaritatem non habeat cum Confeſſore, aut cum quolibet Laico ſanguinis alieni.* Similiter Conc. Pariſienſe ſub Gregorio Papa Quarto, & Ludovico Pio Francorum Imperatore, hæc ſtatuit l. 2. cap. 46. *Ne Clerici, vel Monachi cum Sanctimonialibus colloquantur, niſi ex conſenſu Epiſcopi, & ex cauſa neceſſitatis. Neve ullus Sacerdos alicujus Monialis confeſſionem audiat, niſi coram teſtibus, haud procul adſtantibus.* Conſulito etiam inferiùs, quæ annotavi ad can. 20. Nicænæ ſecundæ Synodi, & ad can. 28. Agathenſis.

Can.

Can. Toletanus 14. veterem abolet ritum, quo liberum erat fidelibus, vel intra Eccleſiam abſumere ſacram Euchariſtiam, vel manibus acceptam referre domum. *Si quis acceptam à Sacerdote Euchariſtiam non ſumpſerit, velut Sacrilegus propellatur.* Idemque decernitur Cæſarauguſtani Concilii can. 3. Obvia paſſim apud priſcos Eccleſiæ Patres occurrunt exempla delatæ in privatas ædes à fidelibus Euchariſtiæ, in quibus illa in manus dari ſolebat intra Eccleſiam. Sic Tertullianus ad uxorem c. 3. *Non ſciet maritus, quid ſecretò ante omnem cibum guſtes, & ſi ſciverit, panem illum non eſſe credit, qui dicitur*, nimirum Euchariſtiam divinam. Et Cyprianus de lapſis, *cùm* (inquit) *quædam arcam ſuam, in qua Domini ſanctum fuit, manibus indignis tentaſſet aperire, igne inde ſurgente deterrita eſt, ne auderet attingere.* Idemque lib. de ſpectaculis. *Qui feſtinans ad ſpectaculum dimiſſus eſt, & adhuc gerens ſecum ut aſſolet Euchariſtiam.*

Ejuſmodi quidem conſuetudinem occaſione perſecutionum invaluiſſe probabile eſt. Cum enim fidelibus liberum non eſſet ad Synaxes convenire, ſi quando furtim loco abdito collectam celebrabant, non modò ibi communicabant; ſed etiam ſinguli exceptas de ſacerdotum manibus ſacratiſſimas particulas domum reportabant. Quas poſtmodùm jejuni ſumebant inter privatas preces. Quæ conſuetudo etiam parta Eccleſiæ pace diù multis in locis perduravit. Cujus exemplum in fratre ſuo Satyro refert Ambroſius, quod require ſupra ad can. 22. & 23. Laodicæni Concilii Gregorius etiam Nazianzenus *orat. in funera Gorgoniæ ſororis* perhibet illam in conclavi ſuo ſacram Euchariſtiam aſſervare cum magna veneratione ſolitam, precibus aliquando ad eam fuſis, vehementi, quo illa conflictabatur morbo fuiſſe liberatam. Baſilius Magnus epiſt. ad Cæſariam Patriciam (quæ etiam allegatur ab Anaſtaſio Nicæno Epiſcopo in ſuo quæſtionum libro, qui eſt tomo 6. Biblioth. Patrum) ſic ſcribit: *Aliquem*

verò

verò manu propria communionem ſumere, ubi non eſt Sacerdos minimè grave eſſe ſupervacaneum eſt oſtendere, protereà quòd res ipſa longa conſuetudine probetur. Omnes enim qui ſunt in deſertis Monachi, ubi non eſt Sacerdos, illic habentes communionem, ex ſeipſis illam ſumunt: Alexandriæ autem, & in Ægypto unuſquiſque ex Laicis qui illic degunt, maxima ex parte communionem habent domi ſuæ. Hæc Baſilius. Simile refert Gregorius Magnus *lib.* 3. *Dial. c.* 36. de Maximiano ejuſque ſodalibus navigantibus, qui atroci tempeſtate jactati, clavo deperdito, malo effracto, velis laceratis, & in undas diſperſis, & nave fluctibus obruta, ſacram in tanto diſcrimine ſumpſerunt Euchariſtiam quam penes ſe habebant, cujus mirifica virtute præſenti diſcrimini erepti, ad portum denique incolumes omnes appulerunt. Quibus etiam teſtimoniis, & exemplis hoc arguitur fuiſſe plerumque in uſu apud primitivorum ſæculorum fideles Euchariſticam ſub unica ſpecie communionem.

Canon 17. *Is* (ait) *qui uxorem non habet, & pro uxore concubinam habet, à communione non repellatur: tantùm ut unius mulieris, aut concubinæ, aut uxoris, ut ei placuerit ſit conjunctione contentus.* Habetur, cap. is qui diſt. 34. Concubinam dicit (ut ibi admonet Gratianus) quæ ſine dotalibus inſtrumentis, aliiſque ſolemnitatibus aſciſcebatur in conjugium. Id planum eſt ex Auguſtini libro de bono conjugat. Cujus teſtimonium idem Gratianus adducit *cap. concubinæ, & c. ſolet.* 32. *quæſt.* 2. Eadem quoque Juſtinianus edicit *novella* 18. *cap.* 5.

Sy-

Synodus Epheſina Oecumenica.

EPheſi quæ eſt minoris Aſiæ Metropolis coactum fuit Oecumenicum Conc. occaſione Neſtorii Hæreſiarchæ, temporibus Cœleſtini Romæ Epiſcopi, & Imperatorum Theodoſii ſecundi, & Valentiniani III. Nectarius qui præſedit generali Conſtantinopolitano Conc. ſucceſſorem in ſede urbis Regiæ Epiſcopali habuit Joannem Chryſoſtomum, hunc excepit Arſacius, Arſacium Atticus, Atticum Siſinnius, Siſinnium Neſtorius Germanicia, quæ Antiochenæ ſubeſt Eccleſiæ, oriundus. Hic novo, & pernicioſo dogmate Mariam Virginem negavit eſſe θεοτόκον, hoc eſt Deiparam, ſolumque illi Chriſtiparæ nomen aſſerebat. Geminas quippe Chriſto perſonas affingens divinam, humanamque, conſequenter docebat Mariam Virginem genuiſſe perſonam humanam, prorsùs à divina diſcretam. Cùmque virus ſuum latè propagare Neſtorius tùm voce, tùm ſcripto niteretur, graves per omnem Eccleſiam turbas excitavit.

Huic ſe conſtanter Cyrillus oppoſuit Alexandrinus Patriarcha. Hic Neſtorium ſcriptis primum amantiſſimis litteris de ſententia pravè concepta dimovere conatus eſt; præcipuum fidelium omnium, maximè verò Epiſcoporum officium eſſe ducens, fidei periclitanti ſuppetias ferre. Quod ibidem bis verbis æternæ memoriæ commendandis proteſtatur, πῶς οὖν ἐξῆν σιωπῆσαι πίστεως ἀδικουμένης, καὶ τοσούτων διεστραμμένων, ἢ οὐ παραστησόμεθα τῷ βήματι τοῦ Χριστοῦ, οὐκ ἀπολογησόμεθα δὲ τῆς ἀκαίρου σιωπῆς ἕνεκα, καίτοι τεταγμένοι παρ' αὐτοῦ πρὸς τὸ λέγειν ἃ δεῖ.

Cùm igitur fides tam inſigniter læderetur, totque paſſim perverterentur, qui tandem tacere hìc licuit? an non ante tribunal Chriſti ſiſtemur? an intempeſtivi ſilentii rationem redditurì non ſumus, præſertim nos qui ea de cauſa hunc in locum provecti ſumus, ut quæ opor-

oportet prædicemus? Quin etiam Joannes ipſe Antiochenus Patriarcha, qui poſtea contra fas omne partes Neſtorii adversùs Cyrillum acerrimè defendit, hortatorias litteras (quæ in prima Synodi Epheſinæ parte continentur) ad Neſtorium ſcripſit, ut à concepto errore reſiliret, atque fidem Eccleſiæ, pacemque laceſſere deſineret. Interea ſcribunt hac de re ad Cœleſtinum Romæ Epiſcopum ſeorſim Cyrillus, & Neſtorius nihil ſuum dogma diſſimulans, ſed propugnans. Quibus acceptis Cœleſtinus Romæ multorum Epiſcoporum Conc. coegit, in quo damnatus eſt Neſtorii error, cui decem indulgentur ab hujus decreti notificatione dies, intra quos niſi errorem publicè ejuraverit, dignitas illi Epiſcopalis abrogatur, & de fidelium communi ſocietate reſecatur. Reſtituuntur autem quotquot Neſtorius contradicentes ſibi à communione Eccleſiæ, vel à ſacris functionibus abſtraxerat. Horum executio Cyrillo committitur, cui Cœleſtinus Apoſtolicæ ſedis Legati officium, ſuaſque vices, & poteſtatem demandat.

Cyrillus itaque Alexandriæ Synodum ſibi ſubditorum Epiſcoporum habuit, in qua duodecim excuſſi ſunt adversùs Neſtorianam impietatem anathematiſmi, quæ etiam quatuor ad Neſtorium delegavit Epiſcopos cum Synodalibus litteris, qui eum commonerent, atque anathematiſmos palam approbare ſuaderent. At ille miſſos à ſe repulit, duodecim illa capita anathematizavit, majoreque in quoſcumque fideles crudelitate deſçviit. Tandem ad ſedandas iſtas, quibus Eccleſia conflictabatur, procellas, interpellatus Theodoſius Auguſtus Synodum Epheſi Oecumenicam indixit, ad quam commiſit ad compeſcendos tumultus Irenæum, & Candidianum Neſtorio conjunctiſſimos, in quem etiam Theodoſius erat animi propenſioris. Nam cum increbreſcente Neſtorii hæreſi, Cyrillus illam tribus libris ad Theodoſium, & reginas Eudociam, & Pulcheriam miſſis ſolidiſſimè confutaſſet,

taſſet, Neſtorio patrocinans Theodoſius Cyrillum acerbioribus litteris perſtrinxit.

Omnium ſæculorum experientiâ perſpectum eſt, quanta ſit vis aulicæ propenſionis ad res fidei, & Eccleſiæ convellendas. Cum enim cupiditas, ambitio, & æmulatio permultos etiam Epiſcopos tranſverſos agant, hinc fit, ut principum injuſtis deſideriis utplùrimum adblandiantur, dicente Apoſtolo: omnes quæ ſua ſunt quærunt, non quæ Jeſu Chriſti. Dum Epheſum conveniunt antiſtites, Joannes Antiochenus eique ſubjecti Orientis Epiſc. occaſiones captant evitandi condemnationem popularis ſui Neſtorii, & conciliandæ ſibi gratiæ principis & duorum ejus Legatorum Neſtorio prorsùs addictorum. Cùm itaque illi moram conſultò trahere viderentur, his abſentibus generale Concilium Epheſi apertum eſt ann. Chr. 431. ubi ter citatus Neſtorius, & ex pervicacia judicio ſiſtere ſe recuſans, adductis approbationibus, atque ſedulò examinatis ipſius libris, & litteris hæreticum præfractum, & obſtinatum declaravit, & abdicavit Epiſcopatu ſacra Synodus.

Quintò indè die Joannes cum ſuis advenit Epiſc. inter quos eruditionis, & eloquentiæ laude præcellebat Theodoritus Cyri in Palæſtina Epiſcopus. Iſti ſe non fuiſſe diutiùs expectatos acriter conqueſti, ſuiſque privatis affectibus etiam in evidentem totius Eccleſiæ Chriſti perniciem indulgentes privata ibidem conflata Synodo confeſtim acta legitimi Conc. reſcindunt, & ulciſcendi cæca perciti cupiditate Cyrillum Alexandriæ, & Memnonem Epheſi Epiſc. damnant quaſi Appollinaris hæreſi contactos, quæ animam intellectualem, & humanam removebat à Chriſto, ut ejus vicem occuparet divina Verbi perſona. Quod tamen dogma nunquam in mentem Patrum Epheſinorum venerat: nihil enim repugnat unicam eſſe in Chriſto, eamque divinam perſonam, cum integra completaque ex anima, & corpore humanitate. Sed occaſiones (ut ait Salomon Prov. 18.)

quæ-

quærit, qui vult ab amico diſcedere, omni tempore erit exprobrabilis. Illis igitur aucupandus erat tametſi falſiſſimus prætextus, ut poſſent adverſarios inſectari cum ſpecie nonnulla juſtitiæ.

Cum Antiochenæ factionis Epiſc. conſpirant unanimes comites Candidianus, & Irenæus, & litteras ex legitima Synodo perfectas doloſè intercipiunt, multis per proprias litteras calumniis Imperatorem, & aulæ proceres adverſùs Orthodoxos Patres intenſos reddunt. Mandato Theodoſii Cyrillus, & Memnon in carceres detruduntur. Nec minùs tamen legitima Synodus ſuo fungi pergit officio pluſquam 200. conſtans Epiſcopis, & harum tempeſtatum authorem Joannem fruſtrà delinire, ac pellicere conata, tertiò tandem citatum, & contumacem excommunicat, & deponit.

Contingit tandem ut eluſis comitum exploratoribus, Conc. legitimi litteræ juſtarum querelarum plenæ per virum fidelem, ſub ementito medici habitu arundine incluſæ deferrentur ad Theodoſium, ejuſque ſororem Pulcheriam eximiæ pietatis, & prudentiæ virginem, aliaſque ſpectatę virtutis perſonas, quibus ſatagentibus Theodoſius rei veritate comperta, benevolum ſe tandem ſacræ Synodo exhibet, acta per Candidianum, & Irenæum revocat, & admiſſis legitimæ Synodi decretis, Neſtorium in priſtinum Monaſterium Antiochenum in quo Monaſticen olim profeſſus fuerat, & poſtremo nę Monachos, alioſque falſa doctrina pervertere pergeret, Oaſim relegat, ubi vitam infelicem calamitoſo exitu concluſit, verminante ipſius per divinam ultionem blaſphema lingua. Libri ejuſdem undequaque conquiſiti flammis abſumpti ſunt. Denique Theodoſio interveniente cum magni Simeonis Stilitæ interventu, pax inter Cyrillum, Joannemque, cæteroſque Orientales conciliata fuit. Iſtique in integrum reſtituti, Conc. legitimo lubentes acquieverunt.

Hujus Synodi p. 4. Act. 7. requirentibus Rhegino Conſtan-

ſtantiæ Cypri Epiſc. totiuſque inſulæ Metropolita; cæteriſque Cypri Epiſc. aſſerentibus deductum jam indè ab Apoſtolis privilegium, ut non ab Antiocheno antiſtite, ſed ab ipſa provinciæ Cypri Synodo Epiſc. Inſulares ordinarentur, ſancta Synodus hoc eiſdem privilegium confirmavit. Egregiam Cyprii præſules nacti ſunt opportunitatem, quando Antiochenus, & alii Orientales Epiſc. non modò non contradicebant in hac cauſa, utpotè abſentes; ſed etiam ſchiſmate ſe à ſacra Synodo divulſerant, ut ſic mererentur propriis excidere juribus. Occaſione quidem veteris Antiocheni ſchiſmatis, quando plures in illa creati Epiſc. populum ſic diſtrahebant ut pars uni pars alteri adhæreret, quæ diviſio 48. duravit annos quibuſdam Euſojo, aliis Meletio, aliis Paulino, aliis poſtmodum Flaviano, aliis Euagrio, addictis hanc diviſionis diuturnæ occaſionem Cypri nacti, quaſi αὐτοκέφαλοι cœperunt res ſuas gerere inconſulto Antiocheno Patriarcha. Ubi verò ſchiſma deſiit, omneſque Antiocheni in unum Alexandrum Epiſcopum convenerunt, tunc Alexander jus priſtinum è Cypriis vendicare conatus eſt apud Innocentium Papam annis ante hanc Synodum 30. Innocentius judicavit Cyprios Antiocheno ſubjici, ut conſtat ejuſdem epiſt. 18. poſt Conc. etiam Epheſinum eadem iterùm contentio recruduit imperante Zenone. Narrant enim Cedrenus in Zenone, & Nicephorus *l.16. c.37.* Petrum Cnapheum, ſeu ut à Latinis vocatur Fullonem Epiſcopum Antiochiæ de Cypriis jura Patriarchalia repetere molientem cauſa cecidiſſe, cùm eodem ipſo tempore ex divina revelatione Barnabæ Apoſtoli corpus in Inſula effoſſum fuiſſet cum Euangelio Matthæi ejus pectori impoſito, quod Barnabas vivens manu ſua deſcripſerat. Qua re motus Zeno voluit deinceps Eccleſiam Conſtantiæ cenſeri Apoſtolicam, & à poteſtate Antiochenſis immunem. Videndus noſter Morinus *l. 1. exercit. Eccl. cap. 4.*

Ex

Ex multis liquet hujus Synodi locis habitam fuiſſe in Eccleſia Mariæ dedicata, cujus patrocinium ſancta Synodus ſuſceperat. Eſt verò ſpeciali nota dignum quod ſcribunt Epheſini patres in Synodica ad Clerum, & populum Conſtantinopolitanum epiſtola, Deiparam Virginem cum Euangeliſta, & Apoſtolo Joanne Epheſum ex Judæa profectam, illic reliquam vitam uſque ad feliciſſimum obitum tranſegiſſe.

CONC. ARAUSICANUM I.

ARauſio Civitas Cavarum eſt in ſecunda Narbonenſi Provincia cujus Epiſcopalis Eccleſia ſuffraganea eſt Arelatenſi Metropoli. Hic convocatum Conc. fuit ann. Chr. 441. ſub Leone I. Pontifice, imperantibus Theodoſio II. & Valentiniano III. Præſedit Hilarius Arelatenſis, conſedit Eucherius Lugdunenſis, ambo ſubſcripti.

Canon 1. *Si quis quacumque neceſſitate in Baptiſmo chriſmatus non fuerit, hac de re, cùm ſe ad confirmationem ille præſentabit, admoneatur Epiſcopus, ut ipſum in primis ungat in vertice, quod erat faciendum in Baptiſmo, deinde in fronte pro Confirmationis Sacramento, ut habeatur neceſſaria Chriſmatio repetita.* Multa iſte Canon edocet: Primò eum qui baptizatur ungendum eſſe Chriſmate in vertice à quocumque Presbytero ex officio baptizante: Secundò, ſi defuerit ille in baptiſmate ritus, eſſe aliàs, maximè verò in confirmationis Sacramento ſupplendum: Tertiò, nec ſuppleri ſola confirmatione, cùm ſit bis in illa Chriſmandus quiſquis non fuerit in baptiſmo Chriſmatus: Quartò, hanc cæremonialem in baptiſmo Chriſmationem faciendam eſſe in vertice, at verò Confirmationis Chriſmationem in fronte: Quintò, eſſe neceſſariam utramque Chriſmationem.

Amalarius Fortunatus Epiſcopus Trevirenſis *lib.*

P 1. *de*

1. *de Eccleſ. offic. cap.* 27. poſtquam docuit ſtatim à baptiſmo ungendum eſſe Neophytum in vertice, ita ſubjungit: *Sicut in Geſtis Pontificalibus legitur Beatum Sylveſtrum inſtituiſſe, ut à Presbytero ungeretur Chriſmate Neophytus in cerebro.* Deinde addit, hanc fieri poſſe unctionem à Presbytero etiam Epiſcopo præſente, cùm tamen ſolus poſſit Epiſcopus dare baptizato Spiritum ſanctum per manus impoſitionem ungendo Chriſmate non in vertice, ſed in fronte. Super quo profert hiſtoriam Philippi Diaconi non valentis Spiritum ſanctum dare baptizatis à ſe Samaritanis, quia nec Apoſtolus, nec Pontifex erat, unde neceſſe fuit mitti ad hoc officium Petrum, & Joannem *Act. Apoſt.* 8.

Conſtat ex Conciliis Florent. & Trid. ſolum Epiſcopum eſſe ordinarium confirmationis miniſtrum. Docet verò S. Tho. 3. *q.* 72. *art.* 11. extraordinarium confirmationis miniſtrum poſſe ex delegatione Papæ, ſimplicem eſſe Sacerdotem. Ideoque probatur ex Gregorio magno *l.* 3. *ep.* 26. ad Januarium Epiſcopum Calaritanum 1. *Ubi Epiſcopi* (inquit) *deſunt, ut Presbyteri etiam in frontibus baptizatos Chriſmate tangere debeant, concedimus.* His enim verbis citatur à Thoma, & pariter à Gratiano *c. pervenit diſt.* 95. quamvis alii aliter legant. Teſtatúr quoque vetuſtiſſimus, ſed falsò attributus Ambroſio Commentarius in Paulum ad Epheſ. 4. *In Ægypto Presbyteri conſignant, ubi non eſt Epiſcopus.* Canon quidem 20. Toletani Concilii primi demandat Presbytero Chriſmationem abſente Epiſcopo, ſed exponitur à nonnullis de cæremoniali Chriſmatione baptiſmi: tametſi doceat Amalarius Fortunatus hanc fieri à ſimplici ſacerdote in cerebro Chriſmationem etiam Epiſcopo præſente.

Notanda ergo hæc Amalarii verba ſub finem dicti cap. 27 *ut ab Epiſcopis ſolis inungatur per manus impoſitionem, ab Apoſtolis acceptum eſt.* His enim perſpicuè declarat ipſam Epiſc. actionem, qua frontem manum inungit

eſſe

eſſe ipſammet manus impoſitionem, qui juxta Act. c. 8. dabatur ab Apoſtolis Spiritus ſanctus, & quidem v. 18. manus in ſingulari exprimitur; quia unctio hæc ſacra fit unica manu. Licèt autem alibi dicatur circa confirmationem manuum impoſitio; id nihil obſtat, quia de pluribus Apoſtolis loquitur, & ſic de pluribus manibus quamvis ſinguli ſeorſim unicam manum adhiberent. Addit Amalarius per manus impoſitionem efformari crucem ſuper fideles eodem loco, ubi Pontifex Aaronicus in aurea lamina inſculptum Dei nomen ineffabile portabat. Igitur uno eodemque contactu in confirmatione imponitur manus, frons Chriſmate linitur, & ſignum crucis efformatur. Itaque inaniter recurrunt ſcriptores aliqui ad ſpecialem Chriſti diſpenſationem, ut Apoſtolis liceret pro Chriſmatione uti manuum impoſitione.

Can. 3. præſcribit, ut qui pœnitentiam acceperunt; ſi ea nondum peracta è vita excedunt, communicent Sacramento viatici, ſine manus impoſitione: ſed ſi ſupervixerint, in ſtatum pœnitentium redeant, donec com-
pleto pœnitentiæ decurſu manuum impoſitionem, ſeu
econciliationem accipiant. Hæc eadem jam edixerat
ynodus Nicæna can. 13. Hæc ergo Concilia Nicænum,
Arauſicanum, ſimulque Ancyranum can. 6. & Aga-
enſe can. 11. & Innocentius I. epiſt. ad Exuperium de-
nitum, ubi eſt periculum mortis miniſtranda eſſe pæni-
ntibus Euchariſtiam; nondum completo pœnitentiæ
æſcripto à canonibus tempore. Obſervandum hìc non
e credibile admiſſos fuiſſe pœnitentes ægrotos ad
rum viaticum abſque ſacramentali abſolutione pri-
a: manuum itaque impoſitione, quæ differebantur
t ſacrum viaticum; & expletum pœnitentiæ canoni-
n tempus, intellige ſolam publicam, & ſolemnem;
publicam pœnitentiam quaſi fibula claudebat; &
itentem in communem fidelium ſtatum; & ordi-
i reſtituebat.

P 2 Can.

Can. 4. *Pœnitentiam deſiderantibus etiam Clericis non eſſe denegandam*. Conſulito quæ circa vel interdictam, vel permiſſam Clericis pœnitentiam diſſerui ad Conc. Carthaginenſis 4. can. 68.

Canon. 5. ſancit Eccleſiarum immunitatem, ut qui ad eas confugerint, extrahi nequeant. Habetur *c. eos qui ad Eccleſiam diſt*. 87. Idemque ſancitur in Conc. Aurelianenſi primo can. 1. & in Aurelianenſi quarto can. 21. Quæ cùm ſint Gallicana Concilia, non ſervantur tamen in toto Gallicano Regno circa confugientes reos delictorum. Enim verò, ne iſta immunitas fieret impunitas criminum, cautum eſt Edictis Franciſci I. ann. 1539. art. 166. & Henrici III. an. 1585. ut rei, contra quos Judex capturam decreverit, ex locis etiam ſacris abducantur. Apud Gentiles quoque aſyla erant in ſacris locis conſtituta, ne ad ea confugientes inde divelli poſſent, referuntur acta Sylveſtri, Conſtantinum contuliſſe his qui ad Eccleſias confugiſſent, immunitatem. Quam conſtitutionem ſuadente Eutropio Eunucho potentiſſimo ſimul, & flagitioſiſſimo Arcadius contraria lege abrogavit, quæ tertia eſt in Codice Theodoſiano ſub *tit. de his qui ad Eccleſ. confu.* divina tamen ultione Eutropius ipſe ob innumera ſcelera depoſcitur ad ſupplicium: ipſe tunc ad Eccleſiam fugit, cujus violaverat paulò antè immunitatem. Chryſoſtomus ſuggeſtu conſcenſo illam in Eutropium, quæ adhuc ſupereſt, illuſtrem orationem habuit, nec eum priùs ſivit à frementibus militibus, & magiſtratibus adduci, niſi præſtito à Magiſtratibus de vitæ ipſius ſecuritate jurejurando. Ipſe verò dignitate omni, & opibus expoliatus in Cyprum relegatus fuit. Hanc reorum ad Eccleſias confugentium immunitatem renovavit Imperator Leo *leg. præſenti lege c. de his qui ad Eccl. confu.*

Can. 8. vetat ordinari Clericum alienum abſolutè, aut proprium in aliena Diœceſi, niſi accedat Epiſcopi conſenſus ad quem pertinet, vel Clericus, vel Eccleſia.

Ejuſ-

Ejuſmodi ſanctiones frequentes in Conciliis occurrunt: in Sardicenſi can. 15. in Carthaginenſi 3. can. 20. & 21. In Trid. *ſeſſ. 6 c. 5. & ſeſſ. 23. c. 8. & 9.* & in decreto Gratiani *c. placuit & c. Epiſcopus* 7. 8. 1.

Can. 12. *Subitò obmuteſcens prout ſtatutum eſt baptizari, aut pœnitentiam accipere poteſt, ſi voluntatis præteritæ teſtimonium aliorum Verbis habet Sacerdos, aut præſentis in ſuo nutu.* Huic ſimilem ſuperiùs exquire can. 76. Concilii Carthag. 4. quem canonem innuere videntur prædicta verba, *Prout ſtatutum eſt.*

Can. 14. permittit energumenis, ut omnimodè communicent, ſi ſe ſollicitudini clericorum tradant, monitiſque obtemperent, virtute ſacramenti muniendi contra dœmonum aggreſſiones. Priore quidem ſæculo energumeni ſimul cum cathecumenis, & pœnitentibus à ſacra cummunione, diviniſque myſteriis poſt Euangelii prædicationem, jubente Diacono foras emiſſi arcebantur, ut docet in *Hierarchia Eccleſ.* Dionyſius.

CONCILIUM VASENSE, ſeu Vaſionenſe.

VAſione Vocontiorum oppido in ſecunda Narbonenſi Provincia id Conc. celebratum eſt ſub Leone Papa I. Imperante Romæ Valentiniano III. Chr. anno 442. haud rectè dictum à Baronio Vaſatenſe. Vaſio ſuam hodie quoque veterem retinet denominationem Meminit hujus Plinius, Mela, Ptolomæus.

Can. 4. *Eos excommunicat, qui defunctorum oblationes retinent, aut Eccleſiæ reddere morantur; Quia* (inquit) *fideles de corpore decedentes votorum ſuorum plenitudine, & pauperes præſidio eleemoſynæ, & neceſſaria ſuſtentatione fraudantur.* Vocatque hujuſmodi retentores ſacrilegos, Cita-

tur nominatim Vaſenſis hic canon in Concilii ſecundi Arelatenſis can. 47. juxta Sirmundi editionem ibidemque confirmatur. *Citatur pariter in decreto cap. qui oblationes* 1392. Idemque ſtatuitur in Conc. Matiſconenſi primo can. 4.

CONC. ARELATENSE II.

NEſcitur quo tempore ſit habitum, niſi quod pro certo eſt, ſubſequutum fuiſſe Arauſicanam primam, atque Vaſionenſem Synodum, ambarum quippè meminit. Itaque præpoſterè collocat Binius ſub Pontificatu Siricii, qui tamen longè tria iſta Concilia præceſſit.

Hujus Arelatenſis can. 2. & 3. circa ſacri Clerici cælibatum ſuperiùs allegavi, ſatiſque hac de re diſſerui in obſervationibus ad Nicænum can. 3.

CONC. NANNETENSE.

HUjus quoque Gallicani Concilii tempus ignoratur. Nota dignus eſt ipſius can. 1. qui & ab Ivone citatur decreti par. 2. c. 122. *Vt Dominicis, & feſtis diebus Presbyteri antequam miſſas celebrent, plebem interrogent ſi alterius Parochianus in Eccleſia ſit, qui proprio contempto Presbytero ibi miſſam velit audire. Quem ſi invenerint, ſtatim ex Eccleſia abiiciant, & ad ſuam Parochiam redire compellant. Similiter interrogent ſi aliqui diſcordantes ſint, qui inter ſe litem implacabilem habeant, & ſi inventi fuerint, ſtatim reconcilientur. Quod ſi renuerint pacem ſuſcipere ab Eccleſia rejiciantur, uſquequo ad charitatem redeant. Non enim poſſumus munus, vel oblationem ad altare offerre,*

donec

donec priùs fratri reconciliemur (Matt. 5.) His ita peractis Sacerdotes miſſarum ſolemnia ritè peragant. Huic conſentit can. 31. Arelatenſis Conc. ſecundi, *Hi qui publicis inter ſe odiis exardeſcunt, ab Eccleſiaſticis conventibus ſunt removendi, donec ad pacem recurrant.*

Prior vero hujus Nannetenſis canonis pars de audiendo in propria Parochia ſacro, iteratur ſequenti can. 2. *Ut nullus Presbyter alterius Parochianum niſi in itinere fuerit, vel placitum ibi habuerit, ad miſſam recipiat.* Eodem ſpectat Conc. Trid. *ſeſſ. 24. cap. 4. de reformat.* multæque conſtitutiones à s. Carolo in multis Synodis Mediolanenſibus editæ. His tamen derogat conſtans, totoque proponendum orbe Chriſtiano recepta contraria conſuetudo.

Synodus Chalcedonenſis Oecumenica.

Exacto hæreſiarcha Neſtorio Maximianus Conſtantinopolis Eccleſiam rexit, hunc deinde Proclus excepit, Proclum Flavianus, qui cum Synodum Epiſcoporum 30. regnante juniore Theodoſio Conſtantinopoli celebraret, Euſebius Dorylæi Epiſcopus oblato libello expoſuit Synodo, Eutycheten Presbyterum, & Monaſterii quod celeberrimum erat in urbe regia Archimandritam, prætextu declinandi erroris Neſtoriani, ambas Chriſti naturas ita confundere, ut in unam mutua commiſtione coaluiſſe diceret. Ter miſſis à Conc. Legatis citatus Eutyches fictitiis excuſationibus tergiverſatus eſt: Et demum tertia citatione ſeptem dierum petivit inducias, quibus ſuam quam fingebat affectam valetudinem confirmaret. Interea Chryſaphio Eunucho, qui gratia Imperatoris præ cunctis aliis prævalebat, quique amicitia erat Eutycheti conjunctiſſimus (fuerat quippe ab Eutychete de ſacro fonte levatus, idemque Flaviano dudum erat per pri-

vatas ſimultates infenſus) ſuam cauſam impensè commendat hæreſiarcha. Hujus avidè ſuſcepto patrocinio Eunuchus Theodoſio ſuadet, ut Florentium Patricium cum poteſtate jubeat Synodo intereſſe. Theodoſii mandatum detulit ad Synodum magnus Silentiarius, cum quo Monachis ſuis comitatus, prætorianorumque militum ſatellitio ſtipatus advenit Eutyches, arrogantia tumens, & pervicax. In his rerum anguſtiis Florentium gratulabundi Patres excipiunt, multumque Theodoſio debere præ ſe ferunt, quod clariſſimi viri, cujus fides religioque perſpecta ſit præſidio Synodum præmuniiſſet. Eutyches mandato Synodi ſuum exponit ſenſum: admonetur a Patribus ne contra receptam in Eccleſia fidem quidquam innovaret, utque abjurato errore ad Eccleſiæ rediret unitatem. At ille in contumacia perſiſtens, tandem Sacerdotio, & Monaſterii præfectura dimovetur, ſubſcribentibus 30. Epiſc. & 23. Abbatibus.

Sic ille condemnatus immanibus adversùs Synodum intemperiis furit, quam libellis per compita, & fora civitatis affixis proſcindit, novaſque pro ſe factiones ubique conflat. Quin etiam ad Leonem Romæ veteris Epiſcopum ſcripto conqueſtus eſt, Neſtorianam hæreſin per Flavianum Conſtantinopoli revixiſſe, & in dies augeri: ſeque fidem Epheſinam, qua par eſt conſtantia prædicantem fuiſſe Neſtorianorum factione oppreſſum, & ordine motum, neque ullatenus auditum, dum Apoſtolicam ſedem appellat. Huic Leo plenas benevolentia litteras reſcripſit; ſed acceptis deinde Flaviani litteris cum omnibus Synodalibus actis, damnationem Eutychis approbavit. Hoc excluſus effugio Eutyches, per ſummum nefas à Synodi, & ſummi Pontificis judicio, ad Theodoſii tribunal provocavit. Annuit Imperator à Chryſaphio perſuaſus, novamque Synodum indixit: concurſant, & tumultuantur Eutychiani Monachi, multique ex aula, & de plebe partibus hæreſiarchæ addicti. Verùm iſta

quo-

quoque Synodus audito illo, & exploratis prioris Synodi actis, hanc ſuo judicio confirmavit, & ita Flaviani ſinceritas, & Eutychis perverſitas luculentius innotuit.

Eutyches ad ſuæ cauſæ penè comploratæ ſubſidium diſcordiam inter Epiſcopos ſerere aggreditur Dioſcorum itaque olim magni Cyrilli Alexandrini Diaconum; & nunc in Alexandrino Patriarchatu indigniſſimum ſucceſſorem, projectiſſimæ nequitiæ hominem plurimis adulteriis, ſacrilegiis, rapinis, & homicidiis inquinatum, Chryſaphii clientem, & Flaviano propter ſedium æmulationem, morumque contrarietatem infenſum, in ſuas facilè partes allicit ſpecie tuendæ contra Neſtorianos fidei, quam præceſſor ejus in Epheſina Synodo ſtrenuè propugnaverat. Agit per litteras cum Theodoſio Dioſcorus, tantas controverſiarum difficultates non fuiſſe privatis aliquot Epiſcoporum hoſtiliter adversùs Eutychen affectorum conventibus dijudicandas, ſed eſſe per Oecumenicam Synodum dirimendas. Huic obſtitit ſuggeſtioni Flavianus, & Leo Pontifex reclamavit. Sed urgentibus Cryſaphio, & Dioſcoro, Theodoſius Synodum novam, & Oecumenicam indixit Epheſi celebrandam poſt annos à prima Epheſina novemdecim, ad quam Leo ſuos direxit Legatos duabus inſtructos Epiſtolis, una ad Synodum, altera ad Flavianum, quibus Catholicam fidem adversùs Eutychis præſtigias egregiè elucidat.

Ad eam itaque Synodum convenerunt Dioſcorus Alexandrinus, Domnus Antiochenus, Joannis illius qui priori Epheſinæ Synodo perfractè obſiſterat ſucceſſor, Juvenalis Jeroſolymitanus, & Flavianus Conſtantinopolitanus. Ad Synodum Theodoſius Barſumam Archimandritam miſit, qui nomine totius ordinis Monachorum, & Imperatoria fretus authoritate, antiſtites inſectaretur, qui Eutychen damnaverant. Miſit prætereà comitem Elpidium iſtius Synodi defenſorem ſeu conſervatorem, cui dedit in mandatis, ut

ut Epiſcopis à quibus fuerat damnatus Eutyches, omnem judicandi poteſtatem adimeret.

Tam infauſtis, & iniquis auſpiciis coacta Epheſi Synodo; jubet Elpidius ante omnia de actis Conſtantinopolitanæ ſub Flaviano Synodi quæſtionem haberi. Obſiſtunt Legati Apoſt. & primum omnium litteras Leonis poſtulant recitari. Obſtrepit cum ſuis Eutyches: Legatos in invidiam trahit, & ſuſpicionem. Ut Flaviano addictos, & apud eum pranſos. Concitatur adversùs eos tumultus, denegatur eis in ſedendo primatus quem ſibi Dioſcorus vindicat. Abſcedunt Synodo Legati, ſed paulò poſt revocantur. Interea valida 300. Monachorum manus in Synodum irrumpit, multos ſecum trahens armatos milites, cùm quibus occultè Dioſcorus conſpirabat. Horrendis vociferationibus complentur omnia, raptantur, & verberibus afficiuntur ſacri Epiſcopi, notariis digiti effringuntur, tabulæ Synodi diſcerpuntur. Flaviano niſi interrogato ſilentium indicitur, & Antiſtites ejus aſſeclæ in vincula conjiciuntur.

Tum demum ſoli aſſeclæ Dioſcori omne ſibi judicium cauſæ hujus uſurpant. Domnum Antiochenum ſuo dejiciunt Epiſcopatu, ſimulque Theodoritum Cyri, & Ibam Edeſſæ, utrumque abſentem, & indicta cauſa. Qui verò interſunt Epiſcopi partim ſpontanei Eutychiani, partim metu adacti, puris; & albis membranis ſubſcribunt, in quibus quid eſſet ſcribendum magna pars ignorabat. Legati Apoſtolici clam inter gladios, & haſtas elabuntur ex illo Conc. malignantium, poſtquam fruſtra reclamarunt, proteſtatique ſunt. Denique in iſta Latronum Synodo (ſic enim & juremerito Græci λῃστρικὴν σύνοδον, iſtam vocant) prolatum Eutychetis Symbolum approbatur, ut Epheſinæ, atque Nicænæ fidei conforme, & priſtinum in ſtatum reſtituitur hæreſiarcha. Flavianus verò, & Eutychis accuſator, Euſebius Dorylæi Epiſcopus declarantur hæretici Neſtoriani, ſuiſque ſedibus deponuntur, & carceribus includuntur.

Fla-

Flavianum appellantem ad Apoſtolicum tribunal Dioſcorus ex Epiſcopo carnifex tam atrocibus verberibus excepit, ut mox in exilium deportatus, toto corpore fractus, contuſus, & vulneratus, poſt triduum vita exceſſerit. *Sine mora* in ejus locum ſubrogatur Anatolius Diaconus, & Dioſcori apocriſarius. Tum demùm quaſi victor exultans Dioſcorus Alexandriam revertit, ubi tam immania flagitia novis aliis accumulans, damnatur à Leone ipſe viciſſim contra Leonem anathema explodit nova, & hactenus, inaudita audacia.

Tantarum calamitatum accepto nuncio, dici non poteſt quanto animi dolore Leo Flaviani necem, Epiſcoporum Catholicorum depoſitiones, vincula, exilia, divulſas Eccleſias, proſtratam, & peſſundatam religionem, exultantem hæreſin, univerſoque Oriente triumphantem, & inſoleſcentem deploraverit. Coacta quamprimum Romæ Synodo, Epheſinum iſtud conciliabulum, ſeu potiùs latrocinium reſcidit, & damnavit Dioſcorum ut dixi, & hujus incendii facem Eutychetem anathemate perculit, crebaſque ad Theodoſium ejuſque ſororem Pulcheriam litteras conſcripſit. Sed etiam cum pleriſque Italiæ Epiſcopis obviam prodiit Valentiniano Auguſto, qui cum Reginis Galla Placidia matre ſua, & uxore Eudoxio Romam Religionis ergo ad inviſenda ſacra Apoſtolorum limina veniebat. Cùmque illis tot Religionis clades cum luctu, crebriſque ſingultibus expoſuiſſet lacrymas Reginis excuſſit, ſuiſque precibus obtinuit, ut Valentinianus & Reginæ Theodoſio ſcriptis litteris ſuaderent, ut ſtatum Eccleſiæ præſentem miſeratus, curare novo legitimoque ac libero Conc. quæ per vim, & factiones Epheſi geſta erant, examini ſubdi.

Studebat Leo ut in Italia ubi liberius poterat Eccleſia reſpirare nova Synodus indiceretur, quæ labem, ac infamiam Epheſinam deleret. Sed Theodoſii mens hæreticorum artibus irretita flecti Valentiniani, & Augu-

ſta-

ſtarum precibus nullatenus potuit. Quinimò promulgatis edictis iſtum Epheſinum conventum Nicænæ Synodo juſſit æquari. Sed haud multò poſt ipſe morte ſua meliori regimini locum ceſſit.

Leo quod à Theodoſio impetrare non valuerat, obtinuit ab ejus ſucceſſore Marciano Principe religioſiſſimo, cui approbante Senatu, & Orientis Imperium, & ſe ipſam nuptui dedit Pulcheria, ea tamen lege, ut ſibi virgini eſſe liceret. Leonis igitur acceptis litteris, Marcianus ſuffragante Pulcheria Synodum generalem Chalcedone indixit, quæ civitas ſeptem tantummodo, ſtadiis diſtat ad urbe Regia, interjecto inter utramque Boſphoro. Hoc ſcilicet fine, ut illi commodè poſſet intereſſe, ſuamque authoritatem impertiri, ut factioſi, qui tot hactenus turbas concitaverant, in officio continerentur.

Primùm quidem ad Leonis petitionem explorata fuit Anatolii fides, & admiſſa ejus publica fidei profeſſio, damnans Eutychetis, & Dioſcori perfidiam. Marcianus quotquot Synodus latrocinans adhuc ſuperſtites expulerat, revocavit, ut ad legitimam Synodum convenirent, Flaviani corpus ex loco ubi exul, & Martyr occubuerat ſolemni pompa Conſtantinopolin retulit.

Hiſce feliciſſimis auſpiciis apertum eſt quartum Oecumenicum Concilium Chalcedone, quæ civitas eſt Provinciæ Bithyniæ Boſphoro è regione Conſtantinopolis adjacens, intra Templum ſanctæ Virginis, & Martyris Euphemiæ an. Chr. 451. præſidentibus Leonis Legatis Paſchaſino Libybetano, Lucentio Aſculano, Juliano Coenſi Epiſc. & Bonifacio Presbytero. Secundus ab Apoſtolicis Legatis ſedit Anatholius Conſtantinopolis Epiſcopus. Tertius Dioſcorus Alexandriæ. Quartus Maximus Antiochiæ. Quintus Juvenalis Jeroſolymæ, aliique deinceps tùm dexteram, tùm ad lævam. Principes verò à Marciano miſſi cum ampliſſimo Sena-

na-

natu in medio conſederunt ante cancellos ſanctiſſimi altaris, ut exprimitur Act. 1. & alibi paſſim, ἐν τῷ μέσῳ πρὸ τῶν καγκέλλων τοῦ ἁγιωτάτου θυσιαστηρίου.

Principio Legati Leonis obteſtati ſunt, fas non eſſe Dioſcorum, qui reus ſit à Synodo judicatus, inter Epiſcopos ſedere judicem. Euſebius Dorylæi libellum profert adversùs Dioſcorum refertum flagitiis conciliabuli Epheſini. Leguntur ſubindè acta Synodorum Conſtantinopolis ſub Flaviano, & Epheſi ſub Dioſcoro. Fremunt Patres in Dioſcorum tot ejus ſceleribus propalatis. Inſtat Dioſcorus omnia refundere in Patres Concilii Epheſini, nihil ſe illis invitis, aut inconſultis egiſſe. At illi replicant, vim ſibi illatam per introductos à Dioſcoro milites. Convictus ſcelerum Dioſcorus, de gradu, & ſeſſione in Synodo deiicitur.

Obſervandum in prima iſta actione, primam ejiciendi Dioſcori allegatam fuiſſe cauſam, quia Synodum auſus eſt convocare ſine Apoſtolicæ authoritate ſedis, ὅτε οὐδέποτε γέγονεν οὐδὲ ἐξὸν γενέσθαι, *quod numquam hactenùs factum eſt, nec fieri licet*, S. Marcellus Papa, & Martyr epiſt. ad Epiſcopos Antioch. provinc. ſcribit Canonem Apoſtolorum eſſe, ut non poſſint Concilia celebrari præter ſententiam Romani Pontificis. Idem teſtatur Papa Julianus *epiſtol. ad Orientales Epiſcopos* apud Athanaſium *Apol.* 2. & Socratem *lib.* 2. *cap.* 13. & Sozomenum *lib.* 3. *cap.* 9. & Nicephorum *lib.* 9. *cap.* 5. additque hunc Apoſtolorum Canonem fuiſſe à Synodo Nicæna renovatum. Quod idem teſtificatur Synodus Alexandrina epiſt. ad Fœlicem. Damaſus quoque Papa epiſt. ad Stephanum, & Concil. Africæ: *nam ut noſtis* (inquit) *Synodum ſine Romanæ ſedis authoritate fieri, non eſt Catholicum, nec Epiſcopus niſi in legitima Synodo, & ſuo tempore Apoſtolica vocatione congregata definitivè damna-*

nari poteſt : neque ulla unquam Concilia rata leguntur ; quæ non ſunt fulta Apoſtolica authoritate. Hæc Damaſus. Item Synodus 7. Oecumenica Act. 16. pſeudo-Synodum reprobant Conſtantinopoli habitam, eò quòd inconſulta ſede Apoſtolica celebrata fuerit. Denique in Romano Conc. ſub Papa Symmacho, cùm Theodoricus Rex convocatis Epiſc. Italiæ doceret, ſe ideò ipſos accivîſſe, ut cauſam Symmachi judicarent, reſponderunt univerſi non ad Regem, ſed ad Romanum Epiſc. convocationem Conc. pertinere, quamvis ipſe accuſaretur Papa; neque acquievere, niſi poſtquam Symmachus aſſeruit ſuo rogatu Epiſcopos fuiſſe à Rege convocatos, ſeque de novo Synodum iſtam approbare.

Act. 2. recitata ſunt Symbola Nicænum, & Conſtantinopolitanum, lectæque litteræ Cyrilli tùm ad Neſtorium, tùm ad Joannem Antiochenum, denique Leonis Papæ ad Flavianum. Et hac Leonis perlecta epiſt. Synodus acclamavit. Petrus per Leonem loquutus eſt; Apoſtoli hoc docuerunt. Dioſcorus qui ſe ſubduxerat citatur reus: At ſibi conſcius flagitiorum refugit ſe actionibus 2. & 3. ſiſtere. Poſt 3. compellationem venire recuſans accuſatur, & judicatur abſens. Prolatis etiam Alexandrinorum teſtimoniis circa devaſtatos ab ejus ſatellitibus, & Miniſtris agros, incenſas ædes, & ſegetes, abreptas ab eo multorum uxores, violataſque virgines, fœdata connubia, aliaque atrocia facinora. Has ob cauſas, ſimulque ob ſceleratiſſimè per eum geſta in Euthychis cauſa damnatus à ſacra Synodo Dioſcorus fuit, & dignitate ſpoliatus.

Epiſcopis verò Epheſinis veniam ſuppliciter orantibus, poſt editam ab eis convenientem fidei profeſſionem facilè indultum fuit. Ibas Edeſſæ, & Theodoritus Cyri Epiſcopus priſtinis ſedibus, & Eccleſiis quibus privarat eos Epheſina pſeudo Synodus, reintegrati ſunt. Fideſque unanimi omnium conſenſu ſtabilita fuit ad normam epiſtolæ Leonis. Declaratumque eſt Do-

mi-

minum noſtrum Jeſum Chriſtum ex duabus diſtinctis naturis divina, humanaque inconfuſis, & impermiſtis conſiſtere: & divinitate quidem Deo Patri, humanitate nobis eſſe conſubſtantialem, ac per omnia nobis ſimilem excepto peccato. Marcianus Auguſtus rebus jam à Synodo pacificè conſtitutis, ad ſacrum Conc. acceſſit. cujus actioni ſextæ interfuit, & cum eo Pulcheria Auguſta de omni Eccleſia optimè merita. Ille verò dignam Imperatore Chriſtianiſſimo, & ſapientiſſimo habuit orationem.

Denique peracta act. 15. ſoluta eſt ſacra Synodus, ex eaque receſſerunt Comites, & Senatus, Legatique Apoſtolici. Sed Anatolius furtim congregatis Orientalibus præter Ægypti Epiſcopos, & necdum creato Alexandrino in locum dejecti Dioſcori, ad quem Epiſcopum maximè omnium pertinuiſſet ambitioni Anatolii obſiſtere, canones tres adulterinos, & obreptitios edidit. Quorum primo conſtituebatur Epiſcopum Conſtantinopolis, eò quòd hæc civitas Imperii ſede, & Senatu decoretur, ſitque ſecunda Roma, inſiſtendo ſanctioni Synodi Oecumenicæ Conſtantinopolis ſub Theodoſio ſeniore, æqualibus privilegiis cum veteris Romæ Epiſcopo potiri debere, atque ſecundum ab eo dignitatis locum tenere. Deinde Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ, ut Patriarchali debere ſubjici Ponti, & Aſiæ, & Thraciæ Metropoles omnes. Sicque dirimebantur à veteri Dioceſi Antiocheni Patriarchæ Pontus, & Aſia Minor. Thracia verò adimebatur de jure Patriarchico Romani Epiſcopi. Tertius denique canon ſubdolè enunciat fuiſſe à Synodo conceſſum Epiſcopis Ægypti, ut differrent ſacræ Synodo ſubſcribere, donec Alexandriæ creatus Epiſcopus eſſet, eò quòd ita invaluiſſet apud eos conſuetudo, ne quid inconſulto Alexandrino antiſtite in cauſa omnibus communi agerent aut ſubſcriberent. Subſcripſerunt autem tribus hiſce Canonibus Anatolius, & Orientales qui cum ipſo conſpiraverant.

Ubi

Ubi fraus iſta Legatis Apoſtolicis innotuit, novam, ac decimamſextam iniri ſeſſionem obtinuerunt, in qua & reclamarunt adverſùs canones ſubreptitios, adverſantes Nicæni Concilii ſacris decretis, & contra normam legitimarum Synodorum furtim editos. Protulerunt inſuper Leonis Epiſcopi commonitorium, qui quod futurum erat præſagiens, ita illis inter alia capitula mandaverat: ſanctorum quoque Patrum conſtitutionem prolatam nulla patiamini temeritate violari, ſervantes omnimodis perſonæ noſtræ in vobis, quos vice noſtra tranſmiſimus dignitatem. At ſi quis forte civitatum ſuarum ſplendore confiſi, aliquid ſibi tentaverint uſurpare, hoc, qua dignum eſt conſtantia, retundatis. Hæc Leo. Sanè commemoratus ille ab Anatolio Concilii ſecundi Oecumenici Canon fuerat irritus, quia illum Legati Pontificii, & qui eos miſerat Damaſus, repudiarunt: adeò ut nec ipſi Orientales ullam ejus rationem habuerint, qui poſtmodùm ad damnationem Joannis Chryſoſtomi Conſtantinopolis Epiſcopi, Theophilum Alexandriæ Patriarcham accerſiverunt, ut quaſi ſuperior judicio Conſtantinopolitani Epiſcopi præſideret. Unde Paſchaſinus ex Legatis unus hæc ſubintulit: ſi uſi ſunt, quid requirunt? ſi non uſi quare requirunt? Cæterùm cùm Græci ab iniquo propoſito diſcedere recuſarent, iſtud unum obtinuere Legati, ut ſua proteſtatio in actis Synodi conſcriberetur. Deinde Leo, ſcriptis ad omnes Epiſcopos encyclicis litteris, ea ſola probavit Synodi decreta, quæ ad Catholicam fidem pertinebant, aut quibus ſui Legati ſubſcripſerant, cæteris rejectis.

Canon. Chalcedonenſis 3. Clericis interdicit alienas poſſeſſiones lucri cauſa conducere, aliena negotia gerere, aut ſæcularibus negotiis immiſceri, excepta viduarum aut pupillorum pia cauſa. Ita 2. *Timoth.* 2. *nemo militans Deo implicat ſe negotiis ſæcularibus*. Et conſonat Apoſtolorum Can. 7. Atque in decreto tota diſt. 88. Cujus Canon ultimus refert epiſt. Cypriani decla-

rantis excludi victorem a ſuffragiis fidelium, & altaris ſacrificio, eò quòd Presbyterum tutela oneraſſet: huc ſpectat decretalium titulus, *ne Cleric. vel monac. ſæcul. nego. ſe im.* vide Ambroſium *lib.* 1. *de offic. c.* 36. *Non te implices negotiis ſæcularibus, quoniam Deo militas*. Etenim ſi is qui imperatori militat à ſuſceptionibus litium, actu negotiorum forenſium, venditione mercium prohibetur humanis legibus: quantò magis, qui fidei exercet militiam? Hæc Ambroſius, Paria ſancit Conc. 1. Carthaginenſe can. 6. & Lateranenſis canon allegatus in *c. penult. de vita, & honeſtate Cler.*

Chalcedonenſis canon 4. Monacus damnat περιϊόντας ἀδιαφόρως ἐν ταῖς πόλεσιν, *concurſantes temerè per civitates*. Cui ſimilis eſt canon 42. Synodi Quini ſextæ, coerceri jubens ab Epiſcopis Eremitas ſubjectionis jugo ſolutos, & vagos. Quod idem providetur quoque *cap. quanto, de offic. jud. ord.* & Francica conſtitutione Caroli IX. in Comitiis Aurelianenſibus art. 11. Idem præterea Chalcedonenſis Canon quartus quibuſcumque Monachis prohibet Eccleſias, vel Oratoria conſtruere injuſſu Epiſcoporum, quibus etiam jubentur eſſe ſubditi, & morigeri ſub excommunicationis interminatione: mandat autem Epiſcopis, ut Monaſteriorum curam gerant. Similes juris antiqui diſpoſitiones continentur *in cap. nemo Eccleſiam de conſecrat. diſt.* 1. *cap. authoritate de privileg. in* 6. *& Juſtiniani authen. de Eccleſiaſt. titulis* §. *ſi quis autem*. *Et authent. de Monachis* § 1. Et ſpeciali *authen. ut nullus fabricet domos Oratorii præter voluntatem Epiſcopi* §. 1. Vide inferius etiam annotata ad Concilium Arelatenſe tertium. Concilium Agathenſe canon 58. cellulas novas, aut congregatiunculas Monacorum abſque notitia Epiſcopi prohibemus inſtitui. Dixitque Bernardus Abbas *epiſt.* 24. ad Henricum Senonenſem Epiſcopum, *Certus ſum ego Monachus, & Monachorum qualiſcumque Abbas, ſi mei quandoque Pontificis excutere à propriis*

Q cer-

cervicibus jugum tentavero, quod Satanæ mox tyrannidi me ipſum ſubjicio. Ibidemque ſuum aperit ſenſum circa Pontificalis in Abbatibus inſignia. *Abbates* (ait) *apertè indicant quid cogitent, dum multo tempore, ac pretio Apoſtolicis adeptis privilegiis per ipſa ſibi vindicant inſignia temporalia, utentes & ipſi more Pontificum mitra, annulo, atque ſandaliis. Sanè ſi attenditur rerum dignitas, hanc Monachi abhorret profeſſio: ſi miniſterium, ſolis liquet congruere Pontificibus. Profectò eſſe deſiderant, quod videri geſtiunt, meritoque non queunt Epiſcopis eſſe ſubjecti, quibus tam ſe comparant deſiderio. Quid ſi & nomen eis conferre poſſet privilegiorum authoritas, quanto putas auro redimerent, ut appellarentur Pontifices? Quo iſta ò Monachi? ubi timor mentis? ubi ruber frontis? qui unquam probatorum Monachorum tale aliquid, aut verbo docuit, aut reliquit exemplo*: Ita Bernardus. Hoc idem ſancivere Patres Trident. *ſeſſ.* 23. *de ref. cap.* 3. his verbis. *Nec de cætero ſimilia loca erigantur ſine Epiſcopi, in cujus diœceſi erigenda ſunt, licentia prius obtenta.*

Canon. 6. vetat, quemquam ordinari Clericum, niſi cum deputatione miniſterii ad certam Eccleſiam. Conſulito ſuperiùs Nicænum Canonem 15. cum ibi annotatis.

Canon 9. obſervatu digniſſimus eſt, qua parte decernit, ut qui adversùs Metropolitem habet querelam, liberum ei ſit judicio experiri, vel apud ἔξαρχον, (ita primatem Græci vocant) vel apud Patriarcham. Quod idem repetitur, & in Can. 17. Itaque ſupra Epiſcopos infimarum ſedium conſtituti quidem erant totius Provinciæ Metropolitani, ſupra Metropolitanos Exarchæ ſive primates, utporè pluribus præfecti Provinciis. Denique ſupra Exarchos, ac primates eminebant Patriarchæ, ſic tamen ut quæ inferioris gradus Epiſcopus in proprios ſubditos competebat poteſtas, & juriſdictio, nihil pateretur detrimenti ex Præſulum ſuperioris gradus authoritate, ſalvo tamen appellationum ju-

re.

re. Pari ratione Hormiſda Pontifex ſummus *epiſtol.* 11 Remigio Remenſium Epiſcopo vices ſuas per univerſum Clodovæi Regnum committens, & S. Gregorius Papa jus idem attribuens Virgilio Arelatenſium Epiſcopo, expreſsè proteſtantur, nihil velle detractum de priſtinis Metropolitanorum ſingulorum in ſuas Provincias juribus. Epheſinus quidem in Aſiana diœceſi; Cæſarienſis in Pontica, Theſſalonicenſis in Macedonia, & Illyrico, denique Perinthi (quam ut ſcribit Ammianus Marcellinus l. 27. poſteritas Heracleam dixit) Exarcha Thraciæ rexit Eccleſias; antequam hoc illi jus Byſantinus prærípuiſſet Epiſcopus. Tales itaque Exarchi erant in Oriente Epiſcopus Epheſinus, Cæſarienſis, Theſſalonicenſis, aliique quos commemorat Gelaſius Cyzicenus *l.* 2. *c.* 27.

Notandum quoque ad hunc canonem circa vocem Exarchi diœceſeos. Hoc nomen diœceſeos amplioris olim fuiſſe poteſtatis ſignificationem; eò quod ſub ſe plures Provincias complecteretur; quemadmodum & Archiepiſcopi nomen, quod iis ſolis competebat Præſulibus; qui integræ alicui diœceſi, hoc eſt pluribus Provinciis præeſſent, nimirum Patriarchis, & Exarchis; tametſi Metropolitano Epiſcopo nomen Archiepiſcopi attributum etiam legatur in Synodo Sardicenſi can. 6. Reſumito quæ ſuperiùs diximus ad Conſtantinopolitani Conc. can. 6. quo etiam decernitur, ut in Epiſcopi accuſatione poſſit à Provinciali Synodo recurri ad Diœceſis Synodum, utpotè majorem. Simile planè ſanxit Pelagius I. *epiſt.* 21. ut à Metropolitana Sede, vel à Provinciali Synodo recurrendi poteſtas ſit ad majorem ſedem, aut Synodum, ita tamen ut majores ſemper quæſtiones ad Apoſtolicam Sedem referantur.

Can. 10. prohibet, Clericum ordinari in duabus ſimul Eccleſiis, aut ab una in aliam tranſire; quod ſi fecerit per gloriæ inanis, aut avaritiæ cupiditatem, ſtatuit eſſe a ſecunda Eccleſia removendum, & ad priorem Eccle-

ſiam reducendum. Quod idem repetitur hujus Synodi Can. 2. quod ſpectat ad prohibitionem duarum ſimul Eccleſiarum, ſeu ut vocant beneficiorum, ac præbendarum eam innovat Synodus Nicæna 2. Can. 15. quem inferiùs exquire, in eo enim fuſius hanc pertracto quæſtionem.

Canon 11. cavet, ne litteras commendatitias pauperibus peregrinantibus Epiſcopi concedant, ſed ſolùm pacificas: reſerventque commendatitias ſolis honorabilibus perſonis, quarum virtus perſpecta explorataque ſit.

Can. 14. nuptias inhibet cum perſona infideli, & hæretica, niſi promittat converſionem ad Catholicam fidem. Sic etiam Synodus Laodicæna Can. 10. non oportet (inquit) eos, qui Eccleſiæ ſunt, filios indiſcriminatim cum hæreticis matrimonio conjungere. Eodemque can. 31. non oportet cum omni hæretico matrimonium contrahere, vel dare filios, aut filias, ſed magis accipere, ſi ſe Chriſtianos futuros polliceantur, Conc. pariter Agathenſe can. 67. *Quoniam* (ait) *non oportet cum omnibus hæreticis miſcere connubia*, *& vel filios*, *vel filias dare*, *ſed potius accipere*, *ſi tamen profiteantur Chriſtianos futuros ſe eſſe*, *& Catholicos*. Citatur in decreto. *c. non oportet cum omnibus* 28. *q.* 1. præterea *cap.* 28. *q.* 1. *cave gentilem*, *aut Judæam*, *atque alienigenam*, *hoc eſt hæreticam*, *& alienam à fide tua uxorem accerſas tibi*. Qui canon deſumptus eſt ex Ambroſio l. 1. de Abraham cap. 9.

Can. 15. prohibet Diaconiſſa ordinari χειροτονεῖσθαι ante annum quadrageſimum, eamdemque ſi poſt ſuſceptam manuum impoſitionem δεξαμένη τὴν χειροθεσίαν, ſe nuptiis tradat, anathematizat una cum eo, qui eidem copulatur. En diverſas ex antiquo manuum impoſitiones, ad Sacramentum Confirmationis, ad Sacramentum Ordinis, ad preces ſolemnes ſupra pœnitentes, ad abſolvendos, ac reconciliandos pœnitentes,

ad

ad conſecrandas virgines, aut Diaconiſſas, & denique ab Exorciſtis ſupra energumenos, juxta Conc. Carthaginenſe 4. can. 90.

Chalcedonenſis can. 16. ſtatuit, non licere virginibus Deo conſecratis, aut Monachis nuptias inire, & contravenientes excommunicat. Vide huc pertinentia 1. *Timoth.* 5.

Can. 19. edicit ſingulis annis Provinciales Synodos bis convocari. Vide ſuperiùs Nicænum can. 5. cum ibi annotatis.

Can. 20. prohibet Epiſcopis alterius Epiſcopi clericum ſuſcipere, aliòqui tàm Epiſcopus ſuſcipiens, quàm ſuſceptus clericus communione interdicuntur. Vide ſuperiùs Nicænum can. 15. idem ſtatuentem quæque ibi obſervavimus.

Can. 24. prohibet fieri deinceps ſecularia ſemel ab Epiſcopo conſecrata Monaſteria.

Can. 25. Epiſc. ſancit eſſe intra trimeſtre ab electione conſecrandos, citra caſum inevitabilis neceſſitatis. Quod idem conſtituit pariter Conc. Trid. *ſeſſ.* 23. *c.* 2. quòd inferiùs requirito. Vult autem can. iſte Chalcedonenſis proventus Eccleſiæ viduatæ, pœnes œconomum ejuſdem Eccleſiæ intactos, ac integros reſervari. Viduatam χηρεύουσαν dicit Eccleſiam, quæ licet electum confirmatumq; nondum tamen, habet conſecratum antiſtitem. Simili utitur locutione Pelagius Pontif. *diſt.* 100. *c. quoniam*, & Innoc. III. *c. inter corporalia de conſecr. Illa* (inquit) *dicitur Eccleſia viduata, quæ licet Epiſcopum habeat, inutilem tamen habet: non quaſi ſponſum non habeat, ſed quia ſponſus ejus nondum ſit conſecratus.* Synodus verò Quini-ſexta can. 35. relato apud Gratianum 12. *q.* 2. *cap. non liceat*, ſancit, integros Eccleſiæ viduatæ fructus eſſe ſucceſſori Epiſcopo ſtatim ab ipſius ordinatione, ſeù conſecratione perſolvendos. Quod idem præſcribit S. Gregorius Papa *l.* 2. *epiſtol.* 25. 26. & 27. & *lib.* 3. *epiſtol.* 11. In regno tamen Franciæ ex

Q 3 ve-

vetuſta conſuetudine, quæ Regaliorum jus dicitur, omnes reditus fructuſque Cathedralium Eccleſiarum, & Abbatiarum, ne quidem exceptis præbendis vacantibus, quarum conferendarum plenam poteſtatem haberet Epiſcopus, ad ipſius Regis dominium tranſeunt, donec Epiſcopi aut Abbates de novo proviſi Regi fidelitatem juramento obſtrinxerint. Reditus iſtos ſolet Rex ſacello Pariſienſi donare. De præbendis autem ex tempore vacantibus, pleno jure diſponere ſolet in favorem cujuſcumque ipſi libuerit. Regalis hujuſce juris antiquitas liquet ex iis diplomatis, quibus aliquot Eccleſiæ Gallicanæ ab hac ſervitute eximuntur, qualia refert permulta Renatus Chopinus *lib.* 1. *de ſacra politia* annorum 1137. 1206. 1208. aliaque.

Diatriba de veterum Eccleſiarum ſitu, partibus, & forma.

CHalcedonenſi Conc. act. 1. refertur magnificos, & glorioſiſſimos Judices, & Senatores Synodo interfuiſſe, atque in medio conſediſſe inter cancellos ſanctiſſimi altaris, ut ſuperius relatum eſt. Ad ſiniſtram verò conſediſſe Apoſtolicos Legatos, & poſtea Anatolium Conſtantinopolis Epiſcopum. A dextris autem Dioſcorum Alexandriæ, & Juvenalem Jeroſolymorum Epiſcopum. Hæc nobis occaſionem ſuppeditant pertractandi de priſca tàm Orientalium, quàm Occidentalium Eccleſiarum diſpoſitione. Illarum itaq; quatuor ut plurimum partes erant. Prima pars Græcis dicta πρόναον, erat veſtibulum arcubus, aut columnis ſuffultum, quod primùm ſubeuntibus occurrebat. Hic ſtatio erat primi Ordinis pœnitentium, qui προσκλαίοντες, hoc eſt flentes dicebantur, quique ingreſſu Eccleſiæ interdicti, hoc ipſo loco, & ſtatu verſabantur, qui Græ-

cè πρόσκλαυσις, id eſt fletus vocabatur: dicente Gregorio Neocæſarienſi Can. pœnit. 11. ἡ πρόσκλαυσις ἔξω τῆς πύλης τοῦ εὐκτηρίου. Fletus eſt extra portam Oratorii. Qui ritus ſervabatur etiam, dum vel in cœmeteriis, vel in privatis ædibus collectæ fidelium celebrabantur, deſæviente Gentilium perſecutione. Secunda pars Eccleſiæ dicebatur ναῦς navis, ſeu gremium. Hæc pars muro, vel tabulato in duas per longitudinem partes ſecabatur uſque ad locum, qui Græcis ἄμβων Latinis pulpitum appellabatur. Ad eam quæ ingreſſuris ſiniſtra erat partem fœminæ, ad dexteram viri conveniebant. De iſta ſexuum ſejunctione agit Clemens *l.* 2. *conſtit. Apoſt. cap.* 61.

Prima navis pars, quæ ingredientes primùm ſuſcipiebat νάρθηξ narthex denominabatur, ubi ſtatio aſſignata erat pœnitentibus ſecundi ordinis, qui ἀκροώμενοι audientes dicebantur: locuſque ipſe ἀκρόασις, auditio, eodem Neocæſarienſi teſtificante, ἡ ἀκρόασις ἔνδοθι πύλης ἐν τῷ νάρθηκι, auditio intra januam in Narthece. Iſta namque nomina fletus, & auditio, non ſolùm pęnitentium ordinibus, ſed etiam aſſignatis eis locis tribuuntur. Dein ulterius, ſed tamen intra Narthecis ſpacium ſiti erant cathecumeni, & energumeni. Qui omnes finita ad populum homilia, quæ poſt lectum in miſſa cathecumenorum Euangelium pronunciari ſolebat, completiſque quibuſdam ſolemnibus ſuper ipſos orationibus, quarum meminit Laodicænus Canon 19. foras unà cum pœnitentibus, audientibus, & proſtratis Diacono proclamante dimittebantur: non enim eis licitum erat ſacris intereſſe myſteriis.

Navem exinde penitùs ſubeuntibus occurrebant hinc inde tranſverſi parietes, unus ex virorum, alter ex fœminarum latere: quibus in parietibus portæ erant, quarum præfectura ex parte virorum incumbebat Clericis oſtiariis, ex parte fœminarum Diaconiſſis. Has ingreſſis portas illa pars navis occurrebat, ad

quam conveniebant pœnitentes illi, qui peculiariter ὑποπιπτόμενοι, id eſt proſtrati vocabantur, ideoque ὑπόπτωσιν, id eſt proſtrationem collocat Gregorius Neocæſarienſis, ἔσωθεν τῆς πύλης τοῦ ναοῦ, intra portam navis. Ulteriorem ſtationem occupabat alter pœnitentium ordo, qui συνεςῶτες conſiſtentes dicebantur. Hi ſoli ex pœnitentibus divinis myſteriis ad finem uſque aſſiſtebant, nec tamen Sacramentalis communionis participes erant. Iſtos omnes antecedebant communicantes fideles: inter quos provectiore, & intimo navis loco versùs Sanctuarium, ex parte virorum Monachi, ex parte fœminarum ſanctimoniales virgines, aut viduæ Deo dicatæ locabantur, ut fidem facit in Hierarchia Eccleſiaſtica Dionyſius. Per navem hinc inde producebantur porticus cum arcubus, aut columnis: quod genus porticuum vocant alias. Intra porticus inſerebantur cubicula ad ſecretiùs orandum deſtinata, ut Paulinus commemorat epiſtol. 12. ad Severum. Iſta cubicula erant ſacella, in quibus etiam altaria erigebantur.

Tertia Eccleſiæ pars ambon dicebatur, ſeu chorus muro circumſeptus, ad quem per gradus aliquot aſcendebatur. Situs erat ambon inter navim, quæ & gremium dicebatur ipſumque Sanctuarium. Suas ambon habebat hinc inde inferius alas, ex ambone Clerici ordinum inferiorum pſallebant, juxta Laodicæni Conc. can. 15. & Carthaginenſis 4. can. 10. & præſcriptum Romani Conc. anni 595. ſub S. Papa Gregorio. Ibi quoque decantabatur à Diacono ſolemniter in ſacra miſſa Euangelium: proclamabantur præterea Epiſcoporum edicta, juſſiones & cenſuræ: hìc recitabantur ex diptychis fidelium, tùm viventium, tùm defunctorum nomina: inſuper à lectoribus Clericis legebantur ad plebem ſacri libri, inde pariter Homiliæ ad populum habebantur. Superſunt Romæ integri duo vetuſtiſſimi ambones: unus in Eccleſia S. Clementis Papæ, & Martyris ad amphi-

phiteatrum, alter in Eccleſia ſanctorum martyrum Nerei, & Achillei: prior quidem ambon duo continet, pulpita ſingula in utroque latere cohærentia, cùm tamen Sanctorum Nerei, & Achillei ambon unicum habeat pulpitum, idque à ſe diſiunctum, & muro navis cohærens, ſed perinde antiquum.

Quatuor ut plurimum erant in ambonibus portæ, ex quibus geminæ navim ſpectantes vocabantur ὡραῖαι ſpecioſæ, aliæ geminæ aditum ex ambone ad Sanctuarium aperientes dicebantur ἅγιαι πύλαι, portæ ſanctæ. Iſtarum cura, & cuſtodia Subdiaconis incumbebat, quibus prohibent Laodicæni can. 21. & 22. ab his januis diſcedere, atque in Sanctuarium, aut diaconium vetant ſe ingerere.

In Eccleſiis Græcorum locus erat amboni, & Sanctuario intermedius, qui nunc σωλαῖον, nunc σωλεῦς legitur appellatus, aut σωλέα, eratque ipſo ambone, ſeu choro gradibus aliquot altior. Atque eo uſque procedebant ad Euchariſticam communionem illi qui Sanctuarii prohibebantur ingreſſu, ſcilicet quicumque fidelium non erant de ſacro clero, vel ipſi etiam ſacri Clerici, qui ob aliquam culpam redacti fuerant ad laicam communionem. Solea itaque interiacebat inter ambonem, & Sanctuarii cancellos, in quibus Cancellis apud Græcos erant ſacræ portæ. Mihi quidem adhuc incompertum eſt, utrùm tempore hujus Chalcedonenſis Conc. ſenatus, qui ante cancellos conſidebat, eſſet intùs, an extra cancellos, in Sanctuario, an in ſolea. Utrobique enim dici potuit, fuiſſe ante Sanctuarii cancellos. Ipſos vero Epiſcopos ſtatim magna ex parte, quantum locus capere poterat non dubitarim conſediſſe intra Sanctuarium.

Quarta demum Eccleſiæ pars diverſimodè vocabatur: apud Latinos quidem Sanctuarium, Secretarium, Tribunal, Sancta Sanctorum: apud Græcos autem ἱερατεῖον, ἱερὸν βῆμα, τὰ ἅγια τῶν ἁγίων, ἁγιαστήριον, θυσιαστήριον.

Erat

Erat verò pars Eccleſiæ ſacratiſſima, & penitiſſima. Hujus in medio ſitum erat ſub Tabernaculo altare primarium, in quo Sacerdos ſacrum faciens ſtabat facie ad populum converſa. Quo etiam ſitu pleraque Romæ adhuc viſuntur altaria præcipua, nimirum quinqe ſingularum baſilicarum præcipuarum, quæ Patriarchales nuncupantur Lateranenſis, Petri in Vaticano, Pauli ad viam Oſtienſem, S. Mariæ Majoris in Eſquiliis, & Laurentii in agro Verano; & præterea Cæciliæ trans Tiberim, & Sabinæ, & Alexii, & Pancratii, & Euſtachii, & Nerei, & Achillei.

Tabernaculum verò ſuperpoſitum altari primario erat fornix lapidea, aut ex metallo, quatuor ſuffulta columnis, qualis etiam nunc viſitur in altaribus jam denominatis, cui nomen præterea ciborii Græcè, Latinèque tribuebatur, ut paſſim legimus in libro Pontificali Anaſtaſii. Germanus ſimiliter Conſtantinopolis Epiſc. κιβώριον, iſtud deſcribit, & quatuor columnis, & ſuper impoſita teſtudine, ſeu laqueari conſtare ſcribit, ita ut quatuor columnis altare ambiretur, teſtudine verò ſupernè operiretur. Quin & huic voci Græcam etymologiam aſſignat ἀκιβ, ſeu κιβωτὸς, ideſt arca, & ὁρᾷν, quod eſt videre, quaſi ſit arca viſionis, ſeu manifeſtationis Domini Salvatoris. Latini verò à cibo deducunt. Ideſt vivifico Euchariſtiæ pane, quo nutrimur ad vitam æternam. Simili modo ſacri veſtitus laciniam vocant orarium Græci Latinique, iſti quidem ab oratione, illi ab ὡρᾷν, quod eſt obſervare, ut ait Balſamon Græcus ſcriptor, eò quòd hujus elevatione ad Clerum ſeu chorum Diaconus Sacrificio adminiſtrans ſignum det eorum, quæ à choro, vel agenda, vel pſallenda ſint, ideòque diligenter obſervetur à choro. Atque hanc apud Græcos ſignificandi per orarii elevationem ritum à Diacono ad Chorum ſe vertentem perſpeximus in ſolemnibus liturgiis, quæ Romæ à Græcis celebrantur in Baſilica S. Athanaſii.

San-

Sanctuarium undique per circuitum obſepiebant cancelli, quorum mentio eſt in hac Synodo Chalcedonenſi. Euſebius etiam *l.* 10. *hiſt. eccl. c.* 4. loquens de ſtructura baſilicæ Tyri à Paulino Tyriorum Epiſcopo dedicata. *Locus* (ait) *Sanctuarii in ſpeciem quadratam columnis ſublimibus eſt undique circumſeptus, quarum media intervalla incerſtitiis ligno inſtar retis, aut tranſennæ cancellatis in mediocrem, & æquabilem longitudinem porrectis circumcluſa.* Additque altare in Sanctuarii meditullio ſitum eſſe.

Idemque ſcribit in primo hujus templi ingreſſu fuiſſe fontes, quibus abluerent ſe ingreſſuri; additque templi portas ſpectaſſe ad orientem ſolem. Igitur Sacerdos ex altari facie ad populum verſa, ſpectabat orientem. Idemque autor *l.* 3. *vitæ Conſtantini cap.* 36. deſcribens fundatam à Conſtantino Eccleſiam in ipſo Dominicæ reſurrectionis loco, tres ejus portas dicit poſitas ad ortum fuiſſe: & ſubinde c. 37. (ait) *portis ex adverſo erat fornix orbis dimidiati, & cœli circuli ſpeciem adumbrans in ſummo Sanctuario in orbem ductus, quem duodecim columnæ Salvatoris Apoſtolorum numero pares tanquam corona cingebant.* Hæc Euſebius. Templi quoque Salomonis anterior facies proſpectabat orientem, ut multis locis tradit Joſephus, & ex eo Franciſcus Ribera in opere ſuo de templo Judaico.

In Sanctuario præter intermedium altare geminæ hinc inde menſæ collocatæ erant, quales etiam nunc marmoreæ conſpiciuntur in Sanctuario commemoratæ Martyrum Nerei, & Achillei Eccleſiæ. In ea quæ ad lævam erat, reponebantur vaſa ſacra cum ſuis velis, ſimulque panis, partim conſecrationi ſacræque communioni deſtinatus, partim Eulogiis poſt Synaxim diſtribuendis, menſam iſtam Græci πρόθεσιν, ideſt propoſitionem, & διακόνιον vocant, cujus acceſſum Subdiaconis interdicit, nec non ſacrorum vaſorum contactum Synodus Laodicæna Can. 21. In altera ad dexte-

te-

teram erecta menſa reponebantur ſacra Epiſcopi, aut Sacerdotis ſacrificaturi veſtimenta.

Per interiorem Sanctuarii circuitum diſpoſitæ erant exhedræ pro ſacerdotibus, & his ſublimior Cathedra Epiſcopalis in medio, ac imo Sanctuarii hemicyclo ex adverſo altaris, adeò ut ſedens Epiſcopus, & altare, & populum recta proſpiceret. Hujuſmodi cernitur ſolium in illó Sanctorum Nerei, & Achillei Sanctuario, ex quo olìm S. Gregorius Papa, ut ipſe de ſe perhibet ſermonem ad populum habuit. Propter quæ venerandæ antiquitatis veſtigia ſedulò admonuit inſculptis marmori litteris nunquam ſatis laudatus ejuſdem titularis Cardinalis Cæſar Baronius, ne quis poſthac iſtius Eccleſiæ speciem immutaret, aut lapidem moveret: cujus etiam curam, atque miniſterium ſacerdotibus Oratorii Sanctæ Mariæ dictæ in Vallicella fecit attribui. Iſta verò Pontificia ſedes tribus eſt elevata gradibus ſupra contiguas hinc inde diſpoſitas marmoreas exhedras. De cathedra Epiſcopi ſic ſcribit Auguſt. in Pſalm. 126. Quomodo vinitori altior locus fit ad cuſtodiendam unicam, ſic & Epiſcopis altior locus factus eſt, & de iſto alto loco periculoſa redditur ratio. Liturgia quoq; Chryſoſtomi ſedem Epiſc vocat ἄνω τὴν καθέδραν quæ ſurſum eſt cathedram. Clemens *l.2. conſt. Apoſt. c.61.* ſimiliter dicit in medio Sanctuarii ſedere Epiſcopum (id eſt in medio penitioris parietis qui Sanctuarium à tergo ambit) & clerum ſacrum ad ejus utrumque latus ſedere.

Veruntamen ex iſta cathedra, quæ divinis officiis inſerviebat, non ſermocinabantur Epiſcopi ad populum: neque ex ambone niſi minores Sacerdotes: ſed quando Antiſtes habiturus erat ſermonem ad plebem, apponebatur ei cathedra ſupra celſiorem altaris gradum è regione navis. Eaque conſuetudo vigebat, tùm in orientalibus, tùm in occidentalibus Eccleſiis. Gregorius enim Nazianzenus *orat.* 15o. ait ſe concionante

can-

cancellos vim paſſos à confluente multitudine avida verbi Dei, καὶ ἡ βιαζομένη κιγκλὶς αὕτη τοῖς περὶ λόγον ὠθιζομένοις. Cancelli autem intra ambonem erant, Sanctuarium, circumſepientes. Et de Chryſoſtomo Socrates prodit quaſi rem illi à cæteris Epiſcopis peculiarem, quo faciliùs audiri ab univerſa plebe poſſet, accedere ſolitum ad ambonem, ut inde concionaretur. Prudentius verò in carmine de Hyppolito martyre, ubi ejus Baſilicam deſcribit ita canit.

Fronte ſub adverſa gradibus ſublime tribunal,
Tollitur, Antiſtes prædicat unde Deum.

Et Sidonius Apollinaris in carmine Euchariſtico ad Fauſtum Epiſcopum ait.

Seu te conſpicuis gradibus venerabilis aræ
Concionaturum plebs ſedula circumſiſtit,
Expoſitæ legis bibat auribus ut medicinam.

Supra memoratus Clemens meminit duorum, ut appellat paſtophoriorum, quæ ſolebant intra Eccleſias extrui, quorum pariter mentio eſt apud Paulinum ſub nomine Secretariorum, quæ dicit eſſe ad abſidem in *epiſtol. 12. ad Severum*. Cùm verò abſis peculiariter diceretur fornix, ſeu arcus ipſum ſanctuarium supernè coronans, colligitur inde, duo illa paſtophoria, ſeu ſecretaria fuiſſe ad utrumque ſanctuarii latus collocata, quorum unum inſerviebat ad recondendam (ut aliquibus viſum eſt) ſacratiſſimam Euchariſtiam: aut, ut eſt aliorum opinio, erat ipſa quæ nunc vocatur ſacriſtia, & olim ſecretarium: quod nomen attribuebatur quoque ſanctuario, ut diverſis teſtimoniis paulò poſt comprobabitur: Græcè quoque ſacriſtia vocari ſolebat σκευοφυλάκιων, & cui ejus cura incumbebat Græcè σκευοφύλαξ Latinè ſacriſta cuſtos, & æditiuus. Alterum paſtophorium, ac ſecretarium inſerviebat recondendis ſacris, & Eccleſiaſticis libris: teſtatur enim Paulinus, ſe quod ad levam erat ſecretarium, hoc inſcripſiſſe diſticho.

Si

Si quem ſancta tenet meditandi in lege voluntas.
Hic poterit reſidens ſacris intendere libris.

Antequam vetus Vaticana Baſilica renovaretur, qualis nunc cernitur, erat in ea juxta ſacriſtiam à latere confeſſionis Apoſtolorum Petri, & Pauli Bibliotheca ipſius Baſilicæ, ut conſtat tùm ex ipſius veteris Eccleſiæ Ichonographia æri inciſa, tùm ex libro Joannis Severani de ſeptem urbis Eccleſiis. Idemque Paulinus de altero ſecretario ad templi dexteram à ſe deſcripti ſito teſtatur à ſe poſitum in eo aliud diſtichum.

Hic loco eſt veneranda penus quo conditur, & quo
Promitur alma ſacri pompa miniſterii.

Locus itaque, quo ſacra recondebatur Euchariſtia, ſolebat antiquitùs, ut plurimum, eſſe armarium ad latus Sanctuarii, ut colligi poteſt ex prædicta menſione paſtophoriorum, & ſacrariorum, ſeu ſecretariorum apud Clementem, & Paulinum. Conc. Turonenſe 2. can. 3. prohibet in imaginario ordine componi Corpus Domini ſed conſtituit in altari reponi ſub crucis titulo. Poterat eſſe loculus aptè diſpoſitus in illa crucis mediana parte qua ſe duo ligna committebant, ut ita verum Chriſti corpus eſſet loco imaginis crucifixi. Aut certè titulus crucis pro ipſamet cruce hoc loco uſurpatur, ut velit Synodus Euchariſtiam recondi intra loculum in altaris medio ſub cruce ipſa.

Alibi Sacramentum reponi, & oſſervari ſolebat intra ſuſpenſam ſupra ſacrum altare columbam ex auro, vel argento, ut colligitur ex ſupplici libello, quem Oecumenicæ Synodo quintæ obtulerunt Clerici, & Monachi Antiocheni act. 1. quærentes de Severo pſeudo-Patriarcha hæretico, eumque accuſantes, quòd aureas columbas ſuper altaria ſuſpenſas, & alias argenteas ſuper baptiſteriorum fontes auſu ſacrilego diripuiſſet. Legimus in Baſilii vita, quæ Amphilochio falsò aſcribitur, columbis argenteis includi ſolitam fuiſſe in templis, atque aſſervari Euchariſtiam. Qui ritus ſuſpen-

ſpendendi vaſculo divinam incluſam Euchariſtiam, quæ ſerico funiculo nunc elevabatur, nunc demittebatur ad populum communicandum, in aliquibus primariis Galliarum Eccleſiis ad noſtram perduravit ætatem, ſed jam inolevit. Extat Venantii Fortunati carmen de turri, quam Felix Bituricenſis præſul ex auro fabricari curaverat, ad condendum in ea divinum Sacramentum. Is verò Felix Synodo iſti Turonenſis ſecundæ legitur ſubſcriptus. Aſſervatæ in templis Euchariſtiæ ſuppeditat exemplum (ut alia omittam) Optatus Milevitanus *lib.* 2. *contra Parmenianum* in illo Donatiſtarum ſcelere, qui facta in Catholicorum Eccleſiam irruptione, deprompturn inde Sacratiſſimi Dominici Corporis Sacramentum canibus devorandum projecerunt, ſed canes ultrici dente atque efferata rabie non Euchariſtiam, ſed ſacrilegos dilaniarunt. Clemens Papa epiſt. ad Jacobum fratrem Domini meminit pariter aſſervationis fragmentorum divini Sagramenti intra Sacrarium.

Ut unde digreſſi ſumus regrediamur ad ſecretarium, ea quidem voce res diverſæ ſignificantur. Primùm enim apud Juriſperitos uſurpatur pro ſecreto judicis auditorio, ubi ſeorſim, tum partes, tum teſtes audiebantur, & lis ſeu cauſa occultè inſtruebatur, ac diſcutiebatur. Apud Eccleſiaſticos verò ſcriptores diverſa connotat: nunc ipſum conclave in quo vaſa ſacra, & alia ad ſacrificium ſpectantia, omniſque ad templi cultum, & ornatum pertinens ſupplex aſſervatur. Nunc etiam illam Sanctuarii partem in qua vaſa, velaque, & indumenta ſacra ad ſacrificium decenter apparabantur. Nunc demum pro toto ipſo ſanctuario uſurpatur. Nam ut ordiar ab hac ipſa Synodo Chalcedonenſi. Liberatus Diaconus in breviario c. 13. vocat ſecretarium Eccleſiæ S. Euphemiæ, locum in quo Synodus iſta congregata fuit. Gregorius Papa *l.* 2. *epiſt.* 54. Eccleſiæ Sanctuarium ſimiliter ſecretarii nomine deſignat. Quod

idem

idem exprimunt complurium Conciliorum priſcorum acta, 3. enim Carthagine habitum initio inſcribitur in ſecretario Baſilicæ reſtitutæ. Et 4. Carthaginenſe ſimiliter in ſecretario. Et 6. Carthaginenſe in ſecretario Baſilicæ Fauſti. Et 7. Carthaginenſe in ſecretario quoque Baſilicæ reſtitutæ. Et Milevitanum in ſecretario Baſilicæ. Et Africanum plenarium in ſecretario Baſilicæ. Cæſarauguſtanum in ſecretario. Arelatenſe 2. can 15. diſertè ſecretarium nominat ipſum ſanctuarium.

Similiter vox βῆμα duplicem habet Eccleſiaſticam ſignificationem, ſecluſis ejus aliis apud profanos ſignificatis. Nam præterquam quod ſanctuarium communiùs ſignificat, uſurpatam lego & pro ambone: vocis quippe origo ac etymon locum denotat, ad quem per aſcenſum pertingitur παρά τȣ̃ βαίνειν, atqui, & ad ambonem, & ad ſanctuarium gradibus conſcendebatur; unde ambon παρὰ τȣ̃ ἀναβαίνειν, ab aſcendendo. Ideoque Gregorius Nazianz. invectiva 1. in Julianum, poſtquam meminit hunc Apoſtatam, ac militiæ Chriſtianæ deſertorem, fuiſſe olim in Eccleſia clericum lectorem ſubjungit, καὶ τȣ̃ μεγάλȣ βήματος ἀξιόμενον τιμῆς, loquens de ambone ex quo intra Eccleſiam legerat. Et forſan μέγα βῆμα, ut hic loquitur Nazianz. ambonem propriè denotabat, ſicut ἅγιον βῆμα ſoli quadrat ſanctuario, quo nullatenus lectoribus aut Clericis necdum ſacris, licebat tempore divinorum officiorum accedere.

Quam rem perſpicuè docet Laodicænæ Synodi canon. 19. quo ſolis permittitur ſacris clericis Sanctuarium ingredi, & ibi communicare. Quæ utique ne ipſis quidem Subdiaconis licere declarat eadem Synodus can. 21. & 22. Concilium verò Bracarenſe primum can. 1. placuit, ut intra Sanctuarium altaris ingredi ad communicandum non liceat laicis viris, aut mulieribus, niſi tantum Clericis, ſicut antiquis Canonibus ſtatutum eſt. Ex iſto Concilio Bracarenſi, & ex ſecundo Turonenſi can. 4. apparet aliquid in occiden-

dentalibus Eccleſiis remiſſum de illa veteri orientalium diſciplina, cùm hi Canones occidentales à Sanctuario ſolos laicos arceant, & Clericos indiſcriminatim admittant. Porrò præfatus can. 4. Turonenſis ſecundæ Synodi ſancit, *ut laici ſecus altare in quo ſacra myſteria celebrantur, inter Clericos, tàm ad vigilia, quàm ad miſſas ſtare penitus non præſumant, ſed pars illa quæ à cancellis verſus Altare dividitur, choris tantùm pſallentium pateat Clericorum. Ad orandum verò, & communicandum laicis, & fœminis ſicut mos eſt pateant Sancta Sanctorum.* Hæc tamen poſtrema Canonibus verba prioribus apertè contradicerent, niſi hoc ſenſu exponas patere laicis, & fœminis Sancta ſanctorum reductis ad proſpectum velis temporibus orationi, aut myſticæ communioni deſtinatis, ſed non ad introgrediendum.

Baptiſterium ſolebat eſſe non intra, ſed extra Eccleſiam, ut fidem facit Paulinus, qui Præfata ſæpiùs epiſtola 12. refert baptiſterium à ſe inter duas Baſilicas extructum. Cyrillus pariter Cathec. myſtag. 1. ſolitum conſtrui teſtatur baptiſterium extra Baſilicas ad vicina ipſis atria εἰς προαύλιον οἶκον; & ſanè ipſi baptiſmatum ritus quod ibid. deſcribit illud neceſſariò præſupponunt. Horum priſca monumenta quibuſdam ſuperſunt locis: ut Romæ ad Lateranenſem Baſilicam baptiſterium Conſtantinianum, & in primariis Tuſciæ civitatibus Piſis, & Florentia Metropolitanarum Eccleſiarum baptiſteria ſejuncta nunc quoque cernuntur ab ipſis Eccleſiis.

Serius in Eccleſiarum uſum receptum fuit, ut fidelium cadavera intra templorum ambitum ſepelirentur, præterquàm eorum quos Eccleſia publico cultu veneratur. Reliquorum autem fidelium in publicis cæmeteriis, aut atriis templi condebantur: Epiſcopos tamen in ipſis Eccleſiis tumulari mos fuit, ut teſtatur Sozomenus *lib. ſecundo cap. ult.* in quo ſcribit quoque Magnum Conſtantinum fuiſſe in Eccleſia Conſtan-

tinopolis ſepulcro conditum, quam ipſe idem in memoriam, & cultum ſanctorum Apoſtolorum extruxerat. Verùm non in alia templi parte ſepultus eſt Conſtantinus, quam in veſtibulo, quod idem cenſendum pariter exiſtimo de Epiſcopis. Liquet verò ex Chryſoſtomi *Hom. 26. in 2. Corinth.* ſic loquente, Conſtantius Auguſtus Conſtantium Magnum ingenti honore ſe affecturum exiſtimavit, ſi in veſtibulis collocaret Piſcatoris; quod enim in Regiis janitores ſunt regibus, id in ſepulcro Reges ſunt piſcatoribus, & præclarà ſecum agi putant, ſi janua ipſis aſſignetur veſtibularis. Concilium Bracharenſe primum anni 572. can. 36. prohibet, intra Baſilicas ſepeliri fidelium cadavera. Inſuper Conc. Varenſe citatum in decreto *cap. præcipiendum* 13. *q.* 2. jubet extra Eccleſias ſepulturæ mandari fideles defunctos, ſed vel in porticu, vel in atrio, vel exhedris: quo nomine hìc intelligito loca illa, quæ vulgò clauſtra dicuntur. Simile injungit Conc. Tiburienſe can. 17. allegato à Gratiano *c. nullus laicus de conſecrat. diſt.* 2. Idem jus edicitur pariter *l.* 2. *c. de Sacroſ. Eccleſ.* Scripſit tamen ad Paulinum Nolanum Epiſcopum Auguſtinus libellum de cura pro mortuis gerenda, ab ipſo Paulino interpellatus, à quo petierat pia quædam matrona, ut permitteret defuncti filii corpus in ſancti confeſſoris Felicis Baſilica deponi; ſic autem reſpondet Auguſtinus: *Quod vero quiſque apud memoriam martyrum ſepelitur, hoc tantùm mihi videtur prodeſſe defuncto, ut commendans eum etiam martyrium patrocinio, affectus pro illo ſupplicationis augeatur*. Nullum tamen de hujuſcemodi ſepultura Conc. Paulino ſuggerit, Auguſtinus Gregorii Papæ ſæculo jam invaluerat conſuetudo intra Eccleſiam ſepeliendi, ut conſtat ex *lib.* 2. *Dial. cap.* 23. & *l.* 4. *capit.* 51. 52. 53. & 54. Perhibet Gregorius Turonenſis Chlodoveum I. Chriſtianum Francorum Regem (qui anno Chr. 511. obiit) ſepultum fuiſſe in ſanctorum Apoſtolorum à ſe fundata Baſilica: fortaſſe verò id

at-

attributum fuit prærogativæ regalis dignitatis.

Denique fontes etiam præ foribus Eccleſiarum exſtrui ſolitos, in quibus ingreſſuri fideles faciem manuſque abluerent, fidem faciunt antiqui Patres Clemens Papa *l.* 8. *conſtit. Apoſt. c.* 58. Tertullianus *de oratione cap.* 11. Euſebius *l.* 10. *Hiſt. Eccl. cap.* 4. Paulinus *epiſt.* 12. *ad Severum*. Chryſoſtomus *Homil.* 72. *in Joan.* & alibi. Quorum fontium vice nunc apponuntur in ipſo Eccleſiæ aditu vaſa benedictæ aquæ, ſicut in templis Gentilium ingredientibus luſtrales aquæ aſpergebantur, ut (ne extra Eccleſiaſticos libros pedem efferamus, nec teſtimonia conquiramus ethnicorum) refert Theodoritus *l.* 3. *Eccl. hiſt. cap.* 5. & Sozomenus *l.* 6. *cap.* 6. dum præclaram Valentiniani (qui poſteà Romano potitus eſt Imperio) confeſſionem ſub Juliano factam referunt. Opportuni præſertim erant illi, præ foribus Eccleſiarum conſtituti fontes præſertim viris communicaturis, ut manus lavarent, quibus Sacramentum excepturi erant. Ideò enim admonet Auguſtinus *ſerm.* 252. *de Temp.* ut viri manus abluant priuſquam ad ſacram communionem accedant. Illam enim fœminæ non nuda manu, ſed linteo quod Dominicale dicebatur excipiebant, idcòque non ei neceſſe erat manus abluere.

CONC. ARELATENSE III.

QUartò à Synodo Chalcedonenſi anno, & Chriſti Epochæ 455. ſub Leone primo Papa coegit Arelatenſe Concilium Ravennius Arelates Epiſcopus in cauſa Theodori Epiſcopi, qui dum juriſdictionem, & viſitandi jus in Lirinenſe Monaſterium exequi vellet, obſiſtente Abbate Fauſto repulſus eſt, qui ut dicit Sidonius Appollinaris carmine ad ipſum Fauſtum Ma-

ximi ſucceſſor bis fuit, primùm in Abbatia Lirinenſi, poſtremò in Epiſcopatu Regienſi provinciæ Narbonenſis ſecundæ, quique Semipelagiani dogmatis præcipuus propugnator extitit; cujus ob eam cauſam libros damnavit Romana Synodus ſub Gelaſio primo. Grave ſcandalum ex illo Monachorum cum Epiſcopo conflictu obortum eſt. Rogatur à Conſilio Theodorus, ut hanc offenſam Fauſto condonet: deinde hic ſapienter ab Epiſcopi juribus diſcernuntur Abbatis jura.

Statuitur igitur ut Clerici Monachi à nullo quam à Theodoro ejuſque ſucceſſoribus ordinari valeant. Atque ab eo ſolo Chriſma requirant. Confirmationis Sacramentum ab eo ſolo ſuſcipiant, Peregrini Clerici nulli citra ejus arbitrium ad communionem, & Eccleſiaſticum miniſterium admittantur. Laici porrò Monachi ad ſolam Abbatis directionem, regimenque pertineant. Nec eorum quemquam Epiſcopus in clerum, vel ad ordines promoveant, niſi Abbate id poſtulante. Require ſuperius canon. 4. Chalcedonenſem cum ibi annotatis, quibus & iſta, quæ & ſequuntur adiicimus.

Veterum etiam Monachorum ſub Epiſcopis ſubjectio, non tantum aſtruitur Canone Chalcedonenſi aliiſque teſtimoniis, quæ illuc congeſſi, ut Dionyſii *Eccleſ. Hierar. cap.* 6. Bernardi Abbatis, aliiſque, ſed etiam Papæ Adriani ſecundi *epiſtol* 27. ad Carolum Calvum Francorum Regem his verbis. *Omne Monaſterium in poteſtate Epiſcopi conſiſtere habet, juxta Canonicam authoritatem. Et quia hoc tranſgreſſum, ideò plurima monaſteria habentur deſtructa.* Quod idem verbis eiſdem reperitur ejuſdem Papæ ad eundem Regem *epiſtol.* 30. Concilii quoque Aurelianenſis primi Canon 21. ſtatuit *Abbates ſubeſſe Epiſcoporum authoritati, ac poteſtati, & ab iis ſi deliquerint eſſe corrigendos.* Hæc verò non à me ideò adducuntur, ut exemptionibus obſiſtam, quas poſterioribus ſeculis regulares à ſuprema ſede impetraverunt, ſed ut

meum

meum proſequar toto hoc opere inſtitutum veteres Eccleſiæ ritus, Canones, & inſtituta indagandi, ut dignoſcant lectores qualis fuerit prior, aut poſterior Eccleſiæ multis in rebus diſciplina. Quia tamen graviſſimè diſceptabatur quatenus pertingeret regularium immunitates, cùm iſti eas ultra præſcriptos limites proferrent, has ſingillatim controverſias diremit, deffinitque accuratiſſimè Gregorii Papæ XV. conſtitutio, quæ incipit, *Inſcrutabili*. Ad quam ut normam inviolabilem ſubſequentes Summi Pontifices Urbanus VIII. Innocentius X. Alexander VII. & Cardinalium Congregationes de regularibus cùm eædem concertationes recrudeſcerent, ſuas omnes conſtitutiones, decreta, & judicia conformarunt. Circa hæc quoque provide ſanxerunt Patres Trid. *ſeſſ.* 5. *de refor. c.* 2. item *ſeſſ.* 23. *cap.* 15. prætereà *ſeſſ.* 24. *c.* 4. necnon *ſeſſ.* 25. *cap.* 3. in fine, & c. 5. inſuper c. 7. & ſeptem ſequentibus capitibus.

CONC. AGATENSE.

CElebratum Agathenſe Concilium fuit Chr. anno 506. ſub Papa Symmacho. Eſt verò Agatha Provinciæ primæ Narbonenſis vetus oppidum, coloniæ Maſſilienſium. Congregatum eſt Concilium, & venia Viſigottorum Regis Alarici ſecta Ariani, qui non ſolùm Hiſpaniæ, ſed etiam provinciis Galliæ Aquitanicæ, & Narbonenſi dominabatur, quas pater ejus Euaricus vi armorum invaſerat. Tametſi vero, & pater, & filius hæretici, & Catholicæ Religioni infenſi erant, hæc tamen non obſtiterunt quin illarum partium Epiſcopi dominationis injuſtę, & tyrannicæ jugo cervices ſubmiſerint, ut videri poteſt apud Sydonium, qui ſub Euarico Arvenorum Epiſcopus fuit, *lib.* 7.

epiſt. 6. ad Baſilium, quem Sirmundus fuiſſe probat Aquenſe in ſecunda Narbonenſi Epiſcopum: & apud Gregorium Turonenſem *lib. 2. hiſt. Franc. cap.* 25. ſub filio autem illius invaſoris, & hæretici Alarico pariter Ariano videmus ſanctiſſimum præſulem Cæſarium Arelatenſem, qui huic Agathenſi Concilio præfuit, alioſque qui huc convenerunt Epiſcopos his verbis Synodum aperire: *Cùm in Dei nomine, & permiſſu Regis* (Alarici) *in Agathenſem civitatem ſancta Synodus conveniſſet, & in ſancti Andreæ Baſilica conſediſſemus, ibique flexis genibus in terra pro regno ejus, & pro longævitate populi Dominum deprecaremur, ut qui nobis congregationis permiſerat poteſtatem, regnum ejus Dominus felicitate extenderet, juſtitia gubernaret, virtute protegeret, &c.* Similiter poſtquam Maximus tyrannus adversùs religioſiſſimum, & optimum Imperatorem Gratianum rebellaſſet, Gallis per vim occupatis, Epiſcopi Gallicani pacem cum illo coluerunt: Sanctuſque Martinus Turonum antiſtes ad ipſum, ut Imperatorem recurrit, neque ejus menſam, & convictum recuſavit. Sed ipſi etiam Summi Pontifices ſubjectionem, & pacem coluerunt ſub Principibus hæreticis ſimul, & Italiæ invaſoribus Odoacro, Theodorico, & hujus ſucceſſoribus Arianis, quam rem nemo in dubium revocaverit.

Profiteor quidem haud licuiſſe his ſe ſponte ſubjicere, ſi non vis major adegiſſet, ſed poſt impoſitum hujuſmodi tyrannicum jugum, propoſita docent ſanctorum Epiſcoporum, exempla, ſatiùs eſſe cum hujuſmodi tyrannis, ac invaſoribus violentis etiam hæreticis pacem civilem ſalva ſemper religione conſervare, ſubjectionemque politicam profiteri, (modo ne quis per adulationem, aut metum Dei mandata tranſgrediatur) quàm aut ſolum vertendo proprias Eccleſias deſerere, aut rebellando, vel imprudenter obſiſtendo animum præpotentis tyranni exacerbare, atque in deteriùs præcipitem agere.

Sed

Sed ut ad Alaricum revertamur, refert Iſidorus Hiſpalenſis, ipſum feliciter regnaſſe ſubnixum orationibus quas Cæſarius Arelatenſis, & Quintianus Retunenſis Epiſcopi ambo ſanctiſſimi pro ejus ſalute, & felici regno ad Deum fundebant; ſed ex quo malevolorum mendaciis, & calumniis fidem adhibens ambo in exilium relegavit, tum demum fuiſſe à Clodovæo Francorum Rege victum, & occiſum. Calumniam contra Cæſarium confictam refert ejus diſcipulus Cyprianus Tolonenſis Epiſcopus fuiſſe à malevolis accuſatum perduellionis, quaſi conſpiraſſet transferre Arelatenſem urbem in ditionem, & poteſtatem Regis Burgundionum pariter Arriani. Sed meram fuiſſe calumniam, ſubſequuta Cæſarii exulis miracula, ejuſque in propriam Eccleſiam revocatio, coarguerunt. Idem poſtmodùm ſimili calumnia conflictatus eſt, attentaſse ipſum prodere Arelatem Francorum Regi Clodovæo jam Catholico, dum poſt devictum, & cæſum in acie Alaricum Franci urbem illam obſidione premebant: adeò ut Gothi, qui urbem occupabant, vinctum miſerint ad Theodoricum Italiæ Regem tunc Ravennæ, quam regni ſui caput conſtituerat, reſidentem. Sed illum Theodoricus licet Arianus honoribus, & laudibus cumulatum remiſit Arelatem liberum, in ejus accuſatores indignatus: quam latius proſequitur hiſtoriam Cyprianus in vita Cæſarii.

Agathenſis Can. 2. contumacibus Clericis qui prioris gradus (nimirum ut exponendum autumo, Sacerdotii quod anteriore dignitatis gradu præcellit reliquis ordinibus) elati ſuperbia, communionem fortaſſis contempſerint, aut Eccleſiam frequentare, vel officium ſuum implere neglexerint, peregrina communio tribuatur: ita ut, cum eos pœnitentia correxerit, reſcripti in matricula gradum ſuum, dignitatemque recipiant. Matriculam intelligito catalogum miniſtrantium clericorum, qui alio nomine Canon dicitur. Obſervandum

hic eſt non omnes Sacerdotes quotidie miſſam celebraſſe, ſed tantùm per vices. Qui porrò Sacerdotes non ſacrificabant, iidem tamen divinis officiis intra Eccleſiam cujus miniſterio addicti erant, aſſiſtere, atque intra Sanctuarium de manu ejus qui miſſam celebrabat communicare debebat. Quia verò eveniebat aliquoties, ut Sacerdotes quibus diebus non ipſis obtingebant ſacrificandi vices, vel ex ſuperbia, vel ex tepiditate animi indevoti refugerent de alterius manu communicare, ſeque divinis officiis ſubtraherent, ita ſe gerentibus hæc pœna indicitur, ut reducantur ad Peregrinam communionem. Cujus pœnæ mentio quoque paulo infra fit can. 5. quò præfigitur communio peregrina Clerico illi, qui aliquid fuerit de Eccleſiæ rebus ſuffuratus.

Diſſertatio de Laica, & de Peregrina communione.

PEregrinam communionem plerique cum laica confundunt. Sanè id commune habet, ut quoties Clericis inducuntur, intelligantur eſſe pœnales. In primis communio laica clericis majoribus ſive ſacris initiatis decernebatur ne intra Sanctuarium communicarent. Statuit enim Laodicænus canon. 19. μόνοις ἱερατικοῖς ἐξὸν εἶναι εἰς τὸν θυσιαστήριον εἰσιέναι, καὶ κοινωνεῖν. *Solis licèt* (non quidem Sacerdotibus, ut minus peritè aliqui tranſtulerunt, ſed ut exactiùs vertit Dionyſius Abbas cognomento exiguus) *ſacro miniſterio dedicatis, ingredi Sanctuarium, ibique communicare*. Verùm tamen in alicujus delicti pœnam ſacri clerici quandoque iſto excidebant privilegio, nec niſi cum promiſcua turba licebat eis communione ſacra refici. Iſtud enim Agathenſe Conc. decernit can. 32. *Si Epiſcopus, aut Presbyter, aut Diaconus capitale crimen commiſerit; aut chartam falſa-*

ve-

verint, aut falſum teſtimonium dixerit, ab officii honore depoſitus in Monaſterium detrudatur, & ibi quamdiù vixerit laicam tantùm communionem accipiat. Quem Canonem inſerit Gratianus *diſt.* 50. *c. ſi quis Epiſcopus* Præterea Canon Apoſtolorum 15. vagos clericos ad laicam reducit communionem. Cyprianus ep. 52. ad Antonianum ita ſcribit de Trophimo Sacerdote in perſecutione lapſo: *ſic tamen admiſſus eſt Trophimus, ut laicus communicet.* Hoc pœnæ genus propriè depoſitio erat, hoc eſt de gradu Epiſcopatus, Sacerdotii, vel Diaconatus dimotio: ſejuncta procul ab excommunicatione quæ prorsùs à divinis Sacramentis excludebat, nec non a communibus fidelium orationibus, & aliter dicebatur ſegregatio. Id comprobatur Canone Apoſt. 25. *Epiſcopus, vel Presbyter, vel Diaconus fornicationis, vel perjurii, vel furti convictus deponatur, & non ſegregetur,* (ubi græcum exemplar ait) καθαιρέσθω καὶ μὴ ἀφοριζέσθω. *Dicit enim ſcriptura, non vindicabis bis in idipſum: ſimiliter reliqui quoque clerici, &c.* Supponit ergo duplicem acceſſuram pœnam, ſi ad depoſitionem adderetur excommunicatio. Quam eamdem rationem Baſilius ad Amphilochium Can. 32. pariter adducit. Ideòque ad Patres quàm ſæpiſſimè crimen idem in clericis depoſitione, in laicis excommunicatione plectant. Idemque Baſilius ad Amphilochium canon 3. ſic habet: *Diaconus poſt Diaconatum fornicatus à Diaconatu quidem ejicietur, in laicorum autem locum extruſus à communione non arcebitur: quoniam antiquus eſt Canon, ut qui a gradu exciderunt, hoc ſolo punitionis modo plectantur.* In hoc ergo ſita eſt laica communio.

Quia verò clericis depoſitis ſolitæ (ut eas vocat Cyprianus) ſportulæ minimi præſtabantur, ſed ut plurimum ex aliorum liberalitate, aut ex proprio labore, ac induſtria victum ſibi quærere compellebantur, excluſi ſcilicet à decimis, & oblationibus Eccleſiaſticis contingebat aliquando ut ex commiſeratione ipſis Eccleſia præſtaret alimoniam, aliter tamen quam ſportu-

tulantibus, & immatriculatis clericis, nullus quippè la illis ſuppeditabat annuos, aut menſtruos redditus, nullamque ex oblationibus ſortitionem, ſed utrumque præſtabat illis in dies alimenta, menſamque illis providebat eamdem cum Peregrinis fidelibus qui à proprio fuerant Epiſcopo per formatas litteras Eccleſiis commendati, ad quas peregrè ibant. Atque hæc eſt meo quidem judicio communio peregrina, quæ quandoque motis ab officio, & gradu clericis indulgebatur, ut eſſent Eccleſiæ ſimul cum peregrinis fidelibus alumni. Quemadmodum factum à ſe ipſo erga Baſianopolis Epiſcopum ad Alexandrum, reſidere in ſua Eccleſia recuſantem, ſcribit ad Theophilum Alexandrinum Syneſius epiſt. 66. *In Eccleſiam quidem* (inquit) *admittere illum nolui, nec ſacram cum illo menſam communem habui; domi verò peræque, ac innocentes honoravi.*

Cujus humanitatis exempla ſuppeditat Conc. Chalcedonenſe act. 7. providens ut ipſius Eccleſiæ Antiochenæ ſumptibus alatur Domnus Antiocheno Patriarchatu exauthoratus. Et ſimili modo ſuſtentationi providet Baſſiani, & Stephani, poſtquam illos Epiſcopatu ſubmovit act. 12.

Ad exemplum, & ſimilitudinem hujus pęnalis peregrinæ in clericis communionis, alia vocabatur minùs propriè peregrina communio, qua Epiſcopi aliique inter Sacerdotes primarii, ſeu præfecturam habentes non deponebantur prorſùs à clero, ſed tantùm à digniori, & ſublimiori priſtino gradu, ut tamen in gradu inferiori clericorum conſiſterent, ut Epiſcopi redigerentur ad Sacerdotum ordinem, iſti ad Diaconorum, & Diaconi ad minorum clericorum ſtationem, & claſſem. Sic enim depoſitis Epiſcopis ſubtrahebatur illa redituum Eccleſiæ quarta pars, quam Epiſcopis ſacri Canones reſervabant, ut deinceps minora cum Sacerdotibus ſtipendia reciperent. Sacerdotes quoque illi qui præſunt, & quos Apoſtolus judicat duplici hono-

re.

re, hoc eſt ſtipendio providendos, ad hoc excidentes honore, minùs ſtipendium inter Diaconos nanciſcebantur. Iſti quoque, ſed magis impropria locutione dicebantur ſuſtentari peregrina communione, tametſi victum, & ſtipendia cum inferioribus clericis ex Eccleſiæ diſtributionibus reciperent.

Hujuſce pœnalis quidem, ſed tamen mitioris diſciplinæ legimus exempla, primum in Nicæna Synodo can. 8. qui Novatianos dudum Epiſcopos ad Eccleſiaſticam unitatem redeuntes, ſi eorum loco jam fuerat aliquis orthodoxus Epiſcopus conſtitutus, edicit potiri Sacerdotis, aut Chorepiſcopi gradu, ac miniſterio; Conc. ſimiliter Toletanum primum can. 4. ſic decernit: *Subdiaconus defuncta uxore ſi aliam duxerit, ab officio in quo ordinatus fuerat, removeatur, & habeatur inter oſtiarios, & lectores*. His accedit Conc. Regienſe, quod habitum eſt in Galliæ provincia Narbonenſi ſecunda, quodque diſertè meminit iſtius peregrinæ communionis. Armentarius per ambitionem ſe in Ebrodunenſem Epiſcopum fecerat ordinari a duobus tantùm Epiſcopis, invito etiam Metropolitano, qualem ſe prætendebat eo tempore Arelatenſis Epiſcopus, cujus cura, & ſollicitudine, convocata hæc Synodus fuit anno 439. hujus ergo 3. Canone ſic ſtatuitur: *Liceat ei* (Armentario) *in unam ſuarum parochiarum Eccleſiam concedere, in qua aut Chorepiſcopi munere, aut peregrina communione foveatur: Nec quidquam ipſi de Epiſcopalibus officiis uſquam uſurpare liceat, præterquam in Eccleſia, quam cujuſquam miſericordia fuerit indeptus, in qua ei ſolùm Neophitos confirmare, & ante Presbyteros offerre conceditur*. Quæ ſanè verba digniſſima obſervatu ſunt, ſic enim Synodus Armentarium deponit, & exauthorat Epiſcopali gradu, ut non ſolum ſalva ei ſuperſint Sacerdotii jura: ſed nonnullis etiam Pontificalibus nimirum confirmationis collatione, & reliquorum Presbyterorum præceſſione potiatur. Et tamen providetur ei, ut peregrina com-

communione foveatur: Non eſt ergo ea communio laica, cùm liceat Armentario etiam præ reliquis Presbyteris ſacrificium offerre, ſed eſt communio non ſacra, ſed tantummodò corporalis ad victum, & alimoniam, quod etiam arguit vox illa foveatur.

Proſecutio Canonum Agathenſium.

AGathenſis Can. 8. *Placuit ut ſi clericus relicto officio ſuo propter diſtrictionem, ad judicem ſæcularem fortaſſe confugerit, & is ad quem occurrit ſolatium ei defenſionis impenderit; cum eodem ab Eccleſiæ communione pellatur.* Itaque tàm judicem ſæcularem, quam clericum ad eum recurrentem excommunicat. Habetur in decreto 2. q. 3. *Can. placuit, ut clericus.* Edicit quoque *c. clerici de judiciis*, clericos de omni crimine ſiſtendos Eccleſiaſtico judici: nec valere quamcumque conſuetudinem in contrarium. His aliæ conſonant Synodi veteres: Chalcedonenſis Oecumenica Can. 9. jubet clericorum lites non apud judices laicos, ſed apud Epiſcopos agitari. Et Matiſconenſis primæ Synodi anni 576. Can. hoc idem jus renovat ſub pœna excommunicationis in judice laico, & fuſtigationis, aut carceris in clerico. Idem tamen permittit laicis judicium clericorum in cauſis gravium delictorum, homicidiis, furti, maleficii. Quæ Canonis permiſſio videtur arguere prohibitionem oppoſitam eſſe tantùm humani, & Eccleſiaſtici juris, non divini quod eſt immutabile, & indiſpenſabile. Juſtinianus in *auth. ut clerici apud proprios Epiſcopos.* §. *penult. colla.* 6. *ſeu novella* 83. ſtatuit in omnibus criminibus aliis quàm Eccleſiaſticis conveniendos eſſe clericos coram ſæcularibus judicibus. Conſulito inferius Cabilonenſis Conc. Can. 11.

Canon Agathenſis 18. ſæculares, qui in Natali Domini, Paſcha, & Pentecoſte non communicaverint. Catho-

tholici non credantur, nec inter Catholicos habeantur. Conformatur decreto Fabiani Papæ, & martyr. *c. & ſi non frequentius, de conſecr. diſt.* 2. Vide ſuperius ad Antiochenum canon. 2.

Can. Agathenſis 20. *Clerici qui comam nutriunt ab Archidiacono etiamſi noluerint inviti detondeantur. Veſtimenta etiam, vel calceamenta eis niſi, quæ Religionem deceant, uti aut habere non liceat.* Legitur *in diſt.* 2. *c. clerici qui comam.* Huc ſpectant Cart. quarti Conc. can. 44. & 45. quos ſuperiùs require.

Can. 28. Monaſteria Monachorum à monaſteriis puellarum ſancit eſſe longè remota, tùm ob cavendas inſidias diaboli, tùm propter hominum obloquutiones. Citatur 18. *q.* 2. *c. Monaſteria puellarum.* Eamdem præcipit adhiberi cautelam Concilium Hiſpalenſe ſecundum *c.* 11. & Synodus Oecumenica ſeptima canon. 20. τὰ διπλᾶ μοναστήρια, duplicia monaſterium virorum, & Monaſtriarum interdicit. Similiter providet Innocentius Papa III. in regeſto 15. ep. 80. ad Helenenſem Epiſcopum, & *lex ſanctiſſima 44. c. de Epiſc. & Cler.*

Can. 38. Clericos, & Monachos contumaces jubet verberibus coerceri. Pænæ Eccleſiaſticæ non omnes ſpirituales ſunt, ut cenſuræ, depoſitiones, irregularitates ex delicto, ſunt prætereà quædam corporales, ut carcer, jejunia in pane, & aqua, verberum inflictio, quibus ſub cuſtodia cæduntur gravioris culpæ convicti Clerici, aut Monachi. Id fieri ſolitum præter canonem iſtum fidem facit Cyprianus in vita Cæſarii Arelatenſi, necnon alius Canon Agathenſis 41. his verbis: *Clericus quem ebrium fuiſſe conſtiterit, aut triginta dies ſit excommunicatus, aut corporali ſupplicio ſubditus ſit.* Qui Canon legitur pariter in Concilio Venetico (Gallicè de Vannes) numero decimus tertius. His accedit Concilii Liptinenſis ſub Papa Zacharia II. & Childeberto III. Franciæ Rege anno 743. in Hannonia celebrati, canon 6. *Clerici* (inquit) *&*

Mo-

Monachi, & Moniales fornicantes carcere, jejunio in pane & aqua, & flagellationibus plectantur. Denique Caſſianus *lib.* 4. *de inſtitutis Cœnobiorum cap.* 16. poſt dinumeratas graviores aliquas Monachorum culpas, ita ſubjungit, *hæc vel plagis emendantur, vel expulſione purgantur*.

Canon. 44. *Benedictionem ſuper plebem in Eccleſia fundere, aut pœnitentem in Eccleſia benedicere Presbytero pœnitus non licebit*, His tamen poſteriores regulæ Eccleſiaſticæ derogarunt, præſertim in miſſis Sacerdotum adjectis ad populi dimiſſionem benedictione populi, & ultimo Euangelio ex decreto Pii V. Carthuſienſes veterem ritum ſequuntur, & dicta populi dimiſſione miſſam concludunt.

Canon. 45. *Terrulas, aut vineolas exiguas, & Eccleſiæ minus utiles, longè poſitas parvas Epiſcopus ſine conſilio fratrum ſi neceſſitas fuerit, diſtrahendi habeat poteſtatem*. Inſeritur in decreto 12. quæſt. 2. cap. Terrulas. Alioqui hoc ipſum Agathenſe Concilium Canon. 8. prohibet Epiſcopo alienare quidquam, aut diſtrahere de rebus Eccleſiæ ſine conſultatione, & conſenſu etiam Comprovincialium Epiſcoporum. Vide in decreto 10. q. 2. per totam, & in Decretalibus de rebus Eccleſ. alien. vel non.

Canon. 48. *Epiſcopi de rebus propriis, & acquiſitis, vel quidquid de proprio habent, hæredibus ſuis ſi voluerint, derelinquant. Quidquid verò de proviſione Eccleſiæ ſuæ fuerit, ſive de agris, ſive de fructibus, ſive de oblationibus, omnia in jure Eccleſiæ reſervari cenſuimus*. Simile dudum legitur ſancitum in Apoſtol. canon. 39. & 40. Idemque decernitur ab Antiochena Synodo canon. 24. & à primo Concilio Hiſpalenſi, cui præſedit S. Leander, & approbavit Pelagius II. Papa. Necnon à Magno Gregorio Papa *lib.* 10. *epiſtol.* 42. ad Deuſdedit Mediolani Epiſcopum. Concil. Lateranum generale ſub Alexandro III. Can. 15. generaliter de clericis edicit non poſſe teſtari, aut quomodolibet inter vivos diſponere

de

de bonis per Eccleſiam acquiſitis, ſed in hæc Eccleſiam ſuccedere. Vide cap. quia nos cap. relatum eſt auribus, de teſtam. horum ratio fundatur in deſtinatione facultatum Eccleſiæ: de quibus ita judicat Urbanus Papa, & Mart. *Ipſæ res fidelium, quæ Domino offeruntur, non poſſunt aliis quàm Eccleſiæ, & fidelium indigentium uſibus applicari: quia vota ſunt fidelium pretia peccatorum, patrimonia pauperum*. His Bernardus ſuffragatur *ſermon.* 23. *in Cantic.* dicens: *Miniſtri Eccleſiæ, qui ſtipendiorum ſuperflua, quibus egeni ſuſtentandi forent, impiè ſacrilegèque ſibi retinent, duplici profectò peccant iniquitate, quod & aliena diripiunt, & ſacris ſuis vanitatibus, & turpitudinibus abutuntur*. Idemque epiſtol. 2. ad Canonicum Lugdunenſe. *Quidquid præter neceſſarium victum, & veſtitum de altari retinens, tuum non eſt, rapina eſt, & ſacrilegium*, Idem ſimilia iterat epiſt. 42. Advertant Clerici, quanta ſe damnatione aſtringant, qui fructus Eccleſiæ conferunt ad proprium luxum, vel augendas cognatorum opes. Require ſuperius circa hæc Concilii Antiocheni can. 24. cum ibi annotatis.

Can. 52. *Præsbytero, aut Diacono, aut Clerico ſine antiſtitis ſui litteris ambulanti, communionem nullus impendat.* Vide Apoſt. can. 15. 16. & 32. Et Chalcedonenſem cano. 13. & quæ congeſſi de litteris formatis, & dimiſſoriis ad Concilium Carthaginenſis, quinti canon. 7. Vide prætereà Conc. Trid. *ſeſſ.* 23. *cap.* 13.

Agathenſis canon. 55. *Epiſcopis, Preſbyteris, Diaconibus canes ad venandum, aut accipitres habere non liceat.* Idem ſtatuit Concilium Epaunenſe canon. 3. ſub Sigiſmundo Burgundiorum Rege, præſide Alcimo Auito Viennenſi Epiſcopo anno 518. & præterea Can. 13. Matiſconenſis ſecundi Concilii 55. Et obiter antiquitatem obſerva venationis per accipitres.

Agathenſis canon. *64*. Triennio ſuſpendit à communione primùm Clericos, qui à propria Eccleſia citrà

juſtam

corum id obſervandum eſſe decrevimus, ut nullus ſæcularium ad clericatus officium præſumatur, niſi aut cum Regis juſſione aut cum judicis voluntate. Simile eſt Sancitum *l. 6. Capitular. Caroli Magni cap.* 20. *de Clericis hominibus, qui ad ſervitutem Dei ſe tradere volunt, ut priùs hoc non faciant, quam à nobis licentiam poſtulent; hoc ideò quia audivimus aliquos ex illis non tam cauſa devotionis hoc feciſſe, quam pro exercitu ſeu alia functione regali fugienda. quoſdam verò cupiditatis cauſa ab his, quis res illorum concupiſcunt circumventos audivimus, & ideò hæc fieri prohibemus.* Cum legem tuliſſet Mauricius Imperator, qua & eos qui publicis adminiſtrationibus vacaſſent ad Eccleſiaſticum officium recipi, & milites non expletis ſtipendiis in monaſteriis admitti prohibebat, priorem quidem hujus legis partem non improbávit, ſed potiùs laudavit, poſteriori verò acriter reſtitit S. Gregorius Papa *l.* 2. *ep.* 62. ad Mauricium.

Can. 21. ſtatuit Abbates ſubeſſe Epiſcopis, & ab his, ſi deliquerint eſſe corrigendos. Require ſuperiùs can. 4. Chalcedonenſem, & Conc. Arelatenſe tertium cum annotatis.

Can 26. *Id Sacerdotibus omnibus eſt decretum, ut ante Paſchæ ſolemnitatem non quinquageſima, ſed quadrageſima teneatur.* Obſervandum eſt Teleſphori decreto, qui ſextus à Petro Pontificatum geſſit, Clericis omnibus injunctam fuiſſe abſtinentiam ſeptem plenarum hebdomadarum ante Paſcha, *Quia* (inquit) *diſcreta eſſe debet vita Clericorum, & Laicorum*. Legitur hoc in decreto *c. ſtatuimus diſt.* 4. Id verò quia fortaſſe jam obſoletum, & antiquatum erat, reducitur hic ad communem populi uſum.

Inchoatio verò jejunii à feria quarta poſt quinquageſimam necdum fuerat introducta: quin imò nec dum invaluerat ſub Gregorii Papæ I. Pontificatus exordiis, quibus certum eſt adhuc jejunium inchoari ſolitum feria ſecunda poſt Quadrageſimæ Dominicam, ut fidem facit ejuſdem Homilia 4. in Euang. quam etiam *ref.*

lib. 1. *de officiis cap.* 7. Non eſt tamen improbabile magnum Gregorium ſub vitæ ſuæ finem conſtituiſſe demum, ut à quarta poſt quinquageſimam feria, ut nunc invaluit conſuetudo, jejunium aperiretur: cùm Gregorii ipſius Sacramentarium quartam illam feriam caput, ac initium jejunii eſſe affirmet; etſi aliqui ſuſpicentur eſſe laciniam ſacramentario Gregorii aſſutam.

Can. 29. *Rogationes, ſeu Litanias ante Aſcenſum Domini placuit celebrari, ita ut præmiſſum Triduanum jejunium in Aſcenſionis Dominicæ ſolemnitate ſolvatur: per quod triduum ſervi, & ancillæ opere relaxentur, quo magis plebs univerſa conveniat. Quo triduo omnes abſtineant, & quadrageſimalibus cibis utantur.* Sidonius Apollinaris *l.* 7. *epiſt.* 1. ad Mamertum Viennenſem Epiſcopum, hunc ipſum prędicat authorem Rogationum, quarum præſidio, civium ſuorum, quorum exitium & multa de cœlo prodigia, & barbatarum gentium incurſiones interminabantur, ſaluti conſuluerit. Hæc porro contigerunt circa Chr. annum 474. Poſt Mamertum Eſychius Eccleſiæ Viennæ gubernacula ſuſcepit, cui ſucceſſit Avitus, qui homil. in Rogationes, ſic ait: *Currit tramite viali non per Gallias modò, ſed per orbem totum Rogationis obſervantiæ flumen irriguum.*

CONC. ARAUSICANUM II.

ARauſione convenit hæc Synodus ſecunda Chr. anno 529. ut Jacobus Sirmundus obſervat ſub Felice Papa IV. regnante in Italia Athalarico Amalaſuntæ filio; in Gallia verò liberis Clodovæi. Concilio præſedit Cæſarius Arelatenſis, quod approbavit Bonifac. II. Pont. in ſua ad Cæſarium ipſum epiſt. quam ex antiquis manuſcriptis Sirmundus in lucem protulit. Hac Synodo

nodo contra Semipelagianos, qui in Gallia maximè in ſecunda Narbonenſi provincia per hujus hæreſis præcipuos aſſertores eximii ingenii viros Caſſianum, & Fauſtum percrebuerant, Chriſti gratiæ neceſſitas commendata eſt. Caſſiani ſcripta ſolidè impugnaverat Proſper edito adversùs collatorem lib. Fauſti verò lib. 2. de libero arbitrio, & de præſcientia, ac prædeſtinatione oppoſitis, & ſincerioribus libris oppugnarunt 3. ſancti Epiſcopi Avitus Viennenſis, Fulgentius Ruſpenſis, & Cæſarius Arelatenſis.

Canon 3. *Si quis ad humanam invocationem gratiam Dei dicit conferri, non autem ipſam gratiam facere, ut invocetur à nobis contradicit Iſajæ Prophetæ, vel Apoſtolo dicenti: inventus ſum à non quærentibus me, palam apparui his, qui me non interrogabant.* Semipelagiani, ſeu Maſſilienſes, quamvis contra Pelagium gratiam Dei ad ſalutem neceſſariam aſſererent, attamen in hominis arbitrio ejus ſemina, & diſpoſitiones collocabant, ſcilicet in deſiderio ſalutis, ac fidei, aut in oratione: quibus rebus hominem propriis, & naturalibus relictum viribus gratiam mereri, & ad ſe attrahere dicebant, ut conſtat ex epiſtolis Proſperi, & Hilarii, quibus Auguſtinum admonent inſurgentis iſtius in Gallia hæreſis.

Can. 4. *Si quis, ut à peccato purgemur voluntatem noſtram Deum expectare contendit, non autem etiam ut purgari velimus per Spiritus ſancti infuſionem, & operationem in nos fieri confitetur, reſiſtit Spiritui ſancto per Salomonem dicenti præparatur voluntas à Domino: & Apoſtolo ſalubriter prædicanti: Deus eſt qui operatur in nobis velle, & perficere pro bona voluntate.* Sanctiſſimus Eccleſiæ doctor, & divinæ gratiæ propugnator inſignis Auguſtinus gratiæ Chriſti vim, & efficaciam his verbis deſcribit in lib. de gratia Chriſti cap. 10. *Sed nos eam gratiam volumus iſti fateantur, qua futuræ gloriæ magnitudo non ſolum promittitur, ſed etiam creditur, & ſperatur: nec ſolùm revelatur ſapientia, ſed etiam amatur: nec ſolùm ſuadetur omne quod bonum eſt, verum &*

perſuadetur. Hanc debet Pelagius gratiam confiteri, ſi vult non ſolùm vocari, ſed etiam eſſe Chriſtianus. Vis illa quidem à Lutero invecta, quæ humanam voluntatem neceſſitate adigat, arcenda procul à gratia eſt, ſolaque illi tribuenda virtus, & efficacia, cui poſſit humana libertas diſſentire ſi velit, ut definit Synodus Tridentina ſeſſ. 6. Canon. 4. idemque Auguſtinus, qui memorato ſuperius loco, aliiſque permultis aſſeruit gratiam victricem ſuum ſemper ſortiri effectum, ideò ut in libro *de prędeſt. Sanct. c.* 8. hæc aſſeveret: *Gratia quæ Dei benignitate humano cordi infunditur, à nullo duro corde reſpuitur; cùm ad hoc detur, ut duritiem auferat cordis*. Idem inquam *lib. de ſpiritu, & littera cap.* 33. luculenter docet integram ſub gratiæ ductu ſervari hominis libertatem, his verbis: *Profectò, & ipſum bonum velle Deus operatur in homine, & in omnibus miſericordia ejus prævenit nos: conſentire autem vocationi Dei, vel ab ea diſſentire, ſicut dixi, propriæ voluntatis eſt*. Hactenùs S. Doctor; nos verò errorem illum prorsùs averſamur, qui voluntarium cum libero ita confundit, ut ipſam etiam neceſſitatem cum libertate conciliet.

Canon 12. *Tales nos Deus amat, quales futuri ſumus ipſius dono, non quales ſumus noſtro merito*. Deſumptus eſt ex Auguſtini *epiſtol.* 105. docet hæc Synodus neminem quantumvis juſtum promereri poſſe ſuam ad æternam vitam prædeſtinationem, ſeu quod eodem recidit, finalis perſeverantiæ donum. Et fulcitur etiam iſto Canone merè gratuita in Dei propoſito æterno prædeſtinatio, hinc enim dependet ſeries omnis gratiæ, bonorumque operùm quibus æterna vita paratur. Priùs enim finis intenditur, deinde media eliguntur fini acquirendo convenientia. Itaque prædeſtinationis effectus, non verò cauſa ſunt gratiæ efficaces, & ex his procedentia bona opera, & quod non cadit ſub meritum perſeverantiæ donum. Unde Apoſtolus *Roman.* 9. *Non eſt videntis, neque currentis, ſed miſerentis Dei*. Idemque Apoſtolus Rom. 8. *Di-*

li-

ligentibus Deum omnia cooperantur in bonum his qui ſecundùm propoſitum (ſcilicet Dei, quod Dei propoſitum, ut obſervat Auguſtinus, Apoſtolus opponit voluntati, & operibus hominis) *vocati ſunt ſancti: quos enim præſcivit, illos & prædeſtinavit conformes fieri imaginis filii ſui, ut ſit ipſe primogenitus in multis fratribus*. Hinc optimum depromit argumentum gratuitæ hominum prædeſtinationis Auguſtinus *libr. de prædeſtinat. Sanctorum cap.* 15. & *de bono perſeverantię cap. ult.* ut cum prædeſtinatio Chriſti ſit exemplar, & origo prædeſtinationis Sanctorum, ſicut *Chriſtus prædeſtinatus eſt Filius Dei in virtute*, ut loquitur Paulus *Roman.* 1. ita ut gratuita prorsùs fuerit ejus prædeſtinatio ex mero, æternoque Dei propoſito, nullis ejus præcedentibus meritis, aut prævifis. Non enim Chriſtum Maria peperit merum hominem, qui poſtea meritis accedentibus aſſumeretur ad unionem hypoſtaticam Verbi, ſed ſimul & homo, & Deus eſſe cæpit. Itaque Chriſtus, & ad ejus exemplar Sancti per æternum Dei propoſitum prædeſtinati ſunt nullis prævifis, aut cauſantibus meritis; ſed quia prædeſtinati ſunt, ideò datum illis fuit, ut merentur divinæ gratiæ auxiliis vitam æternam. Proſequitur deinde Apoſtolus: *Quos autem prędeſtinavit* (nimirum quod præmiſit Apoſtolus ſecundum propoſitum) *illos, & vocavit* ſecundùm propoſitum (*quos autem juſtificavit*) ſecundum propoſitum) *illos & glorificavit* (ſecundum propoſitum.) Denique iſtum omnem de æterna apud Deum prædeſtinatione ſermonem Apoſtolus hac exclamatione concludit, quæ inepta eſſet, atque impertinens, ſi omnia eſſent ad præviſa hominum merita, & liberam oblatæ gratiæ acceptationem, aut rejectionem refundenda. *O altitudo divitiarum ſapientiæ, & ſcientiæ Dei? quam incomprehenſibilia ſunt judicia ejus, & inveſtigabiles viæ ejus? quis enim cognovit ſenſum Domini? aut quis conſiliarius ejus fuit? aut quis prior dedit illi, & retribuetur ei?* Roman. 11. quibus poſtremis verbis

oſtendit rurſus, & inſtat, Deum prævenire omnia hominum merita omnemque bonum uſum liberi arbitrii: & idcirco jure admirandum, atque inter arcana inſcrutabilia Dei habendum, cur hujus miſereatur, illius non miſereatur.

Canon 14. *Nullus miſer de quacumquè miſeria liberatur niſi per Dei miſericordiam præveniatur, ſicut Pſalmiſta dicit, Miſericordia ejus præveniet me. Et citò anticipet nos miſericordia tua Domine.*

Can. 17. *Fortitudinem gentilium mundana cupiditas facit, fortitudinem Chriſtianorum Dei charitas facit, quæ diffuſa eſt in cordibus noſtris, non per voluntatis arbitrium, ſed per Spiritum ſanctum, qui datus eſt nobis, nullis meritis gratiam prævenientibus.* Deſumptus eſt ex Auguſtini opere perfecto contra Julianum *lib.* 1. *num.* 83. Et ex ejuſdem libro *de patientia cap.* 17.

Can. 18. *Debetur merces bonis operibus ſi fiant, ſed gratia quæ non debetur præcedit ut fiant.* Hinc igitur copulantur gratuitum, & meritorium, quia hominis meritum gratiam præcedit Chriſti.

Can. 19. *Natura humana etſi in illa integritate in qua condita eſt permaneret, nullo modo ſe ipſum creatore ſuo non adjuvante ſervaret. Unde cum ſine gratia Dei ſalutem non poſſit cuſtodire quam accepit, quomodo ſine gratia Dei poterit reparare quod perdidit?* Decerptus Can. ex Auguſtini ep. 106.

Can. 20. *Multa in homine bona fiunt quæ non facit homo*(ut ſunt gratiæ omnes prævenientes de quibus ſup. diximus) *nulla autem bona facit homo, quæ Deus non præſtet ut faciat homo.* Depromitur ex Auguſt. *lib. contra duas ep. Pelagii c.* 8.

Can. 22. *Nemo de ſuo habet niſi peccatum, & mendacium.* Ex Auguſt. *tract.* 5. *in Joan.*

Can. 25. *Aliquot divina poteſtate ad malum prædeſtinatos eſſe non ſolùm non credimus, ſed etiam ſi ſint qui tantum malum credere velint, cum omni deteſtatione illis anathema dicimus.* Hæreticis conſuetum eſt falſa dogmata Catholicis affingere, ut ſanam eorum doctrinam in odium,

aut

aut contemptum adducant. Sic Neſtoriani Cyrillum columniabantur eſſe Apollinariſtam hæreticum. Et Eutychiani Orthodoxos, qui diſtinctas, & inconfuſas in Chriſto naturas propugnabant Neſtorianæ hæreſis inſimulabant. Ita etiam Fauſtus eique coetaneus Gennadius ex inconcuſſa S. Auguſtini doctrina, falſas, & malè cohærentes concluſiones eliciebant, quas Auguſtini diſcipulis falsò aſcribebant, eoſdemque hæreſi inſimulante dicebant Prædeſtinatianos: quam calumniam ut amolirentur Arauſicani patres, hunc canonem ad præcedentes addiderunt. Florus Hincmari ætati ſuppar, nomine Lugdunenſis Eccleſiæ librum pereruditum edidit in defenſionem Auguſtinianæ doctrinæ, in quo fictitium illud monſtrum hæreſis Prædeſtinatianorum à vaferrimo Fauſto excogitatum, & commentitiis Arelatenſi, & Lugdunenſi Conciliis proſcriptum ut Fauſtus comminiſcitur, & ab Hincmaro Remenſi poſt ducentos circiter, & ſexaginta ab ætate Fauſti annos reſuſcitatum affirmat eſſe meram fabulam, nec ullam fuiſſe unquam Prædeſtinatianorum ſectam. Sed hoc nomine Auguſtini defenſores, & diſcipulos fuiſſe à Semipelagianis notatos affingentibus eis falſa, & hæretica dogmata.

CONC. LUGDUNENSE I.

IStud ex antiquis manuſcriptis reſtituit in lucem Jacobus Sirmundus ſummi vir ingenii, eximièque de ſacris litteris meritus. Habitum fuit regnante in Burgundia Sigiſmundo, in Francia verò quatuor Clodovæi I. liberis ann. Chriſt. 517. huic præſedit Lugduni Epiſcopus Viventiolus. Hujus canon 2. ſpeciali nota dignus eſt: *Id quoque adjecimus, ut quicumque noſtram tribulationem quamcumque, vel amaritudinem, aut*

communionem fortaſſe poteſtatis neceſſe habuerit tolerare, omnes una cum eodem animo compatiantur: & quidquid vel diſpendiorum obtentu cauſæ unus ſuſceperit, conſolatio fraternæ anxietatis relevet tribulatos. Sapienter hoc decretum eſt, quia facilè contingit, ut Epiſcopus ex officio agens per æmulorum, aut malevolorum ſuggeſtiones cadat in principis offenſam, utque reliqui Epiſcopi ſive metu diſplicendi, ſive ambitione, ſive alia cupiditate adducti Principis iniquo affectui famulentur. Ut enim ſileam exemplum Joannis Chryſoſtomi, qui Eudoxia Auguſta illum inſectante, fuit Orthodoxorum etiam Epiſcoporum Synodo depoſitus, aliaq; hujuſmodi vetera exempla, nec extra Gallicanum regnum digrediar, in primis ſub regia Merovæi progenie in Synodo Pariſienſi oppreſſus eſt à Chilperico Rege, hucuſque conjuge Fredegundæ Prætextatus Rotomagorum Epiſcopus, ut refert Gregorius Turonenſis l. 5. hiſt. Francorum cap. 1. Sub ſecunda verò, id eſt Caroli Magni ſtirpe Carolo Calvo regnante, Hincmarus Remenſium antiſtes poteſtate, & gratia qua valebat apud Regem abutens, Sylvanectenſem Epiſcoporum aulicis artibus corruptorum Synodum coegit, qua Rotaldum Sueſſionum Epiſcopum, cui erat infenſus, juſtum, & integerrimæ vitæ præſulem Epiſcopatu dejecit, & ſedem Apoſtolicam fruſtrà appellantem retruſit in Monaſterium. Idemque Remenſis Hincmarus proprium nepotem ſuis injuſtis deſideriis non obtemperantem, cognominem Hincmarum Laudunenſem Epiſcopum in altero Epiſcoporum malignantium Conc. Duziacenſi deturbavit Epiſcopali ſede, carcere incluſit quantumvis provocantem ad Romanum Pontificem, eique Barbarica immanitate oculos effodit, ut fidem faciunt eorumdem temporum Conc. Gallicana. Sub tertia denique Franciæ Regum ſtirpe Hugo Capetus Rex ſuſpectum ſibi Arnulfum Remorum Pontificem, eò quod eſſet æmuli ſui Lotaringiæ ducis Caroli ex magni Caroli Auguſti

pro-

proſapia conſanguineus, per adulatorum, & aulæ mancipiorum Epiſcoporum Synodum Remis habitam ſede dimovit, & vinculis adduxit, ſuffecto ejus in locum Gerberto. Quam indignitatem, ut reſcivit Joannes Papa XV. rem totam miſſo in Galliam Legato Apoſtolico reviſit, & cauſa cognita libertati, priſtinæque dignitati Arnulfum reſtituit. Gerbertus itaque Gallia excedens ad Imperatorem Othonem III. ſe contulit, cujus opera promotus primum ad Archiepiſcopatum Ravenenſem: & poſtmodum defuncto Papa Gregorio V. ad Romanæ Eccleſiæ thronum conſcendit, nomenque Sylveſtri II. ortitus eſt.

CONC. TURONICUM. II.

HAbitum fuit regnante Lutetiæ Chariberto anno Chr. 570. hujus exordio Patres ita pronunciant *Eccleſiaſticæ diſciplinæ debet eſſe ſuffragium congregatio Sacerdotum.*

Can. 1. convocari jubet Synodum Metropolitani, ſuorumque Comprovincialium bis ſingulis annis, aut ſi neceſſitas inevitabilis hoc impedierit, ſaltem ſemel in anno. Mandatque ſingulis Epiſcopis, ut ad Synodum conveniant ſub excommunicationis pœna, à qua ſola diſpenſet certiſſima infirmitas, nullatenùs autem Regis obſequium, aut Regis ordinatio: *non enim* (ait) *ſpirituali operi debet præferri regalis præceptio.*

Can. 3. de loco ubi recondendum eſt admirabile Sacramentum, & can. 4. de loco Sanctuarii, & quinam ab ejus ingreſſu arceantur, jam retulimus in diatriba, quam Synodo Calcedonenſi ſubjecimus.

Can. 5. ſtatuit *ut quælibet Civitas pauperes ſuos incolas paſcat, ne aliis locis divagentur.*

Can.

Canon. 10. ſtatuit, ut Clerici victum ſibi veſtitumque artificiolo comparent, & ut iidem ſibi propriis manibus præparent refectionem; & ita prætextu careant in ſuas ædes mulierem famulitii cauſa introducendi. De his actum diffuſius ad Canones 51. & 52. Conc. Carthaginenſis quarti.

Canon. 18. aſſignat Monachorum jejunia per annum. Quia verò jejuniorum diebus non prandebatur, ſed ſolùm cænabatur, idcircò ſic ait: *De jejuniis antiqua à Monachis inſtituta conſerventur, ut de Paſcha uſque ad quinquageſimam* (id eſt Pentecoſten) *exceptis Rogationibus, omni die prandium fratribus præparetur. Poſt quinquageſimam tota hebdomada exactè jejunent. Poſteà uſque ad Kalendas Auguſti ter in ſeptimana jejunent, ſecunda, & quarta, & ſexta feria, exceptis his qui aliqua infirmitate conſtricti ſunt. In Auguſto, quia quotidie miſſæ Sanctorum ſunt, prandium habeant. In Septembri toto & Octobri, & Novembri, ſicut dictum eſt ter in ſeptimana. De Decembri uſque ad Natalem Domini omni die jejunent. Et quia inter Natalem Domini, & Epiphaniam omni die feſtivitates ſunt, itemque prandebunt. Excipitur triduum quod ad calcandam gentilium conſuetudinem Patres noſtri ſtatuerunt privatas in Kalendis Januarii fieri Litanias, ut in Eccleſiis pſallatur, & hora Octava in Kalendis ipſius Circumciſionis Miſſa Deo propitio celebretur. Poſt Epiphaniam vero uſque ad quadrageſimam, ter in ſeptimana jejunent.* In iſto Canone primum obſerva per triduum à Kalendis Januarii fuiſſe conſuetudinem veterem Litaniarum, & jejuniorum, ne fidelis populus communicaret ſacrilegis diſſolutionibus quibus indulgebant gentiles iiſdem diebus in honorem Jani: quemadmodum multis in Eccleſiis ſacros celebrari conventus cernimus cum orationibus, & concionibus triduo profanorum Bacchanalium à quinquageſima.

Obſerva ſecundò diebus jejuniorum Miſſam differri ſolitam ad horam octavam: quia hora nona, & non ante licebat in jejuniis extra quadrageſimam cibum

capere

capere. Incidebat autem nona in tertiam poſt meridiem horam. Quod verò attinet ad horam refectionis, ſeu cœna per quadrageſimam, ea differebatur in veſperam, quæ in horam à meridie ſextam incurrit. Meridies verò incurrebat in horam ſextam veterum. Quo factum eſt, ut quamvis hora cœnæ jejuniorum hodiernorum multum præ illo veteri ritu ſoleat anticipari, decantentur nihilominus veſpertinæ preces per quadrageſimam ante refectionem, atque adeò ante meridiem, non autem in reliquis per annum jejuniis. Nam veteres hora quæ nobis eſt poſt meridiem ſexta veſperas decantabant, indeque quadrageſimalibus jejuniis ad refectionem, hoc eſt cœnam prodibant. In reliquis autem per annum jejuniis Canon iſte 18. edicit, ut hora octava celebretur Miſſa, nimirum hora poſt meridiem ſecunda. Poſt Miſſam enim preces horæ nonæ concinebantur, quibus exactis occurrebat hora de meridie tertia, qua ibatur ad cœnam. Tertullianus contra Pſychicos cap. 10. ſcribit Pſychicos (ita per contumeliam ipſos appellat Catholicos ſuperbus, & protervus hæreticus) ſolitos non ultra nonam ſua omnia jejunia protrahere, ſuos verò hoc eſt hæreticos Montaniſtas, uſque ad veſperum. Id tamen apertè falſum, & calumnioſum eſt quoad jejunia Catholicorum quadrageſimalia, ut ex teſtimoniis ſequentibus liquet, Baſilius Magnus *homil.* 1. *de jejun.* loquens de quadrageſima. *Expecta* (inquit) *veſperam ut cibum capias* Chryſoſtomus *homil.* 4. *in Geneſ.* de quadrageſima pariter ſic dicit: *Non exiſtimemus inediam uſque ad veſperam ad ſalutem nobis ſufficere.* Paulinus *epiſt. 6. ad Amandum. Quotidiana*, inquit, *jejunia non refugit, & pauperem menſam veſpertinos conviva non horruit.* Hieronymus *epiſt. ad Euſtochium* refert de quibuſdam Monachis ſolitos fuiſſe poſt horam nonam cibum ſumere, & apud eos jejunium totius anni æquale eſſe, excepta quadrageſima, in qua diſtrictius vivitur, atque ad pœnitentiam vela laxantur.

Huc

Huc accedit etiam Conc. Cabilonenſe dicens: *Solent plures qui jejunare ſe putant in quadrageſima mox, ut audierint ſignum ad horam 9. manducare, qui nullatenus jejunare credendi ſunt, ſi ante manducaverint quam veſpertinum celebretur officium*. Citatur *de conſecr. diſt.* 1. Iſte quoque Turonenſis canon hoc idem perſpicuè decernit. Sic etiam teſtatur Micrologus *lib. de Eccleſiaſt. obſervationib. c.* 49. *In hoc differt quadrageſimale jejunium ab aliis, quod in aliis poſt* 9. *in hoc autem poſt veſperam reficere nos debemus: nec juxta Can quadrageſimaliter jejunare cenſemur, ſi ante veſperam reficimur*. Benedictus Monachorum pater in Regula c. 41. *Quarta, & 6. feria jejunent uſque ad nonam.* Et ſubinde: *ab initio quadrageſimæ uſque ad Paſcha ad veſperam reficiantur*. Nec verò Monachis id peculiare credas, ſic teſtatur Bernardus ſerm. 2. de quadrag. *Hactenus uſque ad 9. jejunavimus ſoli: nunc uſque ad veſperam jejunabunt nobiſcum ſimul univerſi Reges, & princeps, Clerus, & populus, nobiles, & ignobiles, ſimul in unum dives, & pauper*. Denique Auguſt. *ep.* 118. *ad Januarium*, ubi dicit horam ſolvendi jejunii eſſe nonam non de aliis ibi jejuniis loquitur quàm Sabbathorum per annum. Id ſanè fatendum, ab aliquot ſæculis fervorem Chriſtianorum multum deſerbuiſſe, ideòque Eccleſiam de priſtinæ diſciplinæ ſeveritate plurimum remiſiſſe, quatenus fideles in deteriora lapſi ejus diſtrictionis jugum è propriis cervicibus excuſſiſſent, ſi pia mater eos voluiſſet ad hoc adigere quod melius, & animabus curandis ſalubrius fuiſſet. Hinc peſſum iverunt publicæ antiquorum pænitentiæ, & canonum adversùs peccatores præſcripta pœnalia, hinc jejuniorum miræ relaxationes tùm horam præſcriptam longè anticipando, tùm comeſſationem anteà prohibitam jejuniis interſerendo, tum Xerophagias, de quibus ſuperiùs ad Laodicænum canonem tractavimus circa ciborum, & potus ſubſtantiam ferè omninò abolendo.

CON-

CONC. TOLETANUM III.

VAldè memorabile iſtud Concilium eſt, utpotè convocatum feliciſſimis auſpiciis cùm primùm Catholica fides, quæ priùs ſub Viſigottis Arianis oppreſſa in Hiſpaniis ingemuerat, & quam paulò ante Rex Leovigildus attrociter fuerat inſectatus, adeò ut primogenitum ſuum Hermenegildum ab Arianiſmo ad Catholicam fidem opera S. Leandri Hiſpalenſis Epiſcopi converſum præcellenti virtute principem in vincula conjecerit, & ad ultimum capite truncaverit. At hujus frater minor natu Recaredus fraternæ pietatis ſe præſtitit imitatorem. Hic mortuo parente Levigildo Regnum capeſſivit, ſimulque religionem Orthodoxam non modò profeſſus eſt, ſed etiam quanto potuit ſtudio fovit, & propagavit. Ea de cauſa ipſo Regni ſui exordio hanc Synodum curavit celebrari Pelagio II. Romæ Pontifice, anno Chr. 589. & Hiſpaniæ ęræ anno 627. hoc enim obiter diſcendum Hiſpanicam æram annis 38. anteriorem eſſe Chriſtiana epocha, ejuſque initium deſumi à Conſulatu Appii Claudii, & Norbani Flacci, quo factam inter triumviros Octavianum, Antonium, & Lepidum Imperii partitionem Senatus approbavit.

Subſcripſere Conc. antiſtites ex omni Hiſpania congregati, necnon ex ea Galliæ parte quæ tunc Viſigottorum Regibus parebat, Metropolites Narbonenſis aliique Gallicani Epiſc. per ſe aut delegatos a ſe Vicarios.

Sub eodem Rege Recaredo haud multò poſt hanc Toletanam Synodum, altera Narbone habita eſt Epiſcoporum Synodus, qui iidem ferè ſubſcripti leguntur in hac Toletana Migetius Narbonenſis Provinciæ Metropolitanus, & Epiſcopi Sedacius Biterrenſis, Boetius, aut Poetius Magalonenſis; (quæ poſteà ſedes,

ſedes Monſpelium translata fuit) Pelagius Nemanſenſis, Tigridus Agathenſis, Sergius Carcaſſonenſis, & Agrippinus de civitate Loteba, ea nunc Lodeus dicitur.

Obſervatu digniſſimus eſt canon 7. *Pro reverentia Dei Sacerdotum id univerſa ſancta conſtituit Synodus, ut quia ſolent crebrò menſis otioſæ fabulæ interponi, in omni Sacerdotali convivio lectio ſcripturarum divinarum miſceatur: per hoc enim & animæ ædificantur in bonum, & fabulæ non neceſſariæ prohibentur.* Citatur apud Gratianum *diſt.* 44. *c. pro reverentia.* Eadem pariter regula præſcribitur *c. in omnibus de conſecr. diſt.* 5.

CONC. MATISCONENSE II.

MAtiſcona oppidum eſt Æduorum amni Arari adjacens. Sedem habet Epiſcopalem Lugdunenſi Metropoli ſubjectam. Primum ibi Conc. celebratum fuerat in an. Chr. 582. Pelagio II. Pontifice, atque in iſta Galliæ parte, quæ Burgundia eſt, regnante Guntrano uno ex quatuor Clotarii liberis, qui regnum paternum in totidem partes, ſeu tetrarchias partiti fuerant, Chariberto Lutetiæ ſedem ſui regni collocante, Guntrano Aureliani, Chilperico Sueſſionibus, & Sigiberto Metis. Poſt ſexennium ſub iiſdem Pelagio Papa, & Guntrano Rege, celebratum majori frequentia fuit ſecundum Matiſconæ Con. anno 588. cui præſedit Priſcus Lugdunenſis, & cum eo ſederunt alii 60. Epiſcopi.

Hujus can. 4. præſcribitur, *ut omnes fideles diebus Dominicis viri, & mulieres altaris oblationem faciant in pane, & vino ſub Anathematis pœna.* Vide quæ annotavi ad Laodicænum can. 14.

Can. 6. *Quæcumque reliquiæ ſacrificiorum poſt peractam miſſam in ſacrario ſuperſederint quarta, vel ſexta feria innocen-*

centes ab illo cujus intereſt in Eccleſiam adducantur, & indicto eis jejunio, eaſdem reliquias conſperſas vino percipiant. Huc pertinet narratio Evagrii *l.* 4. *Hiſt. Eccl. c.* 36. Vetus (ait) conſuetudo Conſtantinopoli fuit, ut ſi quando multæ particulæ ſacratiſſimæ Euchariſtiæ ſupereſſent, pueri impuberes, qui ſcholas frequentabant accerſerentur, qui eas manducarent. Contingit ut puer quidam Judæi opificis vitrarii cum condiſcipulis admiſſus his reliquiis Sacramentorum participaverit. Hic domùm regreſſus patri cauſam moræ ſciſcitanti puer ſimplex, & innocens rem uti erat ſignificavit. At ille furore excandeſcens arreptum puerum in vitrariam fornacem conjecit accenſam, mater inſcia rei puerum toto triduo conquiſitum flebiliter in mariti officina compellat, cui puer de fornace reſpondit: Cum mater ad oſtium clibani accurrens puerum inter flammarum vortices illæſum conſpicit, qui ſe à quadam eximii decoris muliere ſervatum aſſeruit, quæ ad eum crebrò veniens etiam cibum quoties eſuriebat, allatum erogabat. Id miraculum protinus Juſtiniano Imperatori perlatum eſt, qui puerum, & matrem ſacro baptiſmo lubentes ablui curavit. Patrem autem in ſua impietate pertinacem crucis ſuſpendio damnavit.

Can. 15. injungit laicis, *ut occurrentibus in itinere Sacerdotibus ſe veneranter inclinent, & ſi ambo equitent, laicus de ſuo capite galerum auferat in Sacerdotis honorem. Sed ſi Sacerdos pedes incedat, & laicus equo vehatur, deſcendat in terram laicus in venerationis debitæ ſignificationem.* Contravenientes ſtatuit ad tempus ab Epiſcopo præfiniendum, eſſe ab Eccleſia, quam inhonorat, ſuſpenſos, ac interdictos.

Can. 19. clericis vetat forum ingredi criminale in quo examinantur criminum rei, aut damnatorum ſupplicio ſpectatores intereſſe.

CONC.

CONCILIUM CONSTANTIN. II.
& inter Oecumenica quintum.

NEſtorianam perfidiam, & Eutychianam impietatem Synodi Epheſina, & Chalcedonenſis proſtraverant, non tamen extinxerant. Pertinax enim malitia in multorum animis, & virus hæreſeos, & nova factionum molimina in dies alebat, & accendebat. Dudum etiam exoleti errores Origenis multis locis recrudeſcebant, unde innumera diſſidia per Orientem naſcebantur. In hac tamen multiplici hæreſum colluvie perfidia Eutychiana, quę regnante religioſiſſimo Principe Marciano in multorum animis metu potiùs quam voluntate repreſſa latebat, poſt illius obitum in tantam prorupit audaciam ut per omnem Aſiam, & vicinas Europæ regiones omni furore, & ſtrage graſſata ſit; & tres orientis Patriarchias Alexandrinam, Antiochenam, & Conſtantinopolitanam fœdè concuſſerit, de quibus ſingulis pauca hic perſtringenda.

In primis Alexandriæ audito ſtatim Marciani Auguſti interitu, qui dum ſuperſtes fuit Chalcedonenſem fidem ſtrenuè tutatus fuerat, ea ſoluti formidine quicumque Dioſcoro favebant, caput ſacrilegum extulerunt. Præcipui horum duces fuere Timotheus Ælurus, & Petrus Moggus. Hi primùm; ut refert Liberatus cap. 15. catervis hæreticorum ſtipati, Proterium adoriuntur Alexandrinum Epiſcopum, ex Chalcedonenſi decreto, in locum deturbati ea ſede Dioſcori ſubrogatum, eumque in baptiſterio, quo confugerat latitantem ingulant, & flammis injectum in cineres redigunt, quos inventum diſſipant. Ægerrimè hoc tulit qui Marciano ſucceſſerat Leo Auguſtus. Nec minùs tamen bacchantur Alexandriæ Eutychiani hortante Timotheo Æluro, qui per vim, & Orthodoxorum

rum cædes Patriarchicum Thronum dejecto inde Proterio invaſerat. Quin etiam poſt hujus invaſoris interitum per novam obſiſtentium Catholicorum ſtragem, & internecionem horrendam, projectiſſimæ nequitiæ hæreticum Petrum Moggum in ea ſede collocant.

Antiochiæ verò non ſegnius inſoleſcebant ejuſdem ſectæ hæretici authore præſertim Petro Cnapheo, ſeu Fullone, qui ad Eutychetis dogma hæreſin adjunxit Theopaſchitarum, voceſque triſagio addidit: *qui paſſus es pro nobis*: Iſte concitata adversùs Martyrium Epiſcopum Antiochenum multitudine, illam violentus ſedem occupavit. Quam eamdem decurſis aliquot annis alter Eutychianæ ſectæ propagator inſignis Severus invaſit, depulſo Flaviano Catholico præſule, favore ſubnixus & gratia Imperatoris Anaſtaſii, qui ſublato e vivis ſucceſſore Leonis Zenone Romanum regebat Imperium. Severus ex iſta ſic occupata ſede ſanctam Chalcedonenſem Synodum publicè anathematizavit, Eccleſias depopulatus eſt, pioſque omnes direptionibus, verberibus, carceribus, exiliis, cedibus atrociter divexavit, & in his 300. Monachos immániter excruciatos trucidavit, omniaque luctu, cruore, & cadaveribus funeſtavit.

Nec minùs infeſtas Eutychianorum furias paſſa eſt Conſtantinopolis Eccleſia. Primùm quidem ſub Acacio, qui Petrum Moggum in Alexandrino Epiſcopatu retinendo omni præſidio, & induſtria tutatus eſt, quique Chalcedonenſis fidei proditor diu fallacibus artibus diligentiam Romanorum Pontificum eluſit. Deinde ſub Antimo, qui abdicato Trapezuntis Epiſcopatu in ſedem Conſtantinopolitanam involavit, ut primum vacare cœpit obitu Epiphanii Catholici Epiſcopi, quam ille non deſtitit ſua deinceps hæreſi contaminare. Quæ cùm graviter ferret Romanus Epiſcopus Agapitus, qui per id tempus Theodati Gottorum Regis cauſa Conſtantinopolin ad Juſtinia-

num Auguſtum conceſſerat, non modò Antimi conſalutatione omnique communione abſtinuit, ſed & ipſum obſiſtente licèt Theodora Imperatrice Patriarchatu dimovit, Mæna ſpectatæ Religionis viro in illius locum ſuffecto, quem ſua ipſe manu ſacravit applaudente Senatu, & populo, ſuaque ſanctione id omne comprobante Juſtiniano. Et ita repreſſa illic hæreticorum veſania tantiſper conquievit.

Sed & Orientem infeſtabat prætereà hæreſis Neſtoriana, quam valdè fovebant libelli quidam à tribus authoribus editi. Quorum primus Theodorus Mopſueſtiæ Epiſcopus, qui ante Synodum Epheſinam adversùs hæreticos Eunomium, & Apollinarem ita ſcripſerat, ut unam tamen Chriſti perſonam, & Deum carne indutum, & Mariam fuiſſe Dei matrem palam inficiaretur. Igitur Neſtoriani interdictis per edicta Imperialia Neſtorii libris, ne deeſſet unde populi virus Neſtorianum haurirent, ſcripta Theodori ſtudioſè vulgarunt non Græco tantum idiomate, ſed converſa etiam in Syrorum, Perſarum, atque Armenorum ſermonem. Alter fuit Theodoritus Cyri Epiſcopus, qui duodecim Epheſinæ fidei capitibus à Cyrillo Alexandrino conſcriptis, totidem oppoſuerat, & cuderat acres, aculeataſq; cenſuras, Tertius Ibas Edeſſenæ civitatis Epiſcopus, qui ſcripta ad Marin Perſam epiſtola coarguit Rabulam deceſſorem ſuum, quod immeritò Mopſueſtenum quem optimè de Eccleſia meritum, & ſtrenuiſſimum hæreticorum debellatorem aſſeruit, anathemate damnaſſet. Poſtmodùm Dioſcorus ejuſque in Epheſino Conciliabulo aſſeclæ Edeſſenum Ibam duas Chriſti naturas prædicantem adversùs Eutychen crudeliter inſectati ſunt, tamquam ab Epheſina Synodo, & à Cyrillo diſſidentem, eumque ſæpiùs in vincula redactum, & condemnatum depoſuerunt. Ab his provocavit Ibas ad Synodum Chalcedonenſem, quæ Ibam Neſtorii dogma damnantem, & anathematizantem communioni, & priſtinæ digni-

gnitati reſtituendum duxit; de ipſius tamen ad Marin epiſt. nihil definivit.

Ad Neſtorianam, & Eutychianam luem 3. peſtis, & calamitas acceſſit ex duobus monachis novæ Lauræ, (id erat S. Sabæ in Palæſtina Monaſterium) Nonno, & Leontio Byſantino. Iſti collectos ex Origenis voluminibus maximos quoſq; errores in omnes orientis plagas diſperſerunt: quorum ſumma erat ante corpus anima extitiſſe in cœlo, ubi varia peccata commiſerit. Cælum, ſolem lunamque, & quæ cœlis ſupernatant aquas eſſe quaſdam animatas, & rationabiles virtutes. In reſurrectione corpora hominum rotunda, & orbiculata excitatum iri. Omnium damnatorum, & dæmonum, & hominum tormenta finem habitura. Impios homines, dœmoneſque in priorem ſuum à creatione ſtatum eſſe reſtituendos. Pro dæmonum ſalute Chriſtum denuò crucifigendum, atque idipſum patiendum eſſe à malignis, qui in cœlo ſunt ſpiritibus. Horum amentia ne latiùs in dies ſerperet, ſupplicitet id poſtulantibus Monachis quibuſdam Jeroſolymitanis, atque Pelagio Diacono Vigilii Papæ apocriſiario, & Menna Conſtantinopolis Patriarcha, Juſtinianus Imperator non tantum Eutychianos, ſed inſuper Origeniſtas ſevero coercuit edicto quod poſtea trium orientis Patriarcharum, ſed & Vigilii potiſſimùm ſuffragio comprobatum eſt. In quo illud aſſeritur ex Origenis libris Arium Manetem, ac ferè omnes reliquos hæreticos tamquam immanes feras ex antris, & caveis proſilientes, gregem dominicum devaſtaſſe. Iſtiuſmodi condemnationem iniquo admodum tulit animo Cæſaræ Cappadocum antiſtes Theodorus Origeni addictiſſimus, ſectaque Acephalus, quæ ramus, & propago quædam erat hæreſis Eutychianæ, prætereàque Pelagio Diacono ſummoperè infenſus.

Ut igitur qualcumque poterat Origeni, & Acephalis ferret ſuppetias, Juſtiniano principi, cujus gratia pollebat ſuadet, ne ſe tot curis, & laboribus confice-

ret in Acephalis inſectandis, & Chalcedonenſi tuenda Synodo; facili quippè negotio totum poſſe componi, ſi Mopſueſteni Theodori libros, Ibæ epiſtolam, & Theodoriti capitula publico edicto damnaret. Nec enim aliam ob cauſam quicumque cum Eutyche ſentiunt licet in varias diſſecti partes, à Chalcedonenſi Concilio decebat abhorrere, niſi quod Theodoritum, & Ibam juſtè ob hæreſim ſuisdudum ſedibus ejectos reſtituiſſet, atque in Synodi conſeſſum admiſiſſet. Deinde quod Ibæ relinquendo intactam epiſtolam ejuſque authorem honorificè reſtituendo, videretur hoc ipſo Theodori doctrinam tantoperè in ea epiſtola collaudatam approbaſſe. His verò deterſis tribus maculis fore tandem, ut alioqui graviſſima Synodus nemine diſcrepante ubique recipiatur.

Iſta Theodorus Cæſarienſis Juſtiniano vaferrimè ſimul, & mendaciſſimè ſuggeſſit. Non enim ſacra Synodus Theodoritum, & Ibam in communionem, & priſtinam ſedem, & ſacrum conſeſſum recepit, niſi poſt teſtimonia pœnitentiæ, & publicam ſinceræ fidei profeſſionem. Nec ullum Theodoro Mopſueſteno haberi honorem voluit, cùm nihil de illo propoſitum aut definitum in ea Synodo fuerit, ſed ſi qua ejus mentio fuit in his quæ ſcripſit Ibas, ea dumtaxat hiſtoricè recitata ſint, quomodo multæ in Conc. proferri aliquando ſolent privatorum ſcriptiones pro rerum occurrentium varietate. Longè quippe diſtant Synodica inquiſitio, & ſimplex recitatio. Si enim de ſingulis quæ recitantur definiendum eſſet, res in immenſum abirent, & Synodi ſcopus cui ſedulè intendendum eſt in diverticula innumera moleſtiarum, & confuſionum plena diſtraheretur. At Theodorus ipſe in unum illum ſcopum collimabat, ut Chalcedonenſi Conc. fidem abrogaret, omnemque procellam in Eutychianos incumbentem in horum adverſarios Neſtorianos converteret, Catholicos verò inter ſe committeret, ac ſchiſmate ab invicem divelleret,

unde ipſi debiliores evaderent, ſtudia & ſua alio diverterent, Eutychianis verò, & robur, ſecuritas accreſceret. Hæc ſapienter penetrans Vigilius Pontifex Theodorum iſta molientem ſcriptis litteris graviter coarguit: Juſtinianus tamen Theodoro morem gerens miſſis in omnem partem litteris Epiſcopos ad trium præfatorum capitum damnationem inſtanter urget. Horum pars quidem acquieſcit, pars verò metuens ne Chalcedonenſi Conc. fraus fieret, moras nectit, & rem non aliter, quam totius orbis deliberatione reſpondet eſſe dijudicandam, non verò privatorum aliquorum ſtudiis. Itaque rem eò tandem Juſtinianus deduxit, ut capitula tria ſimulque Origeniſtarum cauſam ad Oecumenicæ diſquiſitionem referrentur.

Anno igitur Chriſti 553 Conſtantinopolitana Synodus ſecunda, & inter Oecumenicas quinta indicitur. Interfuerunt Eutychius Regiæ urbis Epiſcopus, qui Mennæ ſucceſſerat, Appollinaris Alexandrinus, Domnus Antiochenus, tres quoque qui abſentis Euſtochii Jeroſolymitani Epiſcopi vices agebant, omneſque ſimul fuere centum ſexaginta Epiſcopi. Vigilius verò Papa, qui non abs re multum in univerſam Eccleſiam diſcriminis ex iſta machinatione, quam Theodori Cæſarienſis fraudulenta mens pepererat, ſuſpicabatur, pertimeſcebat, neque aliter in iſtam convocationem conſenſerat, quam quia Juſtiniani potentiæ, ſeù potiùs impotentiæ obſiſtere citra ipſius Eccleſiæ grave aliud periculum, & damnum minimè poterat, non judicavit per ſe, aut ſuos legatos huic aſſiſtere Synodo, licèt tum temporis ab ipſo Juſtiniano accitus Conſtantinopoli verſaretur, ne ſua præſentia per ſæcularem poteſtatem adigeretur (ſicut pluries in aliis Conciliis per Imperatores convocatis contigerat ipſis orthodoxis Epiſcopis, atque aliquando ipſi Liberio Pontifici) ad quidquam quod ipſi Eccleſiæ dedecori, ac detrimento verteret; ſed ſibi ſine

cujus approbatione Synodus nihil ratum ac validum poterat decernere, expectandum eſſe totius rei exitum, maximè cum abeſſent Occidentis Epiſcopi, à quibus ſinceriorem poterat ſibi fidem polliceri, & certiorem in eorum animis fiduciam collocare. Sic namque integrum ſibi fore approbare, aut reprobare quæcumque tandem Synodus decreviſſet. Hanc Vigilii tanto in diſcrimine prudentiam magnoperè commendat illuſtriſſimus annalium ſcriptor.

Vigilius tamen ut ad Concil. accederet, eique præſideret etiam atque etiam rogatus fuit, primùm quidem à tribus Patriarchis, & ſeptendecim Epiſcopis, qui honorifica penes eum legatione Concilii nomine functi ſunt: Deinde à tribus Patriciis cum pluribus ſimul Epiſcopis ab Imperatore miſſis; nullis tamen precibus adduci potuit, ut à Præceſſorum ſuorum (hanc enim obtendit excuſationem) conſuetudine recedat, qui nunquam in Oecumenicis Synodis conſederant. Prolixè tamen ſuam voluntatem, & conſenſum pollicitus eſt, in his rebus, quæ ſacro approbante Concilio pro Eccleſiæ dignitate decernendæ erant.

Patres in ſecretario Concilium auſpicantur. Actum eſt in primis de Theodoro Mopſueſteno, cujus productis, & examinatis libris anathema in eum, ejuſque doctrinam conclamatum eſt: definitumque producto in hanc rem Auguſtini teſtimonio hæreticos etiam poſt mortem condemnari poſſe. Itum hinc eſt in epiſtolam Ibæ, quam ut à recta deflectentem fide Patres cenſura notarunt, & ultra legi prohibuerunt. Idemque decretum in capitula Theodoriti.

Quibus peractis editi ſunt can. 14. quibus Catholica fides adversùs Neſtorium, Acephalos, alioſque Eutychis, & Severi ſectarios explicata eſt.

Actum hic pariter de Origenis Didymi, & Euagrii erroribus, quos uno quaſi ore Patres omnes deteſtati ſunt. Operæ pretium erit omnem damnationis ſcri-

pro-

ptorum Origenis hiſtoriam ab ipſis primis exordiis contexere. Primus Origenis viventis libros damnaverat ejus Epiſcopus Demetrius Alexandrinus Patriarcha, eumque ut hæreticum anathematis ſententia perculerat, ut ſcribit Hieronymus *lib. 2. adverſùs Rufinum.* Pro ſui verò defenſione litteras Apologeticas ad omnes Eccleſias ſcripſit Origenes, quibus erroneorum dogmatum crimen à ſe amoliri ſtudet, refundens illa in quemdam æmulum, & hæreticum librorum Origenis exſcriptorem, qui ad ſanam Origenis doctrinam ſua zizania ſuperſeminaverit. Cæterùm ex officio feciſſet Origenes ſi ſufficienter providiſſet, ne (quod poſtea contigit) fraus aliqua ulli ex ſuis libris fieret, illique ſibi aſcriptis errores latiùs ſerperent. Colligendi ergo fuerant ab ipſo ſingillatim in unum quaſi faſciculum, & deinde ab ipſo refellendi, & Anathematizandi. Præterea non in uno altero ve codice, ſed uti obſervat præfatus Hieronym. in omnibus ferè libris, quos innumeros edidit Origenes, eædem ſemper hæreſes inſperſæ leguntur.

Contigit exindè ſub ann. Chriſti 399, ut Theophilus Alexandriæ Epiſcopus collecta ſubditorum ſibi Epiſcoporum Synodo libros damnaret. Origenis, ejuſque fautores communione fidelium excluderet. His rebus Theophilus ſcriptis litteris Anaſtaſium Roman. Pontificem fecit certiorem. Quibus acceptis litteris Anaſtaſius eodem anno, & Origenem, & Origeniſtas publica ſententia damnavit, ut teſtatur Hieronym. *epiſt. 71. ad ipſum Theophilum, & ep. 79. ad Pamachium, & Apolog. 1. & 2. ad Ruffinum.* Multitudo ſubinde Monachorum Ægypti à Theophilo ex tota Ægypto depellitur, conceditque in Palæſtinam, unde pariter ejecta Conſtantinopolin ad Chryſoſtomum confugit, qui eos peregrina communione ſuſcepit, providens ipſis de victu, promiſitque, fore ſe intermedium reconciliationis ipſorum cum Theophilo conciliatorem. Quia tamen formatas ab eo nullas habebant, ideò donec plenior cauſæ

cognitio haberetur, ut ſcribit Sozomenus *lib.* 8. *c.* 13. noluit monachos ad Sacramentorum Eccleſiæ communionem admittere, preces tamen eis in Eccleſia fundere non prohibuit.

Diu obſtitit Chryſoſtomus ne quod animo concipiebant Ægypto profugi monachi libellos accuſationem adversùs Theophilum Arcadio Auguſto exhiberent. At ubi nulla demùm ſpes illis reditus & pacis affulgere viſa eſt, non amplius diſtulere libellum Imperatori adversùs Theophilum offerre gravibus refertum accuſationibus, adeò ut Theophilus in capitis diſcrimen adduceretur. Credidit Theophilus ſimulque illius adversùs Origeniſtas commilito ſtudioſiſſimus Epiphanius Conſtantiæ Cypri Epiſcopus hanc fuiſſe Chryſoſtomo impulſore factam accuſationem & ipſum eſſe Origeniſtarum fautorem falſa in utroque perſuaſione deluſi. Epiphanius Theophili ſuaſu ad Chryſoſtomum ſcribit de cogenda Conſtantinopoli Synodo ad condemnandum Origeniſtas, ſicut à Theophilo Alexandriæ factum fuerat, & ab ipſo Anaſtaſio Romæ. Cui reſcripſit Chryſoſtomus Ægyptios monachos conqueri ſe falſis appeti accuſationibus. Quod verò ſpectabat ad rem Origeniſtarum, cùm id nulla fuiſſet Oecumenica Synodo definitum conſultius ſibi agendum videri circa libros Origenis, ne majus ex ea concertatione diſſidium, & ſchiſma naſceretur: quandoquidem plerique ſanctiſſimi Patres, & Eccleſiæ doctores magnam Origeni venerationem habuerunt. Epiphanius his minimè acquieſcens ſuadente Theophilo Conſtantinopolim profectus eſt.

Advenientem in urbem Epiphanium Chryſoſtomus omnibus humanitatis officiis proſequutus eſt, rogavitque ut una Eccleſia, & una domo ſecum uteretur. Ille verò negavit ſe ullatenus cum eo communionem habiturum, donec Origenis libros apertè damnaſſet, monachoſque Origeniſtas expuliſſet, Epiphanius poſt aliquot diſputationes, & ſimultates cum clericis, Epiſc.

qui

qui tunc in urbe Regia verſabantur, quoſque nec à Chryſoſtomo divellere, nec ad ſuas potuit transferre partes admonitus tandem ſibi periculum impendere, ſi fortè tumultus aliquis, aut ſeditio moveretur cujus ipſe incentor eſſet, deſtitit ab incæptis, & ex urbe directo in Cyprum itinere navigavit, re ob quam venerat infecta.

Digreſſo Conſtantinopoli Epiphanio Theophilus jubente Arcadio profectus eſt in Regiam civitatem, ut accuſationibus quibus impetebatur reſponderet. In hoc itinere complures collegit, ſecumque adduxit Epiſcopos, in animo habens quod re poſtea complevit, Synodum adversùs Chryſoſtomum in ipſius diœceſi celebrare. Sciebat enim Eudoxiam Auguſtam ſanctiſſimo præſuli, qui eam ſæpius coarguerat, eſſe infenſam. Quin etiam fortuitò evenit, ut cùm pro concione Chryſoſtomus alludens ad Eliæ prophetæ verba 3. *Reg.* 18. ſic exorſus eſſet: *Congregate ad me Sacerdotes dedecoris qui comedunt menſam Jezabel &c.* Quotquot ei adverſabantur Imperatricem acriùs in ipſius perniciem accenderint perſuadentes hæc conviciandi ſtudio prolata adversus eam fuiſſe, ſimulque adversùs Theophilum, Severianum, Acacium, Antiochum, Epiſcopos, qui Eudoxiæ cura, & impenſis Conſtantinopoli alebantur. Hæc ergo impotens irarum acrius conſpirat cum ejuſmodi Chryſoſtomo infenſis Epiſcopis in ipſius exitium,

Convenit itaque Concilium malignantium præſide Theophilo ad Quercum. Sic vocabatur Chalcedonis ſuburbium. Eò Citatus Chryſoſtomus reus cum non acceſſiſſet, damnatur abſens, & ſede, ac dignitate deponitur. Quin etiam poſtulante Pſeudoſynodo, & urgente Eudoxia ab Arcadio mittitur in exilium. Monachi verò profugi cum veniam ſupplices rogaſſent, redeunt in gratiam cum Theophilo. Hic verò qui graviſſimorum criminum acceſſitus reus Conſtantinopolim judicandus advenerat, Urbem primùm trium-

triumphali comitatu intravit, honoribus in aula cumulatus eſt, Synodumque in vicinia Regiæ urbis habuit, cui præſedit factus ex reo de repentè judex Epiſcopi ſibi nullatenùs ſubditi, atque in aliena Diœceſi, cujus etiam Antiſtiti ante aliquot annos totius orientis Epiſcopi in ſecunda Oecumenica Synodo altiorem dignitatis gradum præ omnibus orientis Patriarchis indulſerant.

Scribit Socrates hunc ipſum Theophilum cum frequenter Origenis ſcripta legeret, dicere ſolitum ejus libros ſimiles eſſe prato omnibus florum herbarumque generibus conſito, unde bona, & ſalubria multa decerperet, quæ verò mala inerant, miſſa faceret. Gelaſius etiam Papa prædeceſſoris ſui Anaſtaſii veſtigiis inſiſtens, in Concilio Romano de Origene ſic pronunciat: *Origenis nonnulla opuſcula quæ vir beatiſſimus Hieronymus non repudiat, legenda ſuſcipimus, reliqua autem omnia cum authore ſuo dicimus eſſe renuenda.* Ita Gelaſius qui anno 492. Pontificatum iniit annis circiter 60. ante iſtam Oecumenicam Synodum quintam,

Quam demùm Synodum ut propriùs attingamus, compertum eſt, ipſam multarum etiam inter Catholicos diſtenſionum ſeminarium fuiſſe, Quamvis enim circa fidei definitiones quas edidit, omnes Catholici convenirent; attamen in his quę circa facta, & perſonas verſabantur diſſenſiones acerrimæ, atque diuturnæ ſuccenſæ ſunt. Receptiſſimam, & inconcuſſam totius Eccleſiæ doctrinam his ipſis verbis tradit ſapientiſſimus Cardinalis Bellarminus *lib.* 3. *de Rom. Pontif. cap.* 2. Primò poſſe ſummum Pontificem cum ſuo cœtu conſiliariorum, vel cum generali Concilio errare in controverſiis facti particularibus, quæ ex informatione, teſtimoniiſque hominum pendent, Secundò poſſe ſummum Pontificem ut privatum doctorem errare etiam in quæſtionibus juris univerſalibus, tam fidei, quam morum, idque ex ignorantia ut aliis doctoribus contingit interdum. Verumtamen

tamen quicumque hoc prætextu Schiſmata in Eccleſiam inveherent, aut etiam Pontificem ipſum, vel Synodum pervicaciter deſpicerent, quibus ob dignitatem debetur ſemper à fidelibus veneratio, illi proculdubio Deum offenderent, & ſcandalum fidelibus obiicerent.

Cæterum ex iis qui tribus capitulis non acquieverunt perſuaſi damnationem illorum, vel non eſſe vero conſentaneam, vel etiam Synodo Chalcedonenſi (qui fuerat Theodori Cæſarienſis ſcopus) injurioſam, quidam eò progreſſi ſunt, ut ſeipſos à reliquis fidelibus divellerent, eorum communionem, & ſocietatem omnem averſantes, & ſchiſma ſponte inducentes. Hujuſmodi fuerunt Iſtriæ complures Epiſcopi, & Venetorum, & Liguriæ, Inſubriæque, atque in primis Paulinus Aquilejæ, & Honoratus Mediolani antiſtites. Hi namque Synodum iſtam tametſi authoritate jam Apoſtolica roboratam non ſunt veriti reprobare, in Pſeudoſynodo à ſe coacta non modo inconſulto ſed etiam palam adverſante Romano Pontif. Pelagio II. ut patet ex hujus ad ipſos epiſtolis. Atque hoc eſſe exordium Patriarchatus Aquileienſis per ſchiſma uſurpati Baronius autumat. Coactus igitur fuit Pelagius agere cum Narſete Patricio, & Exarcha Italiæ ſub Juſtiniano Principe, ut tantam proterviam ſua potentia, & armis compeſceret. Paulinum autem, & Honoratum ut nefarii ſchiſmatis authores militum cuſtodiæ traditos Conſtantinopolin ad Imperatorem traduceret. Quamquam cauſa etiam reformidandi magna erat Pelagio ipſi diram, & ſacrilegam Imperatoris tyrannidem, quæ paulò ante deſævierat cum horrendo univerſæ Eccleſiæ deſpectu, & ſcandalo contra Vigilium Papam, Synodum iſtam approbare renitentem.

Iſtæ quidem per Juſtinianum ejuſque in Italia Ducem Narſeten vexationes, excitarunt graves rerum turbas tota præſertim Italia, donec poſtremo Sancti

Gre-

Gregorii, & Sergii Pontif. monitis, & inſigni prudentia extinctum eſt iſtud incendium, ſedatæque perturbationes Eccleſiarum, ita ut Synodum 5. iidem tandem complecterentur, qui fuerant ei paulò ante infenſiores.

Alii verò trium quidem capitulorum damnationi minimè acquieſcentes, non ideò tamen à communione ſe ſubtrahebant eorum qui damnabant. In primis enim perſpicuum eſt Vigilium Papam hujuſmodi damnationi capitulorum, quæ ab eò enixè poſtulabatur diù, & conſtanter reſtitiſſe, nec eam potuiſſe Juſtinianum ab ipſo extorquere, niſi poſtquam ægritudine, ſenioque confectum Pontificem in tetrum carcerem alligato ad collum fune detruſit, in quo dies multos elanguit, modico tantùm pane, & aqua paſtus. Comites autem Vigilii Romano Clericos, ſeu vilia mancipia Juſtinianus ad metalla damnavit omni calamitate mactandos. Vigilius verò ærumnis confectus poſtquam ereptus è carcere Romam regreditur in Sicilia interiit. Scripſere de his Paulus Diaconus *lib. 3. c. 12. & lib. 4. cap. 4.* Beda *lib. de ſex ætatibus*. Liberatus in Breviario, addens Vigilium fuiſſe quidem ab hæreſi afflictum, ſed non coronatum, eò quod non aliter fuerit liber dimiſſus quàm trium capitulorum diu recuſatam damnationem relaxando. Hæreſim vero Liberatus non aliam dicit quàm Eutychianorum; qui hanc condemnationem fieri ſatagerant. Quamquam revera illa condemnatio nullatenus fidem catholicam lædebat, ſed tantum Neſtorianum dogma. Hoc etiam refert Liberatus, eos qui conſentiebant huic damnationi trium capitum fuiſſe à Juſtiniano muneribus donatos, & honoribus auctos, diſſentientes verò ſedibus, dignitatibus, & opibus ſpoliatos in ærumnoſa exilia relegatos fuiſſe, alioſque fuga latitantes in anguſtiis felicem (ſic loquitur Liberatus) exitum ſuſcepiſſe. Iſidorus quoque *de viris illuſt. cap. 25.* Victorem perhibet Epiſcopum Africanum fuiſſe pro trium capitulorum defenſione multatum exilio, de-

deinde in carcere mortuum ſub Juſtiniano. Facundus quoque Hermianenſis alter Epiſcopus Africanus eandem ob cauſam deportatus in ærumnoſum exilium fuit. Theodorus pariter Africanus Epiſcopus cum tria capitula reprobare nollet, relegatus ab eodem Juſtiniano fuit, quo in exilio vitam finivit, ſed honorificè tumulatus fuit juxta Confeſſorum Africanorum ſacra pignora, quibus Hunericus Vandalorum Rex linguas ob fidei conſtantem profeſſionem exciderat. Hæc in ſuo Chronico ſcribit Victor Tununenſis, qui temporibus illis Conſtantinopoli verſabatur.

Caſſiodorum quoq; hanc Synodum non probaſſe inde colligit Baronius ad ann. 556. n. 2. quod cum cæteras recenſeat Oecumenicas, nullam hujus habeat mentionem: ſicut ipſe S. Gregorius Papa feciſſe aliquando viſus eſt, dicendo ſe quatuor Oecumenicis Conciliis parem cum quatuor Euangeliis venerationem deferre. In quinto enim Concil. (ut ipſe atteſtatur) non de fide, ſed de perſonis tractatum fuit. De Felice verò trium capitulorum defenſore ita ſcribit libr. 3. epiſt. 14. *Felix præſentium lator cum nullatenus in hæreticorum dogmata lapſus ſit, nec à Catholica fide diſceſſerit, &c.* Idemque *lib. 3. epiſtol.* 37. ad Conſtantium Epiſcopum Mediolanenſem. *Quod autem ſcripſiſtis, quod epiſtolam meam Reginæ* (Longobardorum) *Theodolindæ tranſmittere minimè voluiſtis pro eo quòd quinta Synodus in ea nominabatur, ſi eam exinde ſcandalizari poſſe credidiſtis, rectè factum eſt, ut minimè tranſmitteretis: Unde nunc iſta facimus ut vobis placuit ut quatuor Synodos ſolummodò laudaremus. De illa autem Synodo, quæ poſtmodum Conſtantinopoli facta eſt, quæ à multis quinta nominatur, ſcire vos volo, quia nihil contra ſanctiſſimas Synodos conſtituerit, vel ſenſerit, quippe quia in ea de perſonis tantummodo, non autem de fide aliquid geſtum eſt. Et de his perſonis de quibus in Chalcedonenſi Synodo nihil continetur: ſed poſt expreſſas Synodos, ſeu Canones facta contentio, & extrema actio de perſonis ven-*

ventilata eſt, Nos tamen ſicut voluiſtis ita fecimus, ut ejuſdem Synodi nullam memoriam faceremus. Hæc ſanctus Gregorius: & ita ſe ille geſſit circa perſonas, quæ Schiſmate ſe ab approbatoribus hujuſce Concilii non diſcindebant. Quin etiam approbatiſſimum Concilium Toletanum decimum quartum receptis Leonis Papæ ſecundi litteris una cum actis ſextæ Synodi conſtituit, *ut poſt quartas Oecumenicas Synodos, hæc à Leone tranſmiſſa, qua Monothelitæ damnantur, quinto loco poneretur:* Unde ex conſequenti quintam iſtam excludebant ſub Juſtiniano adversùs tria capitula convocatam.

Admonet ſapienter Baronius, quintam Synodum malis initiis, & mala intentione auſpicatam nihil Eccleſiæ contuliſſe præter innumeras diſſentiones, clades, vexationes, ſchiſmata, & ſæcularis Imperii adversùs ſacros Pontifices, aliaſque Eccleſiaſticas perſonas diram horrendamque tyrannidem: nec per eam fuiſſe converſos, quinimò invaluiſſe magis hæreticos. Et cum contra ſummi Pontificis mentem, per ſæcularem poteſtatem hæreticorum pravis ſuaſionibus excitatam, coactum habitumque fuerit iſtud Concilium, nullo præſente Apoſtolico Legato, primuſque ſubſcripſerit, qui eidem propria præſedit authoritate Euthychius Conſtantinopolis Epiſcopus, fuiſſe manifeſtè illegitimum, & Schiſmaticum Conciliabulum, nullo modo cenſendum inter Eccleſiæ Concilia, niſi ex ſolo tempore, quo robur eidem acceſſit ex approbatione Apoſtolica, ſivè poſtquam Vigilius Papa carcere, & fame, ſuorumque miſerabili clade diu mactatus, ut ad hoc approbandum adigeretur: tandem approbavit, ut fidem facit ſexta Synodus. Act. 18. idque colligitur ex adducto ſuperiùs Liberati teſtimonio. Sive etiam ex decreto Pelagii Papæ, qui ſcripſit pro quinta Synodo memoratam ſuperius epiſtolam ad Narſetem, quamvis etiam tunc perduraret tyrannidis violentia, fremeretque adhuc Juſtinianus, ſive

(quan-

(quando jam Eccleſia majori ſecuritate, & pace fruebatur) ex approbatione S. Papæ Gregorii *l.* 1. *ep.* 24. *l.* 2. *ep.* 10. & 36. ſive ex approbatione Nicolai I. epiſt. ad Michaelem Imperatorem. Quibus omnibus adjungenda quoque approbatio Synodorum Oecumenicarum 6. & 7. Quin etiam urgente ipſa Juſtiniani tyrannide, nihil facere conſultius poterant Romani Pontifices, quam ut cederent illius voluntati, quia ſic erat occurrendum certiſſimo, & inevitabili totius Orientis adversùs Romanam Eccleſiam ſchiſmati.

Acta, decretaque Synodi 5. Latinè tantùm ſuperſunt, in quibus etiam haud pauca ſuppoſititia Baronius agnoſcit. Illa ſanè Theodoriti ad Joannem Antiochenum epiſtola his inſerta de obitu Cyrilli Alexandrini, cujus memoriam probris, & conviciis proſcindit, mera impoſtura eſt, cum Cyrillus ipſe litteras ſcripſerit ad Domnum Antiochenum Epiſcopum Joannis ſucceſſorem, quæ extant inter Cyrilli opera. Nicephorus etiam ſcribit in Catholico Cyrillum Joanni ſupervixiſſe. Imo in ſexta Oecumenica Synodo Act. 3. evidenter commonſtratum eſt, inſertos fraudulenter in actis hujus Synodi fuiſſe duos Vigilii Papæ ad Juſtinianum libros, & præterea Mennæ confictum ſermonem ad Vigilium: ex quibus arguitur illius ętatis Orientalium profuſa ad contexendas impoſturas licentia.

CONC. TOLETANUM. IV.

Quarta Toletana Synodus coacta ſub Honorio I. Pontifice fuit, regnante in Hiſpania, & in Narbonenſi Gallia Siſenando æræ Hiſpanicæ anno 671. epochæ verò Chriſti 633. in Baſilica ſanctæ virginis, & martyris Leocadiæ. Interfuit Rex Siſenandus, & ex omnibus Hiſpaniæ Provinciis, atque ex Narbonenſi

ſub-

ſubſcripſere 62. Epiſcopi propria manu, & alii ſeptem per procuratores. Inter quos eximia ſanctitate inſignes extiterunt, qui primus ſubſcripſerit Iſidorus Hiſpalenſis, ſcriptis libris, & publico Eccleſiæ cultu celeberrimus, alterum Eccleſiæ Hiſpalenſis Sydus poſt præceſſorem ſuum Leandrum Hiſpalenſem Viſigottorum Apoſtolum: præterea qui ordine quintus ſubſcripſit Juſtus Toletanus Epiſcopus, Stephanus Emeritenſis, Nonnitus Gerundenſis, Conantius Palentinus, Braulio Cæſaraugustanus faſtis omnes ſanctorum aſcripti.

Can.24.conſtituit, *ut puberes omnes, & abdoleſcentes clerici in uno atrii Conclavi ſimul habitent diſciplinis Eccleſiaſticis inſtituendi ſub ſenioris magiſtri probatiſſimi cura*. Similiter Concilii 2. Toletani can. 1. decreverat juvenes clericos in domo Eccleſiæ ſub Epiſcopi præſentia per ſibi præpoſitum erudiri. Ambo hi canones inſeruntur in decreto *diſt. 28. c. de his*, & 12. 8. 1. *c. omnis ætas*. Concilium Moguntinum ſub Carolo magno ſtatuit communem etiam convictum Canonicorum. Et Aurelianenſe 2. can. 9. providet ne clerici non ſæcularibus habitent. Aquiſgranenſe ſub Ludovico Pio can. 121. & can. 122. ſancit cunctis clericis æqualiter cibos diſtribui ad menſam. Idemque can. 134. modum, & formam præſcribit correctionis clericorum in commune viventium. Et ſubinde can. 135. præcipit regulam, & modum educationis, & convictus puerorum clericorum. Similiter edicit Conc. Pariſienſe *l. 1. cap.* 30. denique Trid. Concilium *ſeſſ.* 23. *cap.* 18. *de refor.* provideri jubet in ſingulis Diœceſibus ſeminaria, & ſcholas clericorum pro eorumdem inſtitutione. De his plenius Concilia, & acta Mediolanenſis Eccleſiæ ſub ſanctiſſimo præſule Carolo Borromæo. His adjungito S. Auguſtini exemplum, & diſciplinam, de quo in ejus vita cap. 5. ita perhibet Poſſidonius: *Cum ipſo ſemper clerici una etiam domo, & menſa ſumptibuſque communibus alebantur, & veſtiebantur.*

Can. 25. *Ut Preſbyteri quando in parœciis ordinantur, libellum officialem* (vulgo Rituale) *à Sacerdote accipiant, ut ad Eccleſias deputatas inſtructi accedant.*

Can. 31. *Epiſcopi in protegendis populis, ac defendendis injunctam ſibi à Deo curam non abigant, Ideòque dum conſpiciunt judices aut potentes pauperum oppreſſores exiſtere, priùs eos Sacerdotali admonitione redarguant; & ſi contempſerint emendari, eorum licentiam Regis auribus intiment, ut quos Sacerdotalis admonitio non flectit, ad juſtitiam regalis poteſtas ab impietate coerceat. Si quis autem Epiſcopus id neglexerit Concilio erit reus.* Epiſcopalis conſtantiæ erga magnatum violentiam, & injuſtitiam illuſtria ſuppeditant exempla S. Nicolaus Myræ antiſtes in Euſtachium Aſiæ proconſulem, ut in ipſius actis legitur. Sanctus Athanaſius in præfectum Lybiæ ex Cappadocia oriundum: quem etiam ab eodem communione fidelium præciſum S. Baſilius Cappadociæ Metropolita declaravit à fidelium conſortio extorrem epiſtol. 47. ad Athanaſ. Idemque Baſilius pari virtutis laude Modeſtum præſidem coercuit. Et Chryſoſtomus Eudoxiam Auguſtam, quæ viduæ agrum invaſerat ingreſſu Eccleſiæ prohibuit. Parem exercuit coercitionem Ambroſ. in Theodoſium Imperatorem ob Theſſalonicenſium promiſcuam cædem. Synæſius etiam Ptolomaidis Epiſcopus Andronicum Provinciæ Pentapolis præfectum virum crudeliſſimum, & rapacem, ſimulque ſcelerum ejus conſcium, & adminiſtrum Thoantem fruſtra præmonitos, & in flagitiis obſtinatos à cœtu fidelium excluſit, atque ad pœnitentiam demum adegit, ut in ſuis ipſe refert ep. 57. 58. 72. 89. Nec prætermittendus Sanctus Auguſtinus, qui præpotentem Africæ comitem, ſibique ſingulari neceſſitudine devinctum Bonifacium excommunicavit, eò quod hominem, qui ad Eccleſiam confugerat ſceleratum quidem, & morte dignum abſtrahi juſſiſſet, ut conſtat ex *append. epiſt. 6. & 7.* Idemque Auguſtinus *epiſtol. 159.* Marcellinum Africæ præ-

ſectum ita compellat: quoniam Chriſtiano loquor maximè in tali cauſa, non arroganter dixerim, audire te Epiſcopum jubentem convenit, domine eximie, & merito inſignis, atque chariſſime fili.

Can. 40. *Omnes clerici, vel lectores ſicut Sacerdotes, & Levitæ detonſo ſuperius capite, inferiùs, ſolam circuli coronam relinquant; non ſicut hucuſque in Galiciæ partibus lectores faciunt, qui prolixis, ut laicis comis in ſolo capitis apice modicum circulum tondent. Ritus enim iſte in Hiſpaniis hucuſque hæreticorum fuit, unde oportet, ut pro amputando ab Eccleſiis ſcandalo, hoc ſignum dedecoris auferatur.* En ut comam in quocunque clerico ſcandalum, & dedecoris ſignum ſanctiſſimi, & ſapientiſſimi patres vocant. Anicetus Papa *epiſt. ad cler. Gall.* ſic ait: *Clerici comam non nutriant, ſed deſuper caput in modum ſphæræ radant* Citatur *c. prohibet, diſt.* 23. Concilium Carthaginenſe quartum Canon. 44. *Clericus neque comam alat, neque barbam*. Citatur *cap. clericus diſt.* 42. Iſidorus *lib.* 2. *divin. offic. cap.* 4. inſtitutam ab ipſis Apoſtolis docet clericorum tonſuram, & coronam ad Nazaræorum imitationem, tanquam indicium, & profeſſionem peculiaris addictionis ad cultum Dei: quorum etiam ritu Paulus Jeroſolymis comam attondit, & purificatus in templo fuit *Act. Apoſt.* 21. Rem ſcribit mirificam Gregorius Turonenſis in vit. SS. Patrum cap. 17. *Sanctus*, inquit, *Nicetius Epiſcopus ab ipſo ortus ſui tempore deſignatus eſt clericus, nam cum partu fuiſſet effuſus omne caput ejus, ut eſt conſuetudo naſcentium infantium, à capillis quidem nudum cernebatur in circuito verò mediorum capillorum ordo apparuit, ut putares ab jiſdem coronam clerici fuiſſe ſignatam.* Ex tonſura quoque ortum habuit conſuetudo rogandi, & obteſtandi Epiſcopum per ipſius coronam. Hieronymus namque ad Auguſtinum epiſtol. quæ eſt apud Auguſtinum 26. ſic dicit: *Fratres tuos Dominum meum Alipium, & Dominum meum Euodium, ut nomine meo ſalutes precor coronam tuam.* Ipſeque Auguſtinus ad Proculianum Epi-

ſcopum epiſtol. 147. *Per coronam inquit noſtram nos adjurant veſtri, & per coronam veſtram vos adjurant noſtri.*

Canon. 62. *Judæi qui Chriſtianas mulieres in conjugio habent admoneantur ab Epiſcopo, ut ſi cum eis permanere cupiunt Chriſtiani efficiantur. Quod ſi admoniti noluerint, ſeparentur: quia non poteſt infidelis in ejus permanere conjunctione, quæ jam in Chriſtianam translata eſt fidem. Filii autem qui ex talibus nati exiſtunt fidem, atque conditionem majoris ſequantur. Similiter autem, & qui procreati ſunt de infidelibus melioribus, & fidelibus viris Chriſtianam Religionem ſequantur non Judaicam ſuperſtitionem.* Citatur *cap. Judæi, quæ Chriſtianas* 28. 81. Canonem iſtum Toletanum reſtrinxit deinde Innocentius III. ad duos caſus, nimirum ſi velit conjux infidelis ab eo divertere qui fidem ſuſcepit. Item ſi velit quidem cohabitare, ſed non citra injuriam, & offenſam Dei cap. quanto, & cap. gaudemus, de divort. His ſuffragatur Apoſtolus 1. *Corinth.* 7. *Si quis frater habet uxorem infidelem, & hæc conſentit habitare cum illo non dimittat illam. Quod ſi infidelis diſcedit, diſcedat, non enim ſervituti ſubjectus eſt frater, vel ſoror in hujuſmodi.* Satis innuens eo caſu poſſe fidelem progredi ad alias nuptias, ex conjugis infidelis diſceſſione. Cæterum in terris Pontificiæ ditionis ex quo una ſeorſim regione concludi cœperunt Judæi, renovari cæpit Canon hic Toletanus, nec licet converſo Judæo ſimul convivere cum conjuge non converſa, quia nec iſti permittitur inter Chriſtianos habitare, neque illi inter Hebræos. Quo circa Sanchez cum quibuſdam aliis obnixè contendit non poſſe converſum ex Paganiſmo, vel Judaiſmo cohabitare deinceps cum priore conjuge niſi convertatur, quamvis ſpondeat nullatenus obſiſtere profeſſioni, ac Religioni converſi conjugis. Obſervandum verò eſt impedimentum diſparitatis cultus, quo matrimonium dirimitur haud eſſe divini, ſed Eccleſiaſtici ju-

cujus approbatione Synodus nihil ratum ac validum poterat decernere, expectandum eſſe totius rei exitum, maximè cum abeſſent Occidentis Epiſcopi, à quibus ſinceriorem poterat ſibi fidem polliceri, & certiorem in eorum animis fiduciam collocare. Sic namque integrum ſibi fore approbare, aut reprobare quæcumque tandem Synodus decreviſſet. Hanc Vigilii tanto in diſcrimine prudentiam magnoperè commendat illuſtriſſimus annalium ſcriptor.

Vigilius tamen ut ad Concil. accederet, eique præſideret etiam atque etiam rogatus fuit, primùm quidem à tribus Patriarchis, & ſeptendecim Epiſcopis, qui honorifica penes eum legatione Concilii nomine functi ſunt: Deinde à tribus Patriciis cum pluribus ſimul Epiſcopis ab Imperatore miſſis; nullis tamen precibus adduci potuit, ut à Præceſſorum ſuorum (hanc enim obtendit excuſationem) conſuetudine recedat, qui nunquam in Oecumenicis Synodis conſederant. Prolixè tamen ſuam voluntatem, & conſenſum pollicitus eſt, in his rebus, quæ ſacro approbante Concilio pro Eccleſiæ dignitate decernendæ erant.

Patres in ſecretario Concilium auſpicantur. Actum eſt in primis de Theodoro Mopſueſteno, cujus productis, & examinatis libris anathema in eum, ejuſque doctrinam conclamatum eſt: definitumque producto in hanc rem Auguſtini teſtimonio hæreticos etiam poſt mortem condemnari poſſe. Itum hinc eſt in epiſtolam Ibæ, quam ut à recta deflectentem fide Patres cenſura notarunt, & ultra legi prohibuerunt. Idemque decretum in capitula Theodoriti.

Quibus peractis editi ſunt can. 14. quibus Catholica fides adversùs Neſtorium, Acephalos, alioſque Eutychis, & Severi ſectarios explicata eſt.

Actum hic pariter de Origenis Didymi, & Euagtii erroribus, quos uno quaſi ore Patres omnes deteſtati ſunt. Operæ pretium erit omnem damnationis ſcri-

pto-

ptorum Origenis hiſtoriam ab ipſis primis exordiis contexere. Primus Origenis viventis libros damnaverat ejus Epiſcopus Demetrius Alexandrinus Patriarcha, eumque ut hæreticum anathematis ſententia perculerat, ut ſcribit Hieronymus *lib. 2. adversùs Rufinum.* Pro ſui verò defenſione litteras Apologeticas ad omnes Eccleſias ſcripſit Origenes, quibus erroneorum dogmatum crimen à ſe amoliri ſtudet, refundens illa in quemdam æmulum, & hæreticum librorum Origenis exſcriptorem, qui ad ſanam Origenis doctrinam ſua zizania ſuperſeminaverit. Cæterùm ex officio feciſſet Origenes ſi ſufficienter providiſſet, ne (quod poſtea contigit) fraus aliqua ulli ex ſuis libris fieret, illique ſibi aſcriptis errores latiùs ſerperent. Colligendi ergo fuerant ab ipſo ſingillatim in unum quaſi faſciculum, & deinde ab ipſo refellendi, & Anathematizandi. Præterea non in uno alterove codice, ſed uti obſervat præfatus Hieronym. in omnibus ferè libris, quos innumeros edidit Origenes, eædem ſemper hæreſes inſperſæ leguntur.

Contigit exindè ſub ann. Chriſti 399, ut Theophilus Alexandriæ Epiſcopus collecta ſubditorum ſibi Epiſcoporum Synodo libros damnaret. Origenis, ejuſque fautores communione fidelium excluderet. His rebus Theophilus ſcriptis litteris Anaſtaſium Roman. Pontificem fecit certiorem. Quibus acceptis litteris Anaſtaſius eodem anno, & Origenem, & Origeniſtas publica ſententia damnavit, ut teſtatur Hieronym. *epiſt. 71. ad ipſum Theophilum, & ep. 79. ad Pamachium, & Apolog. 1. & 2. ad Ruffinum.* Multitudo ſubinde Monachorum Ægypti à Theophilo ex tota Ægypto depellitur, conceditque in Palæſtinam, unde pariter ejecta Conſtantinopolin ad Chryſoſtomum confugit, qui eos peregrina communione ſuſcepit, providens ipſis de victu, promiſitque, fore ſe intermedium reconciliationis ipſorum cum Theophilo conciliatorem. Quia tamen formatas ab eo nullas habebant, ideò donec plenior cauſæ

cognitio haberetur, ut ſcribit Sozomenus *lib. 8. c.* 13. noluit monachos ad Sacramentorum Eccleſiæ communionem admittere, preces tamen eis in Eccleſia fundere non prohibuit.

Diu obſtitit Chryſoſtomus ne quod animo concipiebant Ægypto profugi monachi libellos accuſationem adversùs Theophilum Arcadio Auguſto exhiberent. At ubi nulla demùm ſpes illis reditus & pacis affulgere viſa eſt, non amplius diſtulere libellum Imperatori adversùs Theophilum offerre gravibus refertum accuſationibus, adeò ut Theophilus in capitis diſcrimen adduceretur. Credidit Theophilus ſimulque illius adversùs Origeniſtas commilito ſtudioſiſſimus Epiphanius Conſtantiæ Cypri Epiſcopus hanc fuiſſe Chryſoſtomo impulſore factam accuſationem & ipſum eſſe Origeniſtarum fautorem falſa in utroque perſuaſione deluſi. Epiphanius Theophili ſuaſu ad Chryſoſtomum ſcribit de cogenda Conſtantinopoli Synodo ad condemnandum Origeniſtas, ſicut à Theophilo Alexandriæ factum fuerat, & ab ipſo Anaſtaſio Romæ. Cui reſcripſit Chryſoſtomus Ægyptios monachos conqueri ſe falſis appeti accuſationibus. Quod verò ſpectabat ad rem Origeniſtarum, cùm id nulla fuiſſet Oecumenica Synodo definitum conſultius ſibi agendum videri circa libros Origenis, ne majus ex ea concertatione diſſidium, & ſchiſma naſceretur: quandoquidem plerique ſanctiſſimi Patres, & Eccleſiæ doctores magnam Origeni venerationem habuerunt. Epiphanius his minimè acquieſcens ſuadente Theophilo Conſtantinopolim profectus eſt.

Advenientem in urbem Epiphanium Chryſoſtomus omnibus humanitatis officiis proſequutus eſt, rogavitque ut una Eccleſia, & una domo ſecum uteretur. Ille verò negavit ſe ullatenus cum eo communionem habiturum, donec Origenis libros apertè damnaſſet, monachoſque Origeniſtas expuliſſet, Epiphanius poſt aliquot diſputationes, & ſimultates cum clericis, Epiſc.

qui

qui tunc in urbe Regia verſabantur, quoſque nec à Chryſoſtomo divellere, nec ad ſuas potuit transferre partes admonitus tandem ſibi periculum impendere, ſi fortè tumultus aliquis, aut ſeditio moveretur cujus ipſe incentor eſſet, deſtitit ab incæptis, & ex urbe directo in Cyprum itinere navigavit, re ob quam venerat infecta.

Digreſſo Conſtantinopoli Epiphanio Theophilus jubente Arcadio profectus eſt in Regiam civitatem, ut accuſationibus quibus impetebatur reſponderet. In hoc itinere complures collegit, ſecumque adduxit Epiſcopos, in animo habens quod re poſtea complevit, Synodum adversùs Chryſoſtomum in ipſius diœceſi celebrare. Sciebat enim Eudoxiam Auguſtam ſanctiſſimo præſuli, qui eam ſæpius coarguerat, eſſe infenſam. Quin etiam fortuitò evenit, ut cum pro concione Chryſoſtomus alludens ad Eliæ prophetæ verba 3. *Reg.* 18. ſic exorſus eſſet: *Congregate ad me Sacerdotes dedecoris qui comedunt menſam Jezabel &c.* Quotquot ei adverſabantur Imperatricem acriùs in ipſius perniciem accenderint perſuadentes hæc conviciandi ſtudio prolata adversus eam fuiſſe, ſimulque adversùs Theophilum, Severianum, Acacium, Antiochum, Epiſcopos, qui Eudoxiæ cura, & impenſis Conſtantinopoli alebantur. Hæc ergo impotens irarum acrius conſpirat cum ejuſmodi Chryſoſtomo infenſis Epiſcopis in ipſius exitium,

Convenit itaque Concilium malignantium præſide Theophilo ad Quercum. Sic vocabatur Chalcedonis ſuburbium. Eò Citatus Chryſoſtomus reus cum non acceſſiſſet, damnatur abſens, & ſede, ac dignitate deponitur. Quin etiam poſtulante Pſeudoſynodo, & urgente Eudoxia ab Arcadio mittitur in exilium. Monachi verò profugi cum veniam ſupplices rogaſſent, redeunt in gratiam cum Theophilo. Hic verò qui graviſſimorum criminum acceſitus reus Conſtantinopolim judicandus advenerat, Urbem primùm trium-

triumphali comitatu intravit, honoribus in aula cumulatus eſt, Synodumque in vicinia Regiæ urbis habuit, cui præſedit factus ex reo de repentè judex Epiſcopi ſibi nullatenùs ſubditi, atque in aliena Diœceſi, cujus etiam Antiſtiti ante aliquot annos totius orientis Epiſcopi in ſecunda Oecumenica Synodo altiorem dignitatis gradum præ omnibus orientis Patriarchis indulſerant.

Scribit Socrates hunc ipſum Theophilum cum frequenter Origenis ſcripta legeret, dicere ſolitum ejus libros ſimiles eſſe prato omnibus florum herbarumque generibus conſito, unde bona, & ſalubria multa decerperet, quæ verò mala inerant, miſſa faceret. Gelaſius etiam Papa præceſſoris ſui Anaſtaſii veſtigiis inſiſtens, in Concilio Romano de Origene ſic pronunciat: *Origenis nonnulla opuſcula quæ vir beatiſſimus Hieronymus non repudiat, legenda ſuſcipimus, reliqua autem omnia cum authore ſuo dicimus eſſe renuenda.* Ita Gelaſius qui anno 492. Pontificatum iniit annis circiter 60. ante iſtam Oecumenicam Synodum quintam.

Quam demùm Synodum ut propriùs attingamus, compertum eſt, ipſam multarum etiam inter Catholicos diſtenſionum ſeminarium fuiſſe. Quamvis enim circa fidei definitiones quas edidit, omnes Catholici convenirent; attamen in his quæ circa facta, & perſonas verſabantur diſſenſiones acerrimæ, atque diuturnæ ſuccenſæ ſunt. Receptiſſimam, & inconcuſſam totius Eccleſiæ doctrinam his ipſis verbis tradit ſapientiſſimus Cardinalis Bellarminus *lib. 3. de Rom. Pontif. cap. 2.* Primò poſſe ſummum Pontificem cum ſuo cœtu conſiliariorum, vel cum generali Concilio errare in controverſiis facti particularibus, quæ ex informatione, teſtimoniiſque hominum pendent, Secundò poſſe ſummum Pontificem ut privatum doctorem errare etiam in quæſtionibus juris univerſalibus, tam fidei, quam morum, idque ex ignorantia ut aliis doctoribus contingit interdum. Verumtamen

tamen quicumque hoc prætextu Schiſmata in Eccleſiam inveherent, aut etiam Pontificem ipſum, vel Synodum pervicaciter deſpicerent, quibus ob dignitatem debetur ſemper à fidelibus veneratio, illi proculdubio Deum offenderent, & ſcandalum fidelibus obiicerent.

Cæterum ex iis qui tribus capitulis non acquieverunt perſuaſi damnationem illorum, vel non eſſe vero conſentaneam, vel etiam Synodo Chalcedonenſi (qui fuerat Theodori Cæſarienſis ſcopus) injurioſam, quidam eò progreſſi ſunt, ut ſeipſos à reliquis fidelibus divellerent, eorum communionem, & ſocietatem omnem averſantes, & ſchiſma ſponte inducentes. Hujuſmodi fuerunt Iſtriæ complures Epiſcopi, & Venetorum, & Liguriæ, Inſubriæque, atque in primis Paulinus Aquilejæ, & Honoratus Mediolani antiſtites. Hi namque Synodum iſtam tametſi authoritate jam Apoſtolica roboratam non ſunt veriti reprobare, in Pſeudoſynodo à ſe coacta non modo inconſulto ſed etiam palam adverſante Romano Pontif. Pelagio II. ut patet ex hujus ad ipſos epiſtolis. Atque hoc eſſe exordium Patriarchatus Aquileienſis per ſchiſma uſurpati Baronius autumat. Coactus igitur fuit Pelagius agere cum Narſete Patricio, & Exarcha Italiæ ſub Juſtiniano Principe, ut tantam proterviam ſua potentia, & armis compeſceret. Paulinum autem, & Honoratum ut nefarii ſchiſmatis authores militum cuſtodiæ traditos Conſtantinopolin ad Imperatorem traduceret. Quamquam cauſa etiam reformidandi magna erat Pelagio ipſi diram, & ſacrilegam Imperatoris tyrannidem, quæ paulò ante deſævierat cum horrendo univerſæ Eccleſiæ deſpectu, & ſcandalo contra Vigilium Papam, Synodum iſtam approbare renitentem.

Iſtæ quidem per Juſtinianum ejuſque in Italia Ducem Narſeten vexationes, excitarunt graves rerum turbas tota præſertim Italia, donec poſtremo Sancti

Gre-

Gregorii, & Sergii Pontif. monitis, & inſigni prudentia extinctum eſt iſtud incendium, ſedatæque perturbationes Eccleſiarum, ita ut Synodum 5. iidem tandem complecterentur, qui fuerant ei paulò ante infenſiores.

Alii verò trium quidem capitulorum damnationi minimè acquieſcentes, non ideò tamen à communione ſe ſubtrahebant eorum qui damnabant. In primis enim perſpicuum eſt Vigilium Papam hujuſmodi damnationi capitulorum, quæ ab eò enixè poſtulabatur diù, & conſtanter reſtitiſſe, nec eam potuiſſe Juſtinianum ab ipſo extorquere, niſi poſtquam ægritudine, ſenioque confectum Pontificem in terrum carcerem alligato ad collum fune detruſit, in quo dies multos elanguit, modico tantùm pane, & aqua paſtus. Comites autem Vigilii Romano Clericos, ſeu vilia mancipia Juſtinianus ad metalla damnavit omni calamitate mactandos. Vigilius verò ærumnis confectus poſtquam ereptus è carcere Romam regreditur in Sicilia interiit. Scripſere de his Paulus Diaconus *lib.* 3. *c.* 12. *& lib.* 4. *cap.* 4. Beda *lib. de ſex ætatibus*. Liberatus in Breviario, addens Vigilium fuiſſe quidem ab hæreſi afflictum, ſed non coronatum, eò quod non aliter fuerit liber dimiſſus quàm trium capitulorum diu recuſatam damnationem relaxando. Hæreſim vero Liberatus non aliam dicit quàm Eutychianorum; qui hanc condemnationem fieri ſatagerant. Quamquam revera illa condemnatio nullatenus fidem catholicam lædebat, ſed tantum Neſtorianum dogma. Hoc etiam refert Liberatus, eos qui conſentiebant huic damnationi trium capitum fuiſſe à Juſtiniano muneribus donatos, & honoribus auctos, diſſentientes verò ſedibus, dignitatibus, & opibus ſpoliatos in ærumnoſa exilia relegatos fuiſſe, alioſque fuga latitantes in anguſtiis felicem (ſic loquitur Liberatus) exitum ſuſcepiſſe. Iſidorus quoque *de viris illuſt. cap.* 25. Victorem perhibet Epiſcopum Africanum fuiſſe pro trium capitulorum defenſione multatum exilio, de-

deinde in carcere mortuum ſub Juſtiniano. Facundus quoque Hermianenſis alter Epiſcopus Africanus eandem ob cauſam deportatus in ærumnoſum exilium fuit. Theodorus pariter Africanus Epiſcopus cum tria capitula reprobare nollet, relegatus ab eodem Juſtiniano fuit, quo in exilio vitam finivit, ſed honorificè tumulatus fuit juxta Confeſſorum Africanorum ſacra pignora, quibus Hunericus Vandalorum Rex linguas ob fidei conſtantem profeſſionem exciderat. Hæc in ſuo Chronico ſcribit Victor Tununenſis, qui temporibus illis Conſtantinopoli verſabatur.

Caſſiodorum quoq; hanc Synodum non probaſſe inde colligit Baronius ad ann. 556. n. 2. quod cum cæteras recenſeat Oecumenicas, nullam hujus habeat mentionem: ſicut ipſe S. Gregorius Papa feciſſe aliquando viſus eſt, dicendo ſe quatuor Oecumenicis Conciliis parem cum quatuor Euangeliis venerationem deferre. In quinto enim Concil. (ut ipſe atteſtatur) non de fide, ſed de perſonis tractatum fuit. De Felice verò trium capitulorum defenſore ita ſcribit libr. 3. epiſt. 14. *Felix præſentium lator cum nullatenus in hæreticorum dogmata lapſus ſit, nec à Catholica fide diſceſſerit, &c.* Idemque *lib. 3. epiſtol.* 37. ad Conſtantium Epiſcopum Mediolanenſem. *Quod autem ſcripſiſtis, quod epiſtolam meam Reginæ* (Longobardorum) *Theodolindæ tranſmittere minimè voluiſtis pro eo quòd quinta Synodus in ea nominabatur, ſi eam exinde ſcandalizari poſſe credidiſtis, rectè factum eſt, ut minimè tranſmitteretis: Unde nunc iſta facimus ut vobis placuit ut quatuor Synodos ſolummodò laudaremus. De illa autem Synodo, quæ poſtmodum Conſtantinopoli facta eſt, quæ à multis quinta nominatur, ſcire vos volo, quia nihil contra ſanctiſſimas Synodos conſtituerit, vel ſenſerit, quippe quia in ea de perſonis tantummodo, non autem de fide aliquid geſtum eſt. Et de his perſonis de quibus in Chalcedonenſi Synodo nihil continetur: ſed poſt expreſſas Synodos, ſeu Canones facta contentio, & extrema actio de perſonis*

ven-

ventilata eſt, Nos tamen ſicut voluiſtis ita fecimus, ut ejuſdem Synodi nullam memoriam faceremus. Hæc ſanctus Gregorius: & ita ſe ille geſſit circa perſonas, quæ Schiſmate ſe ab approbatoribus hujuſce Concilii non diſcindebant. Quin etiam approbatiſſimum Concilium Toletanum decimum quartum receptis Leonis Papæ ſecundi litteris una cum actis ſextæ Synodi conſtituit, *ut poſt quartas Oecumenicas Synodos, hæc à Leone tranſmiſſa, qua Monothelitæ damnantur, quinto loco poneretur*: Unde ex conſequenti quintam iſtam excludebant ſub Juſtiniano adversùs tria capitula convocatam.

Admonet ſapienter Baronius, quintam Synodum malis initiis, & mala intentione auſpicatam nihil Eccleſiæ contuliſſe præter innumeras diſſentiones, clades, vexationes, ſchiſmata, & ſæcularis Imperii adversùs ſacros Pontifices, aliaſque Eccleſiaſticas perſonas diram horrendamque tyrannidem: nec per eam fuiſſe converſos, quinimò invaluiſſe magis hæreticos. Et cum contra ſummi Pontificis mentem, per ſæcularem poteſtatem hæreticorum pravis ſuaſionibus excitatam, coactum habitumque fuerit iſtud Concilium, nullo præſente Apoſtolico Legato, primuſque ſubſcripſerit, qui eidem propria præſedit authoritate Euthychius Conſtantinopolis Epiſcopus, fuiſſe maniſeſtè illegitimum, & Schiſmaticum Conciliabulum, nullo modo cenſendum inter Eccleſiæ Concilia, niſi ex ſolo tempore, quo robur eidem acceſſit ex approbatione Apoſtolica, ſivè poſtquam Vigilius Papa carcere, & fame, ſuorumque miſerabili clade diu mactatus, ut ad hoc approbandum adigeretur: tandem approbavit, ut fidem facit ſexta Synodus. Act. 18. idque colligitur ex adducto ſuperiùs Liberati teſtimonio. Sive etiam ex decreto Pelagii Papæ, qui ſcripſit pro quinta Synodo memoratam ſuperius epiſtolam ad Narſetem, quamvis etiam tunc perduraret tyrannidis violentia, fremeretque adhuc Juſtinianus, ſive

(quan-

(quando jam Eccleſia majori ſecuritate, & pace fruebatur) ex approbatione S. Papæ Gregorii *l.* 1. *ep.* 24. *l.* 2. *ep.* 10. & 36. ſive ex approbatione Nicolai I. epiſt. ad Michaelem Imperatorem. Quibus omnibus adjungenda quoque approbatio Synodorum Oecumenicarum 6. & 7. Quin etiam urgente ipſa Juſtiniani tyrannide, nihil facere conſultius poterant Romani Pontifices, quam ut cederent illius voluntati, quia ſic erat occurrendum certiſſimo, & inevitabili totius Orientis adversùs Romanam Eccleſiam ſchiſmati.

Acta, decretaque Synodi 5. Latinè tantùm ſuperſunt, in quibus etiam haud pauca ſuppoſititia Baronius agnoſcit. Illa ſanè Theodoriti ad Joannem Antiochenum epiſtola his inſerta de obitu Cyrilli Alexandrini, cujus memoriam probris, & conviciis proſcindit, mera impoſtura eſt, cum Cyrillus ipſe litteras ſcripſerit ad Domnum Antiochenum Epiſcopum Joannis ſucceſſorem, quæ extant inter Cyrilli opera. Nicephorus etiam ſcribit in Catholico Cyrillum Joanni ſupervixiſſe. Imo in ſexta Oecumenica Synodo Act. 3. evidenter commonſtratum eſt, inſertos fraudulenter in actis hujus Synodi fuiſſe duos Vigilii Papæ ad Juſtinianum libros, & prætereà Mennæ confictum ſermonem ad Vigilium: ex quibus arguitur illius ętatis Orientalium profuſa ad contexendas impoſturas licentia.

CONC. TOLETANUM. IV.

Quarta Toletana Synodus coacta ſub Honorio I. Pontifice fuit, regnante in Hiſpania, & in Narbonenſi Gallia Siſenando æræ Hiſpanicæ anno 671. epochæ verò Chriſti 633. in Baſilica ſanctæ virginis, & martyris Leocadiæ. Interfuit Rex Siſenandus, & ex omnibus Hiſpaniæ Provinciis, atque ex Narbonenſi

ſub-

ſubſcripſere *62.* Epiſcopi propria manu, & alii ſeptem per procuratores. Inter quos eximia ſanctitate inſignes extiterunt, qui primus ſubſcripſerit Iſidorus Hiſpalenſis, ſcriptis libris, & publico Eccleſiæ cultu celeberrimus, alterum Eccleſiæ Hiſpalenſis Sydus poſt præceſſorem ſuum Leandrum Hiſpalenſem Viſigottorum Apoſtolum: præterea qui ordine quintus ſubſcripſit Juſtus Toletanus Epiſcopus, Stephanus Emeritenſis, Nonnitus Gerundenſis, Conantius Palentinus, Braulio Cæſaraugustarius faſtis omnes ſanctorum aſcripti.

Can.24.conſtituit, *ut puberes omnes, & abdoleſcentes clerici in uno atrii Conclavi ſimul habitent diſciplinis Eccleſiaſticis inſtituendi ſub ſenioris magiſtri probatiſſimi cura*. Similiter Concilii 2. Toletani can. 1. decreverat juvenes clericos in domo Eccleſiæ ſub Epiſcopi præſentia per ſibi præpoſitum erudiri. Ambo hi canones inſeruntur in decreto *diſt. 28. c. de his, & 12. 8. 1. c. omnis ætas*. Concilium Moguntinum ſub Carolo magno ſtatuit communem etiam convictum Canonicorum. Et Aurelianenſe 2. can. 9. providet ne clerici non ſæcularibus habitent. Aquiſgranenſe ſub Ludovico Pio can. 121. & can. 122. ſancit cunctis clericis æqualiter cibos diſtribui ad menſam. Idemque can. 134. modum, & formam præſcribit correctionis clericorum in commune viventium. Et ſubinde can. 135. præcipit regulam, & modum educationis, & convictus puerorum clericorum. Similiter edicit Conc. Pariſienſe *l. 1. cap. 30.* denique Trid. Concilium *ſeſſ. 23. cap. 18. de refor.* provideri jubet in ſingulis Diœceſibus ſeminaria, & ſcholas clericorum pro eorumdem inſtitutione. De his plenius Concilia, & acta Mediolanenſis Eccleſiæ ſub ſanctiſſimo præſule Carolo Borromæo. His adjungito S. Auguſtini exemplum, & diſciplinam, de quo in ejus vita cap. 5. ita perhibet Poſſidonius: *Cum ipſo ſemper clerici una etiam domo, & menſa ſumptibuſque communibus alebantur, & veſtiebantur.*

Can.

Can. 25. *Ut Presbyteri quando in paræciis ordinantur, libellum officialem* (vulgo Rituale) *à Sacerdote accipiant, ut ad Eccleſias deputatas inſtructi accedant.*

Can. 31. *Epiſcopi in protegendis populis, ac defendendis injunctam ſibi à Deo curam non abigant, Ideòque dum conſpiciunt judices aut potentes pauperum oppreſſores exiſtere, priùs eos Sacerdotali admonitione redarguant; & ſi contempſerint emendari, eorum licentiam Regis auribus intiment, ut quos Sacerdotalis admonitio non flectit, ad juſtitiam regalis poteſtas ab impietate coerceat. Si quis autem Epiſcopus id neglexerit Concilio erit reus.* Epiſcopalis conſtantiæ erga magnatum violentiam, & injuſtitiam illuſtria ſuppeditant exempla S. Nicolaus Myræ antiſtes in Euſtachium Aſiæ proconſulem, ut in ipſius actis legitur. Sanctus Athanaſius in præfectum Lybiæ ex Cappadocia oriundum: quem etiam ab eodem communione fidelium præciſum S. Baſilius Cappadociæ Metropolita declaravit à fidelium conſortio extorrem epiſtol. 47. ad Athanaſ. Idemque Baſilius pari virtutis laude Modeſtum præſidem coercuit. Et Chryſoſtomus Eudoxiam Auguſtam, quæ viduæ agrum invaſerat ingreſſu Eccleſiæ prohibuit. Parem exercuit coercitionem Ambroſ. in Theodoſium Imperatorem ob Theſſalonicenſium promiſcuam cædem. Synæſius etiam Ptolomaidis Epiſcopus Andronicum Provinciæ Pentapolis præfectum virum crudeliſſimum, & rapacem, ſimulque ſcelerum ejus conſcium, & adminiſtrum Thoantem fruſtra præmonitos, & in flagitiis obſtinatos à cœtu fidelium excluſit, atque ad pœnitentiam demum adegit, ut in ſuis ipſe refert ep. 57. 58. 72. 89. Nec prætermittendus Sanctus Auguſtinus, qui præpotentem Africæ comitem, ſibique ſingulari neceſſitudine devinctum Bonifacium excommunicavit, eò quod hominem, qui ad Eccleſiam confugerat ſceleratum quidem, & morte dignum abſtrahi juſſiſſet, ut conſtat ex *append. epiſt. 6. & 7.* Idemque Auguſtinus *epiſtol.* 159. Marcellinum Africæ præ-

ſectum ita compellat: quoniam Chriſtiano loquor maximè in tali cauſa, non arroganter dixerim, audire te Epiſcopum jubentem convenit, domine eximie, & merito inſignis, atque chariſſime fili.

Can. 40. *Omnes clerici, vel lectores ſicut Sacerdotes, & Levitæ detonſo ſuperius capite, inferiùs, ſolam circuli coronam relinquant; non ſicut hucuſque in Galiciæ partibus lectores faciunt, qui prolixis, ut laicis comis in ſolo capitis apice modicum circulum tondent. Ritus enim iſte in Hiſpaniis hucuſque hæreticorum fuit, unde oportet, ut pro amputando ab Eccleſiis ſcandalo, hoc ſignum dedecoris auferatur*. En ut comam in quocunque clerico ſcandalum, & dedecoris ſignum ſanctiſſimi, & ſapientiſſimi patres vocant. Anicetus Papa *epiſt. ad cler. Gall.* ſic ait: *Clerici comam non nutriant, ſed deſuper caput in modum ſphæræ radant* Citatur *c. prohibet, diſt.* 23. Concilium Carthaginenſe quartum Canon. 44. *Clericus neque comam alat, neque barbam*. Citatur *cap. clericus diſt.* 42. Iſidorus *lib.* 2. *divin. offic. cap.* 4. inſtitutam ab ipſis Apoſtolis docet clericorum tonſuram, & coronam ad Nazaræorum imitationem, tanquam indicium, & profeſſionem peculiaris addictionis ad cultum Dei: quorum etiam ritu Paulus Jeroſolymis comam attondit, & purificatus in templo fuit *Act. Apoſt.* 21. Rem ſcribit mirificam Gregorius Turonenſis in vit. SS. Patrum cap. 17. *Sanctus*, inquit, *Nicetius Epiſcopus ab ipſo ortus ſui tempore deſignatus eſt clericus, nam cum partu fuiſſet effuſus omne caput ejus, ut eſt conſuetudo naſcentium infantium, à capillis quidem nudum cernebatur in circuito verò mediorum capillorum ordo apparuit, ut putares ab jiſdem coronam clerici fuiſſe ſignatam.* Ex tonſura quoque ortum habuit conſuetudo rogandi, & obteſtandi Epiſcopum per ipſius coronam. Hieronymus namque ad Auguſtinum epiſtol. quæ eſt apud Auguſtinum 26. ſic dicit: *Fratres tuos Dominum meum Alipium, & Dominum meum Euodium, ut nomine meo ſalutes precor coronam tuam*. Ipſeque Auguſtinus ad Proculianum Epiſco-

ſcopum epiſtol. 147. *Per coronam inquit noſtram nos adjurant veſtri, & per coronam veſtram vos adjurant noſtri.*

Canon. 62. *Judæi qui Chriſtianas mulieres in conjugio habent admoneantur ab Epiſcopo, ut ſi cum eis permanere cupiunt Chriſtiani efficiantur. Quod ſi admoniti noluerint, ſeparentur: quia non poteſt infidelis in ejus permanere conjunctione, quæ jam in Chriſtianam translata eſt fidem. Filii autem qui ex talibus nati exiſtunt fidem, atque conditionem majoris ſequantur. Similiter autem, & qui procreati ſunt de infidelibus melioribus, & fidelibus viris Chriſtianam Religionem ſequantur non Judaicam ſuperſtitionem.* Citatur *cap. Judæi, quæ Chriſtianas* 28. 81. Canonem iſtum Toletanum reſtrinxit deinde Innocentius III. ad duos caſus, nimirum ſi velit conjux infidelis ab eo divertere qui fidem ſuſcepit. Item ſi velit quidem cohabitare, ſed non citra injuriam, & offenſam Dei cap. quanto, & cap. gaudemus, de divort. His ſuffragatur Apoſtolus 1. *Corinth.* 7. *Si quis frater habet uxorem infidelem, & hæc conſentit habitare cum illo non dimittat illam. Quod ſi infidelis diſcedit, diſcedat, non enim ſervituti ſubjectus eſt frater, vel ſoror in hujuſmodi.* Satis innuens eo caſu poſſe fidelem progredi ad alias nuptias, ex conjugis infidelis diſceſſione. Cæterum in terris Pontificiæ ditionis ex quo una ſeorſim regione concludi cœperunt Judæi, renovari cæpit Canon hic Toletanus, nec licet converſo Judæo ſimul convivere cum conjuge non converſa, quia nec iſti permittitur inter Chriſtianos habitare, neque illi inter Hebræos. Quo circa Sanchez cum quibuſdam aliis obnixè contendit non poſſe converſum ex Paganiſmo, vel Judaiſmo cohabitare deinceps cum priore conjuge niſi convertatur, quamvis ſpondeat nullatenus obſiſtere profeſſioni, ac Religioni converſi conjugis. Obſervandum verò eſt impedimentum diſparitatis cultus, quo matrimonium dirimitur haud eſſe divini, ſed Eccleſiaſtici ju-

ris, neque primævæ antiquitatis. Licitum enim affirmat Auguſtinus *lib. de fide, & operib. c. 19.* fidelis cum infideli connubium. Quin etiam Monicam matrem ſuam ab infantia Chriſtianam nupſiſſe viro ethnico ipſe teſtis eſt *l. 9. Confeſſ. cap. 9.*

Can. ult. Conc. Anathemate percellit ſubditos in Regem perduelles, & quoſcumque vitæ Regis inſidiantes. Simili ferit anathemate Concil. Conſtantienſe quoſcumque Regum parricidas.

Ibidem decernunt Toletani patres, ut defuncto in pace Principe primates totius regni una cùm Sacerdotibus regni communi conſilio ſucceſſorem Regem pronuncient. Deinde præſentem Siſenandum Regem, ejuſque regni futuros ſucceſſores admonent, rogant, & enixè hortantur ad manſuetudinem, & charitatem erga ſubditos, & inſuper ad Religionem, Deique venerationem, ad juſtitiam, & moderationem, ut ei placeant, qui eos populis præfecit, & cui rationem adminiſtrationis reddituri ſunt exactiſſimam. Denique anathema pronunciant in flagitioſos, & impios, ſi qui futuri ſunt Reges, & fauſta omnia Siſenando ad precantur.

Synodus Cabilonenſis.

CAbilo Lugdunenſis primæ Provinciæ urbs Arari fluvio adjacens Epiſcopum habet Metropolitæ Lugdunenſi ſuffraganeum. In hac celebratum quatuor & quadraginta Epiſcoporum Concilium fuit, cui præſedit Lugdunenſis præſul Gandericus regnante in Gallia Clodoveo ſecundo, ut teſtatur Synodi hujus epiſt. ad Theodoſium Epiſcopum Arelatenſem multis nominibus accuſatum, qui huc vocatus accedere recuſavit, quemque Patres Epiſcopatus ad alteram uſque Synodum ſuſpendunt.

Can. 8. *De pœnitentia peccatorum quæ eſt medela animæ* uti-

utilem eſſe omnibus cenſemus: & ut pœnitentibus facta confeſſione à Sacerdotibus indicatur pœnitentia univerſitas Patrum noſcitur conſentire. Eadem prorsùs ſanxerat dudum Synodus Laodicæna can. 9. quem require ſuperiùs. His enim antiquis Conciliorum ſanctionibus refelluntur hæretici novatores.

Can. 11. *Pervenit ad ſanctam Synodum, quod judices publici contra veteranam conſuetudinem per omnes Parochias, vel Monaſteria, quæ mos eſt episcopis circuire, ipſi illicita præſumptione videantur diſcurrere: etiam vel Clericos, vel Abbates, ut coram eis compareant invitos, ac diſtrictos ante ſe faciant exhiberi: quod omnimodis religioni non convenit, neque Canonum permittit authoritas. Unde omnes unanimiter cenſuimus ſententiantes, ut deinceps iſta debeant emendare. Et ſi præſumptione, vel poteſtate qua pollent, excepta invitatione Abbatis, vel Archipresbyteri in ipſas Parochias, vel Monaſteria aliquid præſumpſerint, à communione omnium Sacerdotum eos convenit ſequeſtrari.* Ex iſto canone, cujus etiam initium de veteri clericorum à ſæcularibus judiciis immunitate fidem facit: itemque ex Agathenſis Conc. can. 8. quo ſimul excommunicantur, & clericus recurrens ad judicem ſæcularem, & judex hujuſmodi cauſæ cognitionem ſuſcipiens: qui canon citatur *c. placuit* 21. *q.* 3. ſimulque ex Conc. Matiſconenſis can. 7. & 8. anni 582. quibus & judex communione fidelium excluditur, & clericus ei ſe ſubmittens carcere, & fuſtigatione punitur, commonſtratur apertè quænam ſit vera libertas, & privilegium Eccleſiæ Gallicanæ, cujus nunc ſervitus, & oppreſſio falſis ementitiſq; libertatis, & privilegiorum nominibus ſolet per antiphraſin exprimi, Nulla quæſtio graviori partium contentione diſceptatur, quam quæ verſatur circa conflictum juriſdictionum Eccleſiaſticæ, & ſæcularis. Meum hac de re judicium ingerere non eſt animus, ſed ſolùm præcipua firmamenta, præſidiaque utriuſq; ſeorſim partis hic proferam diligenter conquiſita.

Primùm quidem Epiſcopalem juriſdictionem in univerſos ſine ulla exceptione clericos, at verò in laicos ubicumque de rebus Eccleſiæ, vel Religionis agitur, divino, atque immutabili jure aſſeverant introductam Theologi penè univerſi, & canonum doctores, ut nulla ei poſſit humana introductio derogare.

Horum fundatur ratio in tribus propoſitionibus inconcuſſis, quas aſſerunt, & commonſtrant ad fidem Catholicam pertinere. Harum prior eſt ordinem, dignitatemque Epiſcopalem non eſſe humanæ, vel Eccleſiaſticæ inſtitutionis, ſed immediatè à Chriſto ipſo dimanaſſe, qui omnes affatur Eccleſiæ ſuæ Epiſcopos in Apoſtolorum perſona: *ſicut miſit me Pater, & ego mitto vos*, Joan. 20. v. 21. Et inter fidei canones refertur canon *6. ſeſſ.* 23. *Trid. Conc. de Sacram. ord.* Si quis dixerit in Eccleſia Catholica non eſſe Hierarchiam divina inſtitutione ordinatam, quæ conſtat ex Epiſcopis, & Presbyteris, & Miniſtris anathema ſit. Ibidemque cap. 4. dicit Epiſcopos in Apoſtolorum locum ſucceſſiſſe. Secunda propoſitio iſta eſt Deum, qui Epiſcoporum ordinem inſtituit, non alio fine inſtituiſſe, quam ut ſuam regant Eccleſiam. Ac per conſequens id voluiſſe, ut omni juriſdictione, & poteſtate inſtructi ſint, quæ ad iſtud quorumcumque fidelium ſive magiſtratura, ſive regali, aut imperiali poteſtate præfulgeant, exigitur. Quatenus enim myſtici Corporis Chriſti membra ſunt, eatenus à capite dependent Eccleſiaſtici regiminis, qui eſt Epiſcopus: dicente Apoſtolo *Act.* 20. *Attendite vobis, & univerſo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei*. Neceſſe eſt igitur Epiſcopos ex parte Spiritus Sancti eſſe convenienti poteſtate inſtructos ad totum hoc exercendum regimen, quod eis contulit, & ita à ſubiectis ſibi oviculis præſertim verò laicis independenti. Quod & ipſa naturalis ſuadet ratio, ſecundum quam is, qui finem intendit debet quoq; media providere, & ſuppeditare ad finem

re-

requiſita. Nec verò minus eſt divinæ certitudinis tertia propoſitio, quæ ex duabus etiam præcedentibus neceſſaria illatione colligi poteſt: Quoſcumque fideles ſive clericos, ſive laicos, cujuſcumque ſint ſtatus, & conditionis, teneri ſi æternam ſalutem adipiſci velint, ſubiici, & obtemperare Epiſcopis, ab iiſque dependere in cunctis ad regimen ipſis à Deo commiſſum pertinentibus: cujuſmodi ſunt omnia ad ordinem, & diſciplinam Eccleſiæ, ad publicum Dei cultum, aut ad ſalutem animarum ſpectantia: quod hiſce verbis Deus jubet Hebr. 13. *Obedite præpoſitis veſtris, & ſubjacete eis, ipſi enim pervigilant quaſi rationem pro animabus veſtris reddituri*. Quia ad iſta reſponderi poſſit ex parte officialium, & principum hujus ſæculi non video. Et cum tres illæ propoſitiones divinæ ſint veritatis, jure merito martyrii coronam, miraculorum gloriam, & publicum totius Eccleſiæ cultum commeruit ſanctus ille Thomas ex Angliæ Cancellario Cantuarienſis Epiſcopus, & Primas, dum Henrici II. Anglorum Regis edictis obſtitit in eiſdem contra Eccleſiæ jura rebus, quas nunc judices Gallicani aſſerere, & agere non reformidant. Ipſi tamen viderint ſi juſtum ſit ordinem à Deo conſtabilitum ſubverti, oveſque paſtoribus ſibi à Deo præfectis non obtemperare, non ſubjacere; imo verò paſtores à Deo præpoſitos ſubiici propriis ovibus, ab earum arbitrio dependere, legeſque ab eis circa regimen Eccleſiæ ſub gravibus interminationibus accipere. Proſpiciant ſi æquum, & ritè ordinatum ſit Eccleſiam Domini ſimilem fieri ridiculæ illi, & ſcurrili mulierculæ, cujus mentio eſt apud Epiphanium ad hære. 59. quæ capitium pedibus, calceos autem capiti ſuo aptabat: Hoc enim fiet, ſi pars Eccleſiæ, quæ præeſſe debet ſubjiciatur, pars verò quæ ſubjici debet imperet. Meminerint Oſam repentino interitu fuiſſe correptum, eò quòd manum ad arcam Dei licet vacillantem auſus fuerit admovere 2. Reg. 6. Oſiam verò Regem Juda fuiſſe lepra caſtigatum

& ab hominum conſortio, regniq; adminiſtratione dejectum, Sacerd. munia uſurpat, Deove incenſum adolet. 2. *Pal.* 26.

Quos autem præfiximus canones Gallicanarum Synodorum Agathenſis, Cabilonenſis, Matiſconenſis, nihil diverſum ſtatuunt ab aliarum gentium Eccleſiaſticis regulis: Concilium namque Romanum ſub Sylveſtro Pontifice prohibet, *ne clericus coram laico judice cauſam dicat*. Oecumenicum verò Chalcedonenſe Concilium Can. 9. vetat judicibus laicis de cauſis clericorum cognoſcere, jubetque penes ſolos Epiſcopos agitari: nec ullatenus reclamavit ſupremus Senatus, qui omnibus Concilii actis una cum Martiano Auguſto interfuit, eaque omnia ſæcularis brachii poteſtate roboravit. Concilium Carthaginenſe tertium canon. 9. ſic edicit: *Placuit, ut quiſque Epiſcoporum, Presbyterorum, Diaconorum, ſeu Clericorum, cum in Eccleſia crimen ei fuerit intentatum, vel civilis cauſa commota, ſi derelicto Eccleſiaſtico judicio, publicis judiciis purgari voluerit, etiamſi pro ipſo fuerit prolata ſententia, locum ſuum amittat, & hoc in criminali actione. In civili vero perdat, quod evicit, ſi locum ſuum obtinere maluerit. Siquidem ad eligendos judices iniquè de Eccleſiæ conſortio judicat, qui de univerſa Eccleſia malè ſentiendo, de judicio ſæculari poſcit auxilium: cum privatorum Chriſtianorum cauſas Apoſtolus etiam ad Eccleſiam deferri, atque ibi terminari præcipiat*, 1. Cor. 7. Concilium etiam Toletanum tertium canon. 13. *inolita* (inquit) *præſumptio uſque adeò illicitis auſibus aditum patefecit, ut clerici conclericos ſuos relicto Pontifice ſuo ad judicia publica pertrahant. Proinde ſtatuimus, hoc de cætero non præſumi. Si quis hoc præſumpſerit facere, & cauſam perdat, & à communione efficiatur extraneus*. Hi Canones inſeruntur 11. *quæſt.* 1. *cap. inolita, & cap. placuit*. Recentiores miſſos facio Canones *cap. clerici de judic. cap. ſi diligenti, de foro compet.* necnon Bullæ Cœnæ Domini art. 13. 14. 15. 16. cum anathematibus in eos, qui juriſdictionem

nem ſæcularem extendunt ad Clericos, aut ad res Eccleſiæ, atque in quoſcumque horum fautores.

Hinc faciendus gradus ad Imperialia edicta. Proferimus in primis Conſtantini Magni celebre illud reſcriptum ad Ablavium præfectum prætorio, decernens quamcumque cauſam in judicium ſæculare deductam debere etiam poſt litem conteſtatam ad judicium Epiſcopale devolvi, ſi pars litigans hoc requirat, altera etiam invita parte. Et ut univerſi judices, quidquid ab Epiſcopo decretum fuerit ratum habeant *leg. prima Cod. Theod. de Epiſc. judic.* Intereà Imperatores Valentinianus, Valens, & Gratianus ad Claudum præfectum urbis ſic reſcribunt: *Quod Chronopius ex Antiſtite idem fuit qui fuerat in 70. Epiſcoporum judicio antea damnatus, & eam ſententiam provocatione ſuſpendit à qua non oportuit provocare: argentariam mulctam, quam hujuſmodi ſanctio generalis imponit cogatur expendere. Hoc autem fiſco noſtro nolumus accedere, ſed his qui indigent, fideliter erogari. leg. quoniam 20. Theod. quorum appellat. non recip.* Porrò ſanctio illa generalis cujus eſt in lege mentio interdicit, partem tamen illius ad nos tranſmiſit Sanctus Doctor Ambroſius *epiſt.* 13. ad Valentinianum juniorem Auguſtum: *Nec quiſquam* (inquit) *contumacem judicare me debet, hoc aſſeram, quod Auguſtæ memoriæ pater tuus non ſolum ſermone reſpondit, ſed etiam legibus ſuis ſanxit: in cauſa fidei, vel alicujus Eccleſiaſtici ordinis eum judicare debere, qui nec munere impar ſit nec jure diſſimilis: hæc enim verba reſcripti ſunt: hoc eſt Sacerdotes de Sacerdotibus voluit judicare*. Hactenus Ambroſ. Item *lege Clericos* 41. *Cod. Theod. de epiſtol. & Cler.* inhibet clericos apud alios judices quam Epiſcopos judicari, vel accuſari. Præterea *leg. ut veneratio ſecunda. Cod. Theod. de Epiſcop. jud. & leg. quicumq; reſidentibus* 35. *Cod. Theod. de Epiſc. & Cler.* decernunt Clericos, quos Epiſcop. ſententia damnaverit, nullatenùs eſſe principis authorita-

ritate, vel reſcripto reſtituendos. Item Imperatores Valentinianus, & Theodoſius: *Clericos quos indiſcretim ad ſæculare judicium deduci debere infauſtus præſumptor edixerat, Epiſcopali audientiæ reſervamus leg. ult. Cod. Theod. de epiſc. & cler.* Is verò præſumptor infauſtus cujus lex meminit Maximus tyrannus fuit Gratiani Imperatoris parricidio infamis, qui novis etiam edictis cultum reſtituerat idolorum, quem religioſiſſimi Valentinianus, & Gratianus ſuis edictis cœperant abolere. Denique Imperatores Valentinianus, Theodoſius, & Arcadius in *leg. graviter* 3. *Cod. Theod. de Epiſc. jud.* ſanciunt Epiſcoporum, & Sacerdotum judicia nonniſi coram Epiſcopis agitanda quantum ad cauſas Eccleſiaſticas pertinet, cætera verò negotia eſſe penes judices publicos terminanda.

Alia tribunalis Eccleſiaſtici ex Imperatorum declarationibus munimina, & præſidia ſuppeditat in ſua Eccleſiaſtica Hiſtoria Ruffinus *lib.*1. *cap.* 2. & Sozomenus *lib.* 6. *cap.* 7. Ipſaque Theodoſii, & Valentiniani Principum epiſt. ad Synodum Epheſinam, quæ legitur in ejuſdem Synodi actis. Carolus ille Francorum Rex, & Imperator, qui tertius à Conſtantino, & Theodoſio Eccleſiaſticæ, ut vidimus juriſdictionis præcipuis aſſertoribus nomen Magni commeruit, luculenter exprimit in ſuo capitulari *lib.* 6. *cap.* 98. & 301. & 313. uſquequo protendi debeat Eccleſiaſtici tribunalis poteſtas, & quam multa poſtmodum à Gallicanis curiis ſint ei detracta, & uſurpata.

Quin etiam poſt ſequutas illas immanes Eccleſiaſtici juris diminutiones, valdè optabile eſſet ut regni curiæ intra ipſos regiorum edictorum fines ſe continerent. Edicta quippe Franciſci I. anni 539. artic. 5. renovant quæ jure communi, & antiquo ſtatuta fuerant, non eſſe recipiendam appellationem à Canonica prælati correctione. Et ſententiam pœnalis cenſuræ nullatenus ſuſpendi, ſed tantum devolvi per

ap-

appellationem. Eadem poſt Franciſcum I. ſanxerunt Carolus IX. per edictum anni 1581. art. 5. & Henricus III. in comitiis Bleſenſibus art. 59. Quibus ambo edictis hoc pariter jubent, ne à curiis regni ullæ admittantur appellationes tanquam ab abuſu, niſi in ſolo caſu infractionis legum Regni. Subinde Henricus IV. edicto an. 1606. art. 2. prohibet in caſu appellationum à prælatorum ſententiis, ne curiæ regni umquam pronuncient per dimiſſionem partium ab omni lite, *les mettant hors de cour, & de proces*, ſed nonniſi per benè, aut malè judicatum, benè, aut temerè appellatum: atque in caſibus temerariæ appellationis, hoc eſt quoties curia non pronunciabit fuiſſe malè, hoc eſt contra leges regni judicatum, condemnetur indiſpenſabiliter ad mulctam 120. librarum qui appellavit. Nec poſſint regiæ curiæ mulctam iſtam ſupprimere, aut minuere. Ibidem quoq; art. 12. ſtatuitur cauſas matrimoniorum pertinere dumtaxat ad Eccleſiaſticum tribunal, modo ſequuta inde prælatorum judicia legibus regni non contradicant.

Et quoniam Gallicano jure delicta clericorum diſtingui ſolent in communia, circa quæ ſolis prælatis Eccleſiæ judicium competit, & privilegiata quorum cognitio ad regni curias pertinet, ea ſcilicet quibus directè, & immediatè publicus ſtatus læditur, & offenditur, ut ſunt crimina vis armatæ publicæ, item falſæ monetæ, itemque majeſtatis, ac alia ſimilia, Carolus IX. edicto Molinenſi art. 39. prohibet curiis regiis retinere ſibi cognitionem delictorum communium à clericis admiſſorum, cum id judicium ſpectet ad Epiſcopum. Quod ſi Clericus reus comperiatur, tàm communis, quàm privilegiati delicti, jubet eo caſu remitti clericum ad Eccleſiæ tribunal pro communi delicto, ſic tamen ut regia curia ſibi judicium reſervet privilegiati criminis. Quinimò in cauſis etiam privilegiati delicti ſanxit Henricus III. edicto Mediolanenſi art. 22. proceſſum conjunctim faciendum, ac inſtruendum

per

per Judicem Eccleſiaſticum, & regios officiales, ut teneantur Curiæ regni commiſſarios deputare, qui ad hunc effectum inſtruendi proceſſus contra Clericum privilegiati criminis reum, transferant ſe ad locum Eccleſiaſtici auditorii. Et tamen paſſim videmus hæc regia edicta plerumque à curiis regni deſpici, & infringi.

Eſſet hìc ſupradictis authoritatibus adjungendum Lateranenſ. Conc. ſub Leone X. judicium in violatores Eccleſiaſticæ Juriſdictionis, in cauſa Senatus Aquiſſextienſis. Sed cùm multa de eo judicio Concilii ſcripta ſint, remitto lectorem ad ſeſs. 8. ejuſdem Concilii Lateranſ. quinti, ubi Hiſtoria hujus Judicii fusè tractatur.

Ut verò jam productis Eccleſiaſtici fori præſidiis ad illa progrediamur, quæ judicibus ſæcularibus in iſtis controverſiis favere videntur: occurrit in primis Roberti Bellarmini doctrina, Cardinalis utique Doctiſſimi rerumque Eccleſiæ acerrimi propugnatoris. Ejus ipſa hæc verba ſunt to. 1. tract. de cler. cap. 28. *Exemptio Clericorum in rebus politicis tàm quoad perſonas, quam quoad bona, jure humano introducta eſt non divino.* Seque ibidem diſſentire à Bonifacio Papa VIII. profitetur *in cap. quanto, de cenſib. in 6. jure diuino immunes eſſe Clericos*: Additque, ipſum ita loqui, ut particularem Doctorem Canoniſtam, non ut definitorem circa res fidei. Quo autem ut propriæ cauſæ iſta confeſſione labefactatæ fulcimentum adhibeat, adjungit Bellarminus ex quo privilegia illa Eccleſiæ quantumvis humano jure introducta confirmationem ab Oecumenicis Conciliis receperunt; non poſſe deinceps convelli, aut infirmari citra grave delictum. Hoc ſanè multi negaverint ſi adversùs illa Concilia longi deinceps temporis uſus, ac conſuetudo prævaluerit. Certum enim eſt, quæcumque Conciliis quibuſcumque conſtituta ſunt, ſi non ſint divini juris, poſſe contrario uſu abrogari, & legitima ſubmoveri præſcriptione. Et pleraq; Oecumenicis olim Synodis conſtituta, neq; ad fidem pertinentia, nec Romæ quidem, aut

in

in ulla Italiæ parte ſervantur: quod ita perſpicuum eſt,ut ſexcentis exemplis poſſit evidenter commonſtrari.

His accedit ejuſmodi nonnullis curiarum ſæcularium uſibus favere videri vetuſtiſſimos aliquot Synodorum Can. quibus ſanctiſſimos, & ſapientiſſimos antiſtites interfuiſſe liquet. Etenim Matiſconenſis Conc. can. 7. officialibus publicis permittit judicia de Clericis poſtulatis gravium criminum reis homicidii, furti, maleficii. Juſtinianus autem Imperator etiam Epiſcopis criminalia Clericorum judicia ſubtraxit *novel.* 83. Conc. inſuper Epaunenſe ann. 517. canon. 11. ita decernit juxta receptam Sirmundi editionem: *Clerici ſine ordinatione Epiſcopi ſui adire, vel interpellare publicum non præſumant: Sed ſi pulſati*(hoc eſt in jus vocati)*fuerint,ſequi ad ſæculare judicium non morentur*. Concilium Aurelianenſe primum, cui præter Remigium Francorum Apoſtolum alii etiam plures, quos ſuo loco memoravimus interfuere præſules, Sanctorum faſtis adſcripti, prohibet can. 4. quemquam ordinari Clericum citra conſenſum Regis, aut regiorum judicium. Conc. inſuper Toletanum à Gratiano relatum 16.*q.* 7.*Can.filiis*, vel nepotibus decernit Regem adiri poſſe, ut negligentiam ſuppleat Epiſcopi non coercentis Rectores facultatibus Eccleſiæ abutentes. Martinus Papa V. diplomate ann. 1429. indulſit Curiis Regni Franciæ judicia de beneficiorum poſſeſſorio. Iſtud integrum exſcripſit Guido Papæ q. 1. Quæ verò de juriſdictione Epiſcopali ex Valentiniani legibus prolata ſunt parum juvant, cum idem poſteriori lege Clericos omnes ad forum traxerit ſæculare. Novella n. 12. Valentiniani, tàm clericos, quàm laicos adire vetat judicium Epiſcopale, niſi per vinculum compromiſſi. Et ſi laicus clericum ſive in civili, ſive in criminali negotio ad publicum judiricè vocaverit, pulſatus ſine dilatione reſpondeat. Etſi clericus laicum lite pulſaverit, experiatur coram judice laico. Eandeque novella diſertè hoc addit, quod in Gallicanis

curiis tamquam juris regula circumfertur: Epiſcopos, & Sacerdotes forum legibus non habere: nec poſſe de aliis præter religionem cauſis cognoſcere.

Licet autem in Hiſpaniis latiùs protendatur, quam in Galliis Epiſcoporum juriſdictio, multam tamen etiam illic diminutionem patitur per recurſum quem vocant ad regiam protectionem, hoc eſt tribunalia Regni, ſicut in Galliis per appellationes quas vocant ab abuſu. De illo recurſu fusè pertractat in ejus favorem, & patrocinium, Hiſpaniarum decus Didacus Covarruvias Epiſcopus Segobienſis *pract. q. c.* 35. allegans exemplum uſus illius favorabile contra Epiſcopos edictis Rom. Pontificis obſiſtentes: ſilentio verò tegens reliquos odioſos uſus Regiæ protectionis. Fuſiſſimè autem hanc pertractat materiam Salgado. Addit porrò, & approbat Covaruvias in multis caſibus pro negotiorum Eccleſiæ expeditione adiri immediatè ſolere auditoria Regia ex antiquæ conſuetudinis jure, quod propriis firmavit edictis Imperator Carolus V. Hiſpaniarum Rex; tametſi videatur indignum ſacra tribunalia ſæcularibus, & inferioris dignitatis tribunalibus faſces ſubmittere in cauſis etiam Eccleſiaſticis, & religioſis.

De Bulla verò Cænæ Domini adverſum uſurpatores Eccleſiaſticæ juriſdictionis, hoc aperte ſcribunt Doctores, & Summiſtæ Romana in urbe probatiſſimi Franciſcus Suar. Gabriel Vaſq. Reginal. Bonac. & alii nullam prorsùs habere vim, aut effectum in quibuſdam articulis, qui neque divini juris, neque naturalis ſunt, adversùs Hiſpaniæ Regem Siciliæ, Sardiniæque poſſeſſorem, aut adversùs Rempublicam Genuenſem, quæ Corſicæ dominatur: tametſi hac Bulla ſpeciatim declarentur excommunicati detentores harum trium inſularum, & quicumque detentorum fautores. Summus autem Pontifex nullam tam ſolemnis cenſuræ ſuæ videtur habere rationem. Cùm enim divino ipſo prorſuſque indiſpenſabili jure illos quos publica, & notoria aſtringit

ex-

excommunicatio, ſi non reſipiſcant, ſi ſacrilegè detenta non reſtituant, ſi non convertantur, & pœnitentiam agant, admittere ad fidelium conſortium, atque ad divina Sacramenta non liceat, ipſe tamen Pontifex ſciens Hiſpaniæ Regem, & Genuenſem Rempublicam nihil de hac reſtitutione cogitare, horum tamen Legatos, oratores, & officiales in curia Romana reſidentes, quin etiam ipſos Proreges, & gubernatores memoratatum inſularum quando tunc Romæ verſari contingit, poſt triduum hujuſce publicationis admittit ad Paſchalia Sacramenta. Eſt verò juris regula, & conſtans effatum, optimam eſſe legum interpretem conſuetudinem, *leg. ſi de interpretatione, ff. de legib. & c. cum dilectus de conſuetud.* Sed hac de re in utramque partem ſatis hactenus diſputatum ſit.

Can. Cabilonenſis 16. *Ut nullus Epiſcopus, neque Presbyter, neque Abbas neque Diaconus per præmium ad ſacrum ordinem accedat; quod qui fecerit ipſo honore, quem præmiis comparare præſumpſerit omnino privetur.* Synodus Oecumenica Chalcedonenſis act. 15. can. 2. Epiſcopum pretio, vel ordinantem, vel Eccleſiam alicui conferentem, ſimulque eum, qui talia ſuſcepit, de gradu dejici jubet, necnon illum, qui horum mediator intervenit ſi ſit Clericus. Si verò Laicus exiſtat, aut Monacus ſancit eſſe à communione extorrem. Bracarenſe Concilium ſecundum can. 3. teſtatur circa munera pro Clericorum ordinationibus, hanc eſſe antiquam ſanctorum Patrum conſuetudinem, & definitionem, ut anathemate ſimul involvantur, & qui dat, & qui recipit. Huc collimat Lateranenſis Concilii generalis ſub Innocentio III. canon 63. qui eſt in decretalibus *c. ſicut pro certo, de Simon.* Concilium denique Trid. *ſeſſ.* 21. *c.* 1, his caſibus indicit inflictas à jure pœnas ipſo incurri facto à quibuſcumque dantibus, & accipientibus. Et abſolutè vetat quidquam pro quorumcumque ordinum collatione, aut pro Clericali tonſura, aut pro dimiſſoriis, aut pro teſtimoniali-

bus

bus litteris, nec pro ſigillo quidem, vel alia quacumque ex cauſa etiam ſpontè oblatum accipi ab Epiſcopis, eorumque miniſtris. Permittit verò notariis pro ſingulis dimiſſoriis, aut teſtimonialibus litteris decimam ad ſummum unius aurei partem recipere, modò non ſit eis aliundè conſtitutum ſalarium. Tota hæc Tridentina ſanctio ſtabilita in Galliis fuit, inſertaque in edictis comitiorum Bleſenſium art. 20. Cæterùm pro beneficiariis proviſionibus, quæ vocantur Forma dignum, aut viſa, aut litteræ beneficiales, eadem Bleſenſia comitia art. 12. permittunt ordinariis, ut aureum unum, nihilque amplius accipiant.

Synodus VI. Oecumenica.

HÆreſis Eutychiana ſub Marciano Auguſto repreſſa, & per Synodum Chalcedonenſem proſtrata, poſtmodum imperantibus Zenone, & Anaſtaſio principibus hæreticis vires reſumpſit, & quaſi Lernæa hydra in nova capita pullulavit. Sedem urbis Regiæ tenebat homo vafer miruſque ſimulandi artifex Acacius. Hujus hortatu Zeno Imperator Joannem Talaidam Epiſcopatu Alexandriæ dejecit, ejuſque in locum reſtituit, promovitque Petrum Moggum inſignem ſectæ illius hæreticum quem idem anteà miſerat in exilium. Idemque Acacii ſuaſu novam edixit fidei formulam anno quadringenteſimo octogeſimo ſecundo ea calliditate conceptam, ut in eam Catholici ſimul, & hæretici omnibus ſuppreſſis verbis, quæ fidei controverſiam reſpiciebant, conſentire poſſent: quam henoticon, hoc eſt reconciliatorium edictum ſpecioſo nomine appellavit. Sed in eo tacita erat Concil. Chalcedonenſis abrogatio. Huic ſe oppoſuit peſti qua par erat conſtantia Felix Papa III. coacto Romæ Conc. ſimulque miſſis Conſtantinopolin Legatis tribus

Vi-

Vitali, & Miſeno Epiſcopis, atque Felice Romanæ Eccleſiæ defenſore, cum hoc mandato, & commonitorio, ut Acacium citarent ad Romani Pontificis Tribunal, & Moggum Alexandria pellendum ſedulo curarent. Ex his duo quidem Epiſcopi Vitalis, & Miſenus artibus Acacii ſeducti cum ipſo Acacio, & Moggo communicarunt. Solus Felix in officio conſtans in vincula detruſus eſt. Quocirca Pontifex Romanus ambos Legatos Epiſcopos exauthoravit, & Acacium anathemate perculit, qui peſſimam, & temerariam rependens vicem Felicis Papæ nomen ex diptychis, hoc eſt Eccleſiaſticis tabulis eraſit. Referuntur hæc à Liberato c. 17. & 18. necnon à Synodica epiſt. Concilii Romani 2. ſub Felice Papa.

At verò Petrus Maggus Pſeudo Patriarcha Alexandrinus recepto Zenonis henotico non modò Catholicos omnes alienos à ſe habuit, ſed etiam Eutychianos complures, qui quod neque Catholicę partis eſſent, neque cum propriæ partis Epiſcopo convenirent Acephali, hoc eſt capite deſtituti nuncupati ſunt.

Sciendum ex impuri Eutychetis hæreſi diverſas ſectas, quaſi ſurculos, & propagines, derivaſſe, tum Acephalorum, tùm Theopaſchitarum, quorum author Petrus Cnapheus, ſeu Fullo extitit, is qui per ſeditionem ejecto Martyrio Epiſcopo, ſedem Antiochenam invaſit ſub Zenonis Imperio, quique ad triſagium Sanctus Deus, Sanctus fortius, Sanctus immortalis voces adjunxit, Qui paſſus es pro nobis. Pullularunt item Severiani à Severo dicti, qui pariter Antiochenam ſedem imperante Anaſtaſio poſt depulſum ex ea Flavianum in Catholica profeſſione conſtantiſſimum invaſit: quique etiam Jeroſolimitanum Epiſcopum alioſque pleroſque Epiſcopos Orthodoxos ſuis ſedibus deturbavit. Pullularunt, & Theodoſiani quos commemorat Joannes Damaſcenus à Theodoſio Alexandrino exortos, aliæque variæ ſectæ.

X Præ

Præ omnibus tamen propagavere ſe Jacobitæ, qui toto diffuſi Oriente reliquarum ſectarum majorem partem pertraxerunt. Nomen ſortiti ſunt à Jacobo quodam Syro, ut Anaſtaſius Sinaita teſtatur eo libro, qui Dux vitæ inſcribitur. Deinde Damaſcenus, & ex his Nicephorus *l.* 18. *Eccleſ. hiſt.cap.*52. qui etiam perhibent eundem Cnaphæo, & Severo adhærentem omni ſtudio Eutychis, & Dioſcori hæreſim apud Syros longè lateque propagaſſe: tanta verò fuiſſe animi levitate, ut ei per ludibrium Zanzali cognomen inditum ſit.

De mortui Zenonis Imperium pariter & impietatem Anaſtaſius ſuſcepit ex Acephalorum conſortio pertinaciſſimus Henotici propugnator, & una Manichæis addictus. Huic ſucceſſit Juſtinus, qui pro Chalcedonenſi Concilio ſtetit; & Severum ab Antiochena, quam invaſerat ſede repulit: qui tamen in Ægyptum profugus latiùs ibi virus erroris diffudit. Deinde ſub Juſtini nepote ſucceſſoreque Juſtiniano hujus uxor Theodora Eutychetis ſectam fovit, & protexit, multiſque ea ex cauſa Romanam Eccleſiam cladibus affecit, dum Antimum hæreticum Eutychianum, quem illa in ſedem Conſtantinopolitanam extulerat, & Papa deinde Agapitus depoſuerat, promoto in ejus locum Menna Orthodoxo, illa pervicaciter ſatagit conſtitui. Quin & ipſe Juſtinianus ſub exitum vitæ in hæreſim lapſus eſt, ut ſcribit Euagrius, ſibique aſſentiri recuſantem Eutychium Conſtantinopolis Patriarcham ſede expulit, ut in Eutychii vita legitur.

Sub Imperatoribus inſequentibus Juſtino II. Tiberio, Mauricio, & Phoca, ſedatis hæreticorum tumultibus Eccleſia tranquilla pace potita eſt. Verùntamen ſub Heraclio Phocæ ſucceſſore nova, & horrenda procella paululum reſpirantem Eccleſiam violenter concuſſit. Hæc fuit emergens ſub infauſto Heraclii patrocinio Monothelitarum Hæreſis. Poſtquam ille feliciſſimè perfunctus Perſico bello fuit, dum Hierapoli ver-

ſa-

ſatur, cum honoris, & officii gratia convenit Athanaſius Jacobitarum Patriarcha, quem hortatur Imperator, ut velit ejurato Eutychetis dogmate, Synodi Chalcedonenſis decretis obſequi: Ille ſe haud ægrè duas in Chriſto naturas reſpondet admiſſurum, niſi eâ profeſſio ſecum pariter involveret in eodem voluntatum, & operationum diſtinctionem, & diverſitatem. Heraclius propoſitam difficultatem dijudicari curat inter hunc Athanaſium, & Cyrum ſibi fidiſſimum Phaſidis Lazorum Metropolitanum, qui poſtmodum ab eodem Heraclio promotus in Patriarcham Alexandrinum fuit, & Sergium quoque Conſtantinopolis Epiſcopum. Ab his tribus tamdem unanimi conſpiratione aſſertum fuit, diſtinctas eſſe quidem in Chriſto juxta Chalcedonenſe decretum naturas, ſed ambarum tamen unicam eſſe voluntatem, & operationem, eamque divinam, nullatenus verò humanam: non ſecus de voluntate judicantes, quàm de perſona, quæ unica, & divina eſt in naturis diſtinctis. Heraclius huic perverſæ novitati fidem habuit. Ac poſtremo edictum ſub Ecthesis nomine propoſuit anno 639. jubens hanc unicæ voluntatis profeſſionem ſub gravium interminatione pœnarum à cunctis ſuſcipi.

Mortuo Heraclio filius ſucceſſit natu major, & ſincerè Catholicus Conſtantinus, ſed 4. inde menſe à noverca Martina veneno perimitur: quo facto filium quem ex Heraclio ſuſceperat nomine Heracleona regium ad ſolium provexit. Sed hoc brevi depulſo Senatus, & populus Conſtantem Conſtantini ſuperſtitem filium in Imperium aſſumunt. Hic avo Heraclio quam patri ſimilior tranſmiſit novum circa fidei profeſſionem edictum ad Martinum Romæ Epiſcopum virum ſanctiſſimum, ut eidem cum reliquis Epiſcopis ſubſcriberet, vocavitque Typum ob annexam quam ei ſuggeſſerat Paulus hæreticus fidei formulam. Hic vero Paulus qui Sergio, & Pyrrho Monothelitis in Patriarchalem Con-

ſtantinopolis ſedem ſucceſſerat, quorum hæreſim conſectabatur, jam fuerat Romanæ ſedis ſententia excommunicatus, & depoſitus. Et hìc viciſſim Apocriſarios Apoſtolicos, & qui ei adhærebant virgis, carcere, exilioque multavit.

Martinus accepto Conſtantis Typo, quam plurimorum Occidentis Epiſcoporum Conc. colligit in Baſilica Salvatoris, quæ & Conſtantiniana, & Lateranenſis dicitur anno Chriſti 649. Ibi lectus eſt Typus, quo revocatur, & aboletur Heraclii Ecthesis, atque ſpecie communis pacis, & Eccleſiaſticæ concordiæ, ſub ibi recenſitis pœnis vetatur utraque deinceps aſſertio, tam unius, quam duarum in Chriſto voluntatum, & actionum, ut his reſecatis contentionibus, ea tantùm omnes aſſerant, quæ Synodis œcumenicis quinq; tradita noſcuntur, quibus quemquam contradicere prohibet.

Lecto Typo Synodus Lateranenſis bonam, & laudabilem Principis intentionem eſſe dixit in conquirenda Eccleſiæ pace, ſed propoſitum pacis remedium minimè probari poſſe, dum ſupprimi jubet Catholicam veritatem, & fidem duarum Chriſti voluntatum, ac operationum divinæ humanęque aſſertam, & definitam in Synodo Chalcedonenſi, circa geminas diſtinctas ejuſdem Chriſti Domini noſtri naturas in una Verbi perſona radicatas: ubi enim natura humana eſt, ibi voluntas humana comprehenditur. Neque verò juſtum eſſe, ut fidei oracula ſimul cum perverſis dogmatibus, ac indiſcriminatim ſupprimantur, cùm ſcriptum in Geneſi ſit, Nunquid perdes juſtum cum impio, & erit juſtus ſicut impius? & Sacerdotibus per Moyſen præcipiat Deus *Levit* 10. ut habeant ſcientiam diſcernendi inter ſanctum, & profanum, & inter pollutum, & mundum. Præſidente itaque, & approbante ſummo Pontifice ſacra Synodus damnat Cyrum, Sergium, Pyrrhum, Paulum, Theodorum, alioſque humanam Salvatoris Chriſti voluntatem, & operationem reſpuentes, ſolamque di-

divinam aſſerentes. Damnata ibi quoque ſunt edicta hæreticorum officinis fabricata Ecthesis Heraclii, & Conſtantis Typus. Litteras etiam Apoſtolicas Martinus de his ſacri Concilii decretis divino refertas Spiritu ad omnes per orbem fideles direxit.

Hac de cauſa furens Imperator per delegatum à ſe Theodorum Calliopam abreptum ſanctum Pontificem Conſtantinopolin ad ſe mandat adduci, quem deinde in Cherſoneſum deportari jubet: quo loco per innumeras ærumnas glorioſum Martyrium conſummavit. Idemque ſceleſtus Imperator Maximum Monachum ſacræ fidei defenſorem vitæ ſanctitate, præclaraque eruditione conſpicuum lingua manuque mutilavit, & in exilium relegavit. Hujus ſuperſunt præter alia ſcripta in Dionyſii Areopagitæ libros commentarii. Cujus etiam S. Dionyſii ad refellendam Monothelitarum hæreſim teſtimonia proferuntur, tàm in hac Laterana, quàm in ſexta Oecumenica Synodo.

Rem verò mirificam ſcribit Theophanes Theodorum Papam, qui Martinum habuit ſucceſſorem, poſtquam Pyrrhus Monothelita (quem ſuam hæreſim abjurantem ipſe Romæ abſolverat) relapſus eſt in eandem hæreſim, convocaſſe Synodum ad Principis Apoſtolorum tumulum, & ex divino Calice vivificum Chriſti ſanguinem in atramentum inſtillaſſe, quo Pyrrhi excommunicationem, & depoſitionem propria manu ſcripſit. Rem ſimilem præſtitiſſe Patres Synodi Octavæ refert in vita Ignatii Nicetas, quando Photii damnationi ſubſcripſere.

Poſtquam probis omnibus inviſus Conſtans Imperator Roma digreſſus, cujus opes, & præcipua ornamenta direptum venerat, in Siciliam profectus ibi tandem in balneo interemptus eſt: ejus excepit ſucceſſionem filius Conſtantinus cognomento Pogonatus patri ſuo longè diſſimilis, juſtitiæ religioniſque amantiſſimus. Hic domeſticam maculam inſignibus

pietatis exemplis delevit; egitque primùm cum Dono Epiſcopo Romano; deinde hoc mortuo cum Agathone ſucceſſore, de Synodo Oecumenica Conſtantinopoli cogenda, ad reſarciendas illatas Eccleſiæ per hæreſes ruinas, annuit lubens Agatho, habitaque Romæ 120. Epiſcoporum Synodo, in qua res fidei primùm ſedulò diſcuſſæ, & ſtabilitæ ſunt, ut planior, & ſecurior ad Oecumenicam Synodum via muniretur, miſit inde Regiam in urbem Apoſtolicos legatos quatuor, cum litteris quibus rectam fidem luculentis divinæ Scripturæ, ſanctorumque Patrum ſententiis, & traditionibus Apoſtolicis explicabat accuratè.

Præter 4. Agathonis legatos ſcilicet Theodorum, & Georgium presbyteros, & Diaconum Joannem (qui poſtmodum ad ſummam Pontificis Romani evectus eſt dignitatem) & Conſtantium hypodiaconum, directi pariter ſunt ad Oecumenicam Synodum totidem ejuſdem Romani Conc. legati Joan. Portuenſis, Abundantius Paternenſis, Joannes alter Regienſis Epiſc. omnes, & 4. Theodorus Presbyter. Adfuerunt itidem Patriarchæ Georgius Conſtantinopolis, Petrus Alexandriæ, Macarius Antiochiæ, & Georgius nomine Jeroſolymitanæ Eccleſiæ, cumque his complures alii Epiſc.

Anno itaque Chr. 680. habita eſt ſacra Oecumenica Synodus in Palatii Imperialis Secretario cui nomen erat Trullo. Quod nomen ſæculis illis uſurpabatur pro fornice in ſublime porrecto, & concamerato, quem vocant *Cupulam* hodierni Itali, ut ex Codino, & Anaſtaſio colligitur. Sacro interfuere conventui Conſtantinus Imperator ſanctæ Religionis columen, & palatii proceres. Macarius Antiochenus Monothelita ſuæ hæreſi diſputando patrocinatus in Synodo fuit. Sacra verò Synodus poſtquam illum ſolidiſſimis argumentis ad ſanam mentem reducere fruſtra conata eſt, pertinacem demum anathemate perculit, & dignitate movit ſuffecto ejus in ſedem Theophane ſpectatæ religio-

nis

nis viro. Ipſe autem Macarius Monaſterio concluſus eſt.

Polycronius Sacerdos, & Monachus ſuam in tam illuſtri theatro dementiam propalavit. Cùm enim eſſet Monothelita, ipſique per falſa oſtenta Dæmon illuderet, vehementer expetivit in ſacram Synodum introduci: habere ſe dicens maximi rem momenti, quam Patribus referret. Admiſſus tandem intra Synodum, profeſſus eſt ſibi à revelante Deo demandatum, ut Imperatori & Patribus fidei veritatem denunciaret, ſpemque ſalutis æternæ in hoc verſari, ut ſinguli declarent, & profiteantur unicam exiſtere in Chriſto Jeſu voluntatem, & actionem. Quo verò ſibi plena fides habeatur, certò ſpondet mortuum a ſe in vitam revocatum iri, univerſo etiam ſpectante populo, ſtatim atque cadaveris capiti ſchedulam appoſuiſſet, in qua fidei ſuæ confeſſionem ſcripſerat. Viſum eſt Patribus oblatam conditionem experiri, ne hac rejecta captaret occaſionem Polychronius aliique hæretici magis inſoleſcendi, & jactandi quod Patres ſuæ cauſæ diffiſi oblatam conditionem recuſaſſent. Adducitur in forum paulò ante defuncti hominis cadaver magno plebis concurſu, eo pariter confluunt plerique ex Conc. Patres: tùm Polychronius chartam cadaveri admovet, ejuſque auribus inſuſurrat, nec tamen movetur cadaver, inſtat & denuò adjurat Monachus ſed fruſtra: omnes circumſtantes ut juſſum fuerat, quieſcunt, & ſilent, ridiculum exitum præſagientes, donec ille poſt inanes conatus fatetur tandem non poſſe à ſe mortuum ſuſcitari. Miſerum Polychronium Patres omni modo conati ſunt ad veræ fidei agnitionem adducere, ſed pertinacem poſtremò anathemate feriunt, & Sacerdotio deponunt.

Vnanimi Patres aſſenſu Catholicam fidei formulam excudunt, qua geminas Chriſti voluntates, atque operationes divinam unam, humanam alteram diſtinctas, & inconfuſas prædicant. Humanam verò voluntatem non ſolum divinæ non obluctantem, ſed ei per

omnia ſubjectam, & obſequentem. Huic definitioni ſubſcripſerunt omnium 1. Presbyteri ab Agathone privatim delegati, deinde Patriarchæ Orientales. 3. Legati à Romana Synodo miſſi, 4. reliqui Epiſcopi, poſtremò Conſtantinus Auguſtus. Hic Imperator Patribus, & Patres Imperatori piiſſimo, & optimo gratias agunt, adprecantibus cunctis fauſta, & proſpera omnia religioſiſſimo Principi. Mittunt ad Agathonem Patres, & rogant, ut Synodi ſanctiones authoritate Apoſtolica roboret, his edictum accedit Conſtantini quo mandat, ut Oecumenicam 6. Synodum univerſi amplectantur, pœnaſque in refractarios decernit. Cæterum antequam Synodi litteræ Romam deferrentur, ſummum jam diem Agatho Papa objerat, cujus ſucceſſor Leo II. Synodi acta, & decreta comprobavit.

Diſceptatur utrum Honorius Papa hujus nominis 1. qui paſſim in iſto, & ſequentibus Conciliis, atque in ipſa S. Papæ Leonis epiſtola, ſimul cum Cyro, Sergio, Pyrrho, Petro Paulo, Macario, legitur nominatim condemnatus, ejuſmodi commeritus ſit damnationem? Quæſtio iſta omnis de facto eſt eoque externo, neque enim hic agitatur utrùm animo fuerit intus hæreticus Honorius: etenim ut Samuel dicit Dominus 1. Reg. 16. Homo videt ea quæ patent, Deus autem intuetur cor; ſed utrum in ſua illa ad Sergium epiſtola, externoque facto fuerit verè reprehenſibilis, quemadmodum vel Pauli Apoſtoli teſtimonio Petrus ipſe ſanctitatis ſpecimen, & Apoſtolorum vertex, & Coryphæus diſertè reprehenſibilis aſſeritur in quodam ſuo circa Legales obſervationes externo facto, & quemadmodum ſed longè graviori proculdubio, quam in Petro contingerit tranſgreſſione, conſentiunt omnes rem Catholicam ſuo facto duos Summos Pontifices prodidiſſe per nimiam puſillanimitatem, Marcellinum quando thura Idolis adolevit, & Liberium quando in Concilio Sirmienſi Arianorum placitis ſubſcripſit. Hono-

no-

norium quidem Annalium author conatur ab omni culpa purgare. Eundem alii hæreſis arguunt: mea verò ſententia eſt nullatenus hæreticum fuiſſe, attamen ex puſillanimitate non leviter peccaſſe, ſimulatione tunc temporis utendo, quando ex officio incumbebat ei erumpenti hæreſi apertè obſiſtere: ideòque cauſam ſuppeditaſſe ſextæ Synodo, & Summo Pontifici Leoni condemnationis ſuæ.

Præcipuæ defenſionis Honorii rationes eruuntur tum ex ipſius ad Sergium hæreticum epiſtola ita contexta, ut quamvis in ſpeciem videatur Monothelitarum cauſæ favere, poſſit tamen Catholico ſenſu exponi: tùm etiam ex illa celebri Sancti Maximi cum Pyrrho Monothelita diſputatione, in qua Maximus hæreſis crimen ab Honorio conatur amoliri, ejuſque ad Sergium epiſtolam Catholico ſenſu intelligendam ex eo probat, quod poſt ipſius Honorii Papæ, & Heraclii Imperatoris obitum, Joannes qui ſub Honorio præfatam illam ad Sergium epiſtolam ſua manu ſcripſerat, Conſtantinum Auguſtum Monothelitis infenſum ſcriptis litteris admonuerat, illam Honorii epiſtolam, dum unam aſſerit Chriſti actionem, & voluntatem, id tantum ex mente authoris ſignificare non eſſe in Chriſto contrarias voluntates, ſed humanam divinæ per omnia obtemperaſſe. Joanni ipſi vitio verti poterat ejuſdem tam ſuſpectæ epiſtolæ ſcriptio, ideòque ipſius teſtimonium utpotè in propria cauſa merito haberi pro ſuſpecto poſſet. Nihilominus huic etiam teſtimonio lubens accedo, ut Honorium ab hæreſi excuſem, nec ideò tamen ab omni culpa cenſendus eſt immunis. Hoc verò ſupponendum apud omnes, qui non ſunt illorum temporum Eccleſiaſticæ; atque ut expreſſius loquar etiam Baronianæ hiſtoriæ rudes, ac imperiti. Honorium Papam quo tempore ad Sergium ſcripſit ignorare non potuiſſe vigentem tunc temporis, graveſque toto Oriente tumultus cientem Monothelitarum hæreſin

quam

quam complexi Orientis Patriarchæ, atque hæretici, cui adblandiebantur Imperatoris edicto freti, Catholicos ſibi obſiſtentes crudeliter inſectabantur. Jam enim Cyrus in præmium novæ impietatis ſatagente Heraclio ex phaſidis antiſtite factus erat Alexãdrinus Patriarcha, jamque idem in Alexandria, & in omnibus ſibi ſubditis Epiſcopalibus Eccleſiis magna contentione novem à ſe edita capitula cum totidem anathematibus promulgari curaverat, in quorum ſeptimo hanc novam, & capitalem hæreſim; quam evidentiſſimè proponebat, & acerrimè propugnabat.

Conſtantinopoli verò Pſeudo-Patriarcha Sergius coacta ſibi ſubditorum Epiſcoporum in ipſa Imperiali civitate Synodo, eamdem hæreſim omni ope ſtabiliverat, & Heraclii Ecthesin Græcorum præſulum ſubſcriptione firmatam, toto inſpectante populo pro foribus templi Sophiæ affixerat. Tantos rerum motus, vel ſola vulgi fama in barbaras, & remotiſſimas gentes diſſeminabat, quantò magis ad aures Romani Pontificis ad quem ſpectat, ut cum Paulo dicam quotidiana inſtantia, & ſollicitudo omnium Eccleſiarum, ad quem omnes de fide controverſiæ referri ſolebant, maximè quando Imperator ipſe (cujus tunc temporis ditioni, ac Imperio Roma cum Italia ſubjecta erat) illas excitabat? Quis inſuper neſciat ſummorum Pontificum conſuetudinem perpetuam fuiſſe, ut ſuos Conſtantinopoli haberent Apocriſarios, quamdiù ibi ſedes Imperii fuit, qui omnia ipſi notificarent? nihil hic immoror circa Provincias illas Orientis, quas Romani Pontifices olim per ſuos vicarios regere ſolebant, puta utramque Epirum veterem, & novam, Illiricum, Macedoniam, Theſſaliam, Achajam, utramque Daciam, tam Ripenſem, quam Mediterraneam, Myſiamque, Dardaniam, & Prævalim, quarum meminit in ſuis ad Michaelem Imperatorem litteris Nicolaus Papa I. An ex tot Eccleſiis aliquis ſaltem Orthodoxus, ſive Præla-

tus, ſive privatus Sacerdos exſtitit ullus, qui tantarum rerum, & motuum Pontificem moneret? His Patriarcharum Orientis ſacrilegis novitatibus magna jam conſtantia, fideique ardore quaſi Eccleſiæ ſanctæ murum, & propugnaculum oppoſuerat ſeſe Monachus Sophronius, qui poſtmodum prævalentibus in Palæſtina Catholicis creatus Jeroſolymorum Epiſcopus Synodum Orthodoxam in iis partibus procuravit, in qua damnata fuit Monothelitarum hæreſis. Antequam verò ad Pyrrhum Honorium reſcriberet, adhuc privatus Monachus Sophronius contra inſurgentem hæreſim ad Cyrum ſcripſerat: & ad Sergium ex remotiore Palæſtina profectus Conſtantinopolin fuerat, poſtquam ſcriptis ad eum litteris nihil valuerat obtinere. Quin etiam idem Sophronius ſtrenuus, & indefeſſus fidei athleta jam anteà de his rebus litteras ad Honorium ipſum tranſmiſerat; quæ ſæpius in hac ipſa ſexta Synodo commemorantur, & quarum mentio quoque eſt apud Photium *Biblioth. c.* 131. ſanè iſta, & alia longè plura contigerant antequam Honorius Sergio reſcripſiſſet. Has in cauſa fidei turbas, & molimina, publicas iſtas circa nova dogmata, & Imperatoris edictum toto promulgatum Oriente commotiones poterat fortaſſis ignorare unus aliquis inter Sauromatas, aut inter diviſos toto orbe Britannos bubulcus, vel agricola, nullatenus verò in ſublimi univerſalis Eccleſiæ ſpecula conſtitutus à Deo cuſtos, & vigil Romanus Epiſcopus. Deinde ſanctorum Patrum, & ſacrorum canonum effatum dicit. Non admittitur excuſatio Paſtoris, ſi lupus diſpergit oves, & Paſtor neſcit. Sed quia res erat vehementis, & urgentis periculi reſiſtere nefario Principis edicto, cui Roma cum magna Italiæ parte obtemperabat, ſiluit & mali gravitatem diſſimulavit Honorius, verbis uſus ambiguis, ſed tamen in ſpeciem impietati Heraclianæ aſtipulantibus. Defuit ille officio ſuo, & ut cum Ezechiele loquar non aſcendit

ex

ex adverſo neque oppoſuit murum pro domo Dominî, ut ſtaret in prælio in die Domini, atque ut verbis proſequar ejuſdem Prophetæ conſtitutus ſpeculator vidit gladium venientem ſuper terram; & non inſonuit buccina.

Poſt Sergiûm hæreſiarcham interpellantem, qui Principi flagitioſum edictum ſuggeſſerat, ſtatimque promulgatum Epiſcoporum Pſeudo Synodo, confirmaverat, in propoſito ſibi ex metu ſilentio perſiſtere grande Honorio diſcrimen creaſſet: Sergius quippe Imperatori aſtabat aſſiduus, qui ſua contemni edicta iniquiſſimo tuliſſet animo. Cùm igitur, ut liquidò teſtantur author Miſcell. hiſtoriæ Paulus Diaconus *lib.* 18. & Cedrenus, & Zonaras in Heraclio, inter tot tantaſque orbe toto ex Monothelitarum hæreſi, quam Imperator, & major Epiſcoporum orientalium pars fovebat, & promovebat, excitatas Orthodoxorum divexationes, Sophronius animum haud deſponderet, ſeque belli ſacri quaſi Mathatias alter ſtrenuum, atque intrepidum ducem exhiberet, tùm demum Sergius Conſtantinopolitanus, cui perſpecta dudum erat Honorii puſillanimitas, hunc interpellat, & apud eum conqueritur de Sophronio, quod duarum in Chriſto voluntatum, & operationum aſſeveratione totum orbem perturbaret.

Hic jam quæro, quid reſpondere debuerit Honorius ſceleratiſſimo, totique orbi notiſſimo hæreſiarchæ, qui ſanctiſſimum virum eo ſolo nomine deſerebat, quod inconcuſſam Eccleſiæ fidem circa diſtinctas Chriſti voluntates divinam unam, humanam alteram intrepidè tueretur, & propugnaret adversùs novum, & profanum; quod Sergius ipſe invexerat, & undequaque propagabat Monothelitarum dogma? ille verò tanquam mercenarius, & non paſtor vidit lupum venientem, & fugit, ut habet Euangelii comparatio. Sergio enim Roman. Pontifex hoc ipſum reſpondit, quod ſanctiſſimus Papa Martinus cum Synodo Romana tantopere execratur in laico Principe Conſtante, nimirum ſupprimendas

eſſe

eſſe voces unius, aut duarum in Chriſto voluntatum,& operationum: ſubjungitque quòd ipſi peræquè Monothelitæ profitebantur duas eſſe in Chriſto diſtinctas, & inconfuſas naturas, ſed tamdem ut ſe Monothelitarum ſtudiis accommodet unicam admittentium operationem in Chriſto, ita concludit: unum eſſe Chriſtum Dominum divina, vel humana in utriuſque naturis operantem. Ut hac verborum eluſione illorum inſectationem declinaret, tametſi ipſa eadem Catholicum ſenſum, ſed ab iſta quęſtione alienum exprimerent.

Iſta Honorii lecta fuit epiſtola in iſtius ſextæ Synodi act. 14. deinde lecta fuit Pyrrhi Conſtantinopolis Epiſcopi Monothelitæ ad Joannem Romæ Pontificem epiſtola, qua ipſe Pyrrhus concertationes de Chriſti voluntatibus vituperat. Quibus duabus perlectis epiſtol. ſacra Synodus ambas Honorii, & Pyrrhi epiſtolas declarat pernicioſas, & jubet igne abſumi. Eadem Synodus ſub finem act. 16. anathema pronunciat Theodoſio Pharanitano, Cyro, Sergio, Honorio, Pyrrho, aliiſque quos omnes dicit hæreticos.

Cùm vero juſta condemnandi Honorium cauſa ſubſit, & iſta condemnatio ſingulariter poſt lectam hac in Synodo ipſius epiſtolam pronuncietur, & ſubinde iterùm cum aliis Monothelitis promiſcuè: Et cùm non modò Græca exemplaria, ſed Latina etiam translatio, quam contexuit ipſemet Leo Papa, qui primus Synodum Apoſtolica authoritate probavit, ac roboravit, quod præſtare non valuerat Agathon, à quo fuerat indicta, morte præventus. Prætereà cum ſanctus ipſe Leo in ſua, quæ Synodo iſti ſubiicitur epiſtola de Honorio ſic loqui non dubitet: *Honorium qui hanc Apoſtolicam ſedem non Apoſtolicæ traditionis doctrina luſtrauit, ſed profana proditione immaculatam fidem ſubvertere conatus eſt.* Idemque ſanctiſſimus Leo altera epiſtola ad Hervigium Regem, & ad Epiſcopos Hiſpaniæ memoriam Honorii iterato damnet. Cumque

inſuper

inſuper hæc eadem Honorii damnatio nominatim iteretur duabus ſequentibus Oecumenicis Synodis ſeptima, & octava, tam in Græcis, quàm in Latinis antiquiſſimis exemplaribus, atque adeò illis ipſis, quæ illorum temporum author Anaſtaſius Bibliothecarius Eccleſiæ Romanæ Synodorum ſeptimæ, & octavæ translator edidit, dedicavitque ſeptimæ tranſlationem Joanni Papæ VIII. Synodi autem octavæ editionem Papæ Stephani II. ac idem Anaſtaſius, qui conſedit inter octavæ Synodi Patres, & ita geſtorum in ea Synodo teſtis eſt oculatus, omnique exceptione major, hujus acta quibus interfuerat Latino ſermone conſcribens recenſet act. 10. Honorium una cum Cyro, Sergio aliiſque à ſacta Synodo damnatum, & reprobatum, nimiæ ſanè fuerit ex partium addictione pertinaciæ, tàm multa, tàm antiqua, tàm ſancta, tam ab omni ſuſpicione aliena teſtimonia, toties iterata reiicere, non modò Græcorum, ſed etiam Latinorum S. Leonis Papæ, atque Anaſtaſii, quorum ille Synodum iſtam ſextam approbavit primus, & tranſtulit, hic verò in una ex iis Synodis conſedit, quæ ipſo eodem teſte damnavit Honorium. His adde ipſum Adrianum Papam II. & Concilium Romanum, cui ille præſidebat Adrianus, qui ſimul damnarunt Honorium, ut Monothelitam, & referuntur, atque approbantur in octava Synodo act. 7.

Sanctiſſimus Pontifex Martinus tranſmiſſum ad ſe ab Imperatore Conſtante Typum in Lateranenſi Concilio reprobavit, neque dubitavit exilium, & mortem hac de cauſa ſubire: quid verò Conſtantis edictum continebat? hoc unum ut communis pacis gratia omnes à profeſſione ſive unius, ſive duarum Chriſti voluntatum abſtinerent. Uter igitur laudandus, aut vituperandus, Honorius hoc ipſum ſponte decernens quod Conſtantis Typus, an Martinus in Laterano Concilio qui martyrium potius ſub eundem, quam Typum admittendum judicavit, & reipſa perfecit à ſi laudandus

Mar-

Martinus, ut eſt citra omnem dubitationem, ergo damnandus Honorius. Pyrrhi etiam in hac Synodo 6. fuit anathemate notata epiſtola, eò quòd aſſereret removendas eſſe omnes in utramvis partem, ſive unius, ſive duarum voluntatum concertationes, ut pax ſervaretur: at hoc ipſum decernit Honorii epiſtola, & aliquid ſuperaddit, quod in ſpeciem propendere videtur in favorem Principis Monothelitarum Sergii ad quem epiſtola dirigitur, etiamſi hoc ipſum, ut anteà dixi ſenſu catholico poſſit exponi.

Similiter Imperator Zeno ſtudio, ut prætexebat, communis Chriſtianorum concordiæ edictum promulgavit, quod idcircò vocavit Henoticon id eſt reconciliatorium, ſanciens ne ulla deinceps aſſertio fieret, ſive unius, ſive duarum Chriſti naturarum, eò quòd illa diſputatio innumeras pareret toto orbe diſſentiones, ut ſperandum eſſet ea conſopita reconciliationem animorum ſequuturam: & tamen quantam commeruit laudem Felix Papa III. qui coacto pariter concilio damnavit henoticon? quantam vero nomini ſuo labem aſperſerunt Conſtantinopolis Acacius, Alexandriæ Petrus Moggus Antiochiæ Petrus Fullo, & poſt hunc Severus cæterique Epiſcopi quotquot in Henoticon iſtud conſenſerunt?

Quantæ item perfidiæ rei iudicati ſunt in Eccleſia Dei omnes illi ſub Conſtantio Auguſto Epiſcopi, qui ab Arianis eluſi in Synodis Sirmienſi, & Ariminenſi formulas fidei ab Arianis profectas approbaverunt, etiamſi nihil in eis legeretur hæreticum, ſed communis concordiæ gratia tàm Arianorum voces alterius, diverſæ, aut diſſimilis ſubſtantiæ, quàm Catholicorum vox conſubſtantialitatis ſupprimebatur: Eſt enim memorabile documentum illud Martini Pontificis in Conc. Romano, perfidam, & damnabilem eſſe pacis ineundæ conditionem, qua doctrina orthodoxa perindè atque hæretica ſupprimitur; cùm Deum ſic alloquatur Abraham: Num perdes juſtum cum impio, & erit juſtus ſicut impius?

pius? cùmque in libro Levitici Sacerdotes commoneat Dominus, ut habeant ſcientiam diſcernendi inter ſanctum, & profanum, inter pollutum, & mundum.

At opponet fortaſſe aliquis ipſius Sophronii Jeroſolymitani exemplum ſuppreſſioni unius, aut duarum voluntatum conſentientis. Quiſnam hujus rei teſtis? Sergius Conſtantinopolitanus in ſua illa ad Honorium epiſtola, quo etiam eandem poſtulat approbari ſuppreſſionem? Dignum utique patella operculum. Teſti etiam honeſto in ea quam proſequitur cauſa minimè creditur, infamis verò teſtis, aut flagitioſi quavis in cauſa depoſitio pro nulla habetur. Quis ergo fidem habeat infami hæretico excommunicato, & ſceleſto Sergio circa ipſam cauſam teſtificanti, quam improbo affectu complectitur, & proſequitur? At contraria proferimus omni exceptione majora ipſum Sophronii teſtimonia. Synodicas ipſius ad ipſum Sergium, & Honorium epiſtolas, in quibus duas in Chriſto Jeſu voluntates, ac actiones conſtanter prædicat, Alterum teſtimonium eſt hujus ſacræ Synodi hanc eamdem Sophronii circa diſtinctas in Chriſto voluntates fidem, & certamina non ſemel prædicantis.

His tamen circa Honorii lapſum opponitur à nonnullis ipſa Pontif. Agathonis ad Conſtantinum Auguſtum epiſt. huic Sextæ Synodo inſerta act. 4. in qua aſſeverat Agatho Rom. Eccleſiam à tramite Apoſtolicæ traditionis numquam aberraſſe, neq; hæreticis novitatibus depravatam ſuccubuiſſe, ſuoſque prædeceſſores juxto Domini noſtri ad Petrum pollicitationem numquam à fide defeciſſe, quin potius fratres in ea confirmaſſe, Veruntamen ſicut illa Chriſti ad Petrum aſſeveratio, rogavi pro te Petre, ut non deficiat fides tua, non obſtat quin ipſe Petrus Chriſtum paulò poſt voce negaverit, ita nec Agathonis aſſertio circa prædeceſſorum fidem ullatenus obſiſtit, quin aliqui eorum, ut ipſi teſtantur Baronius, & Bellarminus, contra debitam fidei profeſſio-

feſſionem graviter peccaverint: ut Marcellinus quando idolis thus adhibuit, & Liberius dum Arianis in Synodo Sirmienſi proprio facto & ſubſcriptione conſenſit, & palam communicavit. Similiter pariter infirmitate cecidit Honorius, non quidem ut probabile eſt fidem abdicando, ſed tamen delinquendo adverſus officium fidei profitendæ.

Denique ne quid intactum relinquatur, urgent aliqui prorſus credibile non eſſe, ſi Honorius damnatus a Concilio fuiſſet, Legatos Romanos pro ſuo officio in oppoſitum reclamaſſe. Negamus enim prorſus id fuiſſe ipſorum officii, neque enim decebat eos contra jus ipſum privato affectu abreptos odioſam, & ſuſpectam facere Orientalibus Romanam Eccleſiam, quo tempore ipſi Orientales ingenuè multorum Patriarcharum ſuorum damnationi ſuffragabantur. Quinetiam fieri potuit, ut Legati nonnihil reclamaverint, ſed quia id ſpecie tenus pacis cauſa fecerint, & ipſa prudentia ſuaſerit grave impendere diſcrimen, ſi ulterius inſiſterent, idcirco non fuerit reclamatio ulla actis Synodi inſerta. Proclives erant Orientales ad quandam erga Romanam Eccleſiam æmulationem, ut apertè docet non modo ſuccedentium ſæculorum, ſed etiam antecedentium experientia, Perſpicuum enim eſt in præcedentibus Orientalibus Oecumenicis Synodis Conſtantinopolitanis duabus, & Chalcedonenſi, Orientales non pauca fuiſſe molitos ex æmulatione in Latinos & Romanam ſedem: quanta igitur exarſiſſent indignatione adverſus eoſdem, ſi cum ipſi tanta facilitate tot Patriarcharum ſuorum damnationi acquieſcebant, Romani pervicacius obſtitiſſent, ne unus Papa in eadem cauſa, licet ut exiſtimo minoris culpæ reus, merita damnatione cum aliis perſtringeretur; Res in graviſſimum diſcrimen acta fuiſſet, ut ex Legatorum Romanorum nimia pertinacia Orientales animis alienati recuſarent eorumdem exemplo

quidquam adverſus proprios antiſtites decernere. Unde contigiſſe ut Synodus præter humanam ſpem fœliciſſimè inchoata, exitu infœlici dirimeretur per diſcordiam & ſchiſmata, & ipſa hæreſis majoribus viribus creſceret, ipſaque Eccleſia diſcinderetur.

Appendix ad ſextam Synodum, ac diſſertatio de Diptychis Eccleſiæ.

IN præcedentis Concilii narratione retulimus Acacium Conſtantinopolis Epiſcopum, & Henotici authorem atque ſuaſorem, cum fuiſſet à Felice Papa tertio damnatus, nomen ipſius Felicis ex Eccleſiarum ſibi ſubditarum diptychis, eraſiſſe, ut teſtatur Romani ſub Felicis Concilii epiſtola 2. Poſt hæc mortuo Acacio Gelaſius Papa Felicis ſucceſſor omnem adhibuit operam, ut ex Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ diptychis nomen Acacii expungeretur, ut ex ejus conſtat epiſtolis Conciliorum tom. 2. atque ex Anaſtaſio Bibliothecario. Hanc eandem rem pari ſtudio proſequuti ſunt, qui Gelaſio ſucceſſerunt Anaſtaſius, & Symmachus, ſed obſtiterunt cum Anaſtaſio Imperatore Epiſcopi Conſtantinopoleos. Id verò tandem obtinuit Pontifex Hormiſda imperante Juſtino religioſo admodum Principe, ſub quo redintegrata pax eſt inter Orientales, & Occidentales Eccleſias damnatis Principibus ipſis Zenone & Anaſtaſio, & Epiſcopo Acacio, aliiſque omnibus hæreticis ac ſchiſmaticis, quorum obliterata ſunt de tabulis Eccleſiaſticis nomina, & exitiale ſchiſma deſiit, quod perduravit ex quo Felix anathema in Acacium dixerat annos ſex & triginta.

Præterea per Concilium generale ſextum ſub Agathone id factum eſt, ut ablata ſint (ut dicit Anaſtaſius in Agathone) de dyptichis Eccleſiarum nomina Cyri, Sergii, Pyrrhi, Pauli, & Petri, per quos hæreſis Mono-

the-

theliſtarum univerſum pervaſerat Orientem. His occaſionibus locus diſſerendi, de diptychis aperitur, & quiſnam fuerit earum antiquus ritus.

Erant diptycha tabulæ quædam in Eccleſiis nomina fidelium continentes, qui communionis Eccleſiaſticæ conſortes erant, quæ legi ſolebant inter diurna myſteria diptycha (quæ Græca vox eſt) Latinè ſignificant duplicata ob geminas tabulas, quarum una comprehendebat viventium fidelium nomina, altera defunctorum: pro utriſque verò Sacrificia & preces in Eccleſia offerebantur; eorumque nominum lectio publicè fiebat ex ambone ſeu pulpito. Illorum autem nomina delebantur, quos Eccleſia communione ac ſocietate fidelium excludebat. Diptychorum uſus jam inde à primis ſæculis invaluit. Cujus meminit ritus Dionyſius *Eccleſ. Hier. cap. 3. ſic dicens, & cum ſe mutuò omnes ſalutaverint, myſtica ſacrarum tabularum* ἱερῶν πτυχῶν *recitatio fit.* Huc illa ſpectat Cypriani querimonia circa nimis facilem quorumdam lapſorum reconciliationem ſic dicentis epiſtol. 10. ad communionem admittuntur, & offertur nomen eorum nondum pœnitentia facta. Hæc pariter viſitur praxis in liturgiis Sanctorum Jacobi Apoſtoli, & Baſilii, & Chryſoſtomi. Innocentius verò Papa primus epiſtol. ad Decentium Epiſcopum cap. 2. ſtatuit ut completa fidelium oblatione recitentur in Eccleſia nomina fidelium qui oblationem fecerunt.

Præter eorum fidelium diptycha pro quibus ſive vivis, ſive defunctis orabat Eccleſia, erant inſuper ſanctorum in cœlo regnantium diptycha, ut publicè invocarentur, & colerentur. Qui uſus in omnibus competitur veteribus liturgiis. Et Cyrillus Jeroſolimitanus quinta catech. *Poſtea* inquit *mentionem facimus eorum etiam qui ante nos obdormierunt, primum Patriarcharum, Prophetarum, Apoſtolorum, Martyrum*

 rum

rum, ut Deus orationibus illorum & deprecationibus ſuſcipiat preces noſtras, Theodoritus quoque *libr.* 5. *hiſtor. Eccleſ. cap.* 34. refert orientales Eccleſias non aliter cum occidentalibus pacem iniviſſe, quam illæ Joannis Chryſoſtomi nomen in diptycha retuliſſent. Et mox *cap.* 35. ait Alexandrum Antiochię præſulem ejuſdem magni Joannis nomen tabulis Eccleſiæ inſcripſiſſe. Innumera ſunt ejuſcemodi priſcorum teſtimonia. Primarii quidem ſancti ſemper & in omnibus Eccleſiis denominabantur Dei Genetrix Virgo, Joannes Baptiſta, ſancti Apoſtoli, & inſigniores aliqui martyres. Deinde in ſingulis Eccleſiis peculiares ipſarum ſancti commemorabantur, iique maximè quorum reliquiis ditabantur. Cæterorum fiebat in commune memoria, tametſi eorum ſingula nomina in publicis tabulis cenſerentur.

Sed regrediamur ad eorum fidelium Diptycha, pro quibus in Eccleſia preces fundebantur S. Gregorius Papa *lib.* 3. *epiſt.* 37. ad Conſtantium Mediolani Epiſcopum reſcribit nullam ipſi neceſſitatem incumbere nominandi Joannem Ravennæ Epiſcopum inter miſſarum ſolemnia, cum nec Joannes ipſum Conſtantium nominare ſoleat ad altare. In actis Chalcedonenſis continetur epiſtola Epiſcoporum Ægypti ad Anatolium Conſtantinopolis, qua de Timotheo Æluro Alexandrinæ ſedis invaſore conqueruntur, quod etiam in venerabili Diptycho in quo piæ memoriæ tranſitum ad cœlos habentium Epiſcoporum nomina continentur, quæ horis ſanctorum myſteriorum ſecundum regulas releguntur, poſuiſſet Dioſcori nomen. Inter capita conciliandæ concordiæ inter Eccleſias Latinam & Græcam Imperante Michaele Palæologo, primum fuit in ſacris hymnodiis Pontificis Romæ veteris cùm quatuor Patriarchis memoriam facere, ut refert Nicephorus Gregoras *lib.* 3. Et Alcuinus *de celebratione miſſarum* ſic ſcribit: *Poſt illa verba quibus di-*

dicitur in ſomno pacis, uſus fuit antiquorum ſicut etiam uſque hodie Romana agit Eccleſia, ut ſtatim recitarentur nomina defunctorum.

Quia verò in quotidianis collectis fidelium omnium nomina recenſeri præ multitudine non potuiſſent, mos erat præcipua nomina nimirum Romani Epiſcopi, & Patriarcharum viventium, tum Epiſcopi loci, tum Imperatoris ſive Principis ſæcularis, alta voce legere, ut ex multis veterum teſtimoniis liquet, tum eorum nomina qui oblationem ad altare fecerant, ut docet Innocentii Papæ epiſtola ad Decentium. Reliquorum nominum aliqua etiam pronunciabantur, reliqua vero communi & generali memoria comprehendebantur: ut addiſcimus ex liturgiis Baſilii & Chryſoſtomi in quibus ita legimus, ὁ Διάκονος θυμιᾷ γύρωθεν τὴν ἁγίαν τράπεζαν καὶ τὰ Δίπτυχα τῶν ζώντων, καὶ κεκοιμημένων ὧν βούλεται, μνημονεύει, *Diaconus ſacram menſam incenſat per circuitum & diptycha, vivorumque & defunctorum meminit quorum vult, Et ſubinde.* ἐνταῦθα ὁ ἱερεὺς μνημονεύει ὧν θέλει ζώντων καὶ τεθνεώτων. *Hic Sacerdos memoriam facit quorum vult virorum, & mortuorum.*

Synodus Quini ſexta in Trullo.

IUſtiniano ſecundo cui nomen Rhinotineto rerum potiente, habitus Conſtantinopoli fuit alter præſulum conventus in Trullo, id eſt Imperialis palatii ſecretario ſupernè fornicato, ubi Canones duo ſupra centum conditi ſunt; ann. Chr. 707. Quam Synodum Penthecten, id eſt Quini-ſextam nuncuparunt, quaſi ſupplementum quintæ & ſextæ à quibus nulli editi ſunt Canones. At Canones iſtos à Schiſmaticis profectos rejecerunt Romani Pontifices præſertim Sergius, qui tunc Eccleſiæ Romanæ Clavum regebat, ut teſtantur Anaſtaſius in Sergio, & Beda *lib. de ſex ætatibus*

 Adria-

Adrianus tamen Papa in ſuo ad Carolum magnum libello citat ex his Canonem 82. quemadmodum etiam Synodus ſeptima. Verum neque ex his conciliatur Synodo authoritas: Hoc enim Canone utuntur, ſicut David gladio Goliath Gethæi uſus fuit, ut ſcilicet adverſarios propriis armis debellent. Illo namque Canone Iconoclaſtas adoriuntur, quo approbantur imagines Dominum Jeſum humana figura referentes. Illa verò imaginum ejuſdem ſub agni ſpecie abrogatio per hanc Trullanam Pſeudo-ſynodum & ſcripturis divinis contradicit, quæ plerumque ſub agni tum denominatione tum effigie Salvatorem Dominum repræſentant, ut Liber Iſaiæ & Apocalypſis, & teſtimonium Joannis Baptiſtæ. Religioſus etiam primitivæ Eccleſiæ, uſus nihil habuit ejuſmodi repræſentatione frequentius, quæ paſſim viſitur in antiquiſſimis Romæ Baſilicis, & ſubterraneis cœmeteriis, aliiſque alibi vetuſtiſſimis monumentis, tum ſculpto tum muſivo teſſelatoque opere. Denique antiquus liber Ordo Romanus ex vetuſto receptoque dudum uſu loquitur his verbis: *In eadem Dominica poſt albas intra civitatem Romanam dantur agni cerei ab Archidiacono in Eccleſia poſt miſſam, & in communionem populo*. Quæ adhuc quotannis Romæ conſuetudo ſervatur.

Canon. 2. authoritatem Canonibus Apoſtolorum octoginta quinque attribuit: Et conſtitutiones Apoſtolicas à Clemente Papa editas teſtatur fuiſſe ab inſequentium temporum hæreticis depravatas. Simile protulit judicium, & cenſuram in Romana Synodo Gelaſius Pontifex de Clementis libris, ſed & ipſos qui circumferuntur Apoſtolorum Canones dicit apocryphos. Hæc habentur in decreto diſt. 15. Can. ſancta Romana Eccleſia.

Canon. 12. Uſum conjugii Epiſcopis conjugatis interdicit. Canon verò 13. ex Canone Apoſtolorum pravè intellecto permittit conjugii uſum Presbyteris & Dia-

& Diaconis jam ante ordinationem conjugatis. Cæterum ex oppoſito Canon Carthaginenſis continentiæ Diaconorum & Sacerdotum præceptum diſertè refert ad Apoſtolorum traditionem ipſam. Et utique in altaris miniſterio, quæ totius Eccleſiæ functio ſanctiſſima eſt, nihil habet minus ab Epiſcopo Sacerdos. Sed ſacris ordinibus annexum cœlibatum in iis qui etiam ante conſecrationem jam erant matrimonio colligati plenius comprobavi ad Nicænum Canon. 3. Vide inſuper Carthaginis Concilii ſecundi Can. 2.

Canon Quiniſextus 32. Armenos reprobat vinum aqua non miſcentes in ſacro altaris miniſterio. Damnat præterea hæreticos Hydropaſtas ſeu aquarios, qui ſolum ad altare aquam offerebant: quos etiam perſtringit ſcribens in Matthæum Chryſoſtomus. Et Concilium Carthaginenſe tertium eoſdem damnat Canon. 24. Atque his omnibus antiquior Cyprianus martyr epiſtol. 63. Trullanus Canon iſte vino permiſcendam eſſe in Calice aquam confirmat teſtimoniis liturgiarum Jacobi Apoſtoli & Baſilii. Vide canon. 2. de conſecrat. diſt. 1. Et vetuſtiſſimus ſcriptor Juſtinus martyr in Apologia 2. verſus finem de fidelium communione ſic ait: μεταλαβῶν ἀπὸ δ' εὐχαριςηθέντος ἄρτυ καὶ οἴνυ καὶ ὕδατος participare de pane Euchariſtico & vino & aqua, ſcilicet qua vinum ante conſecrationem dilutum fuit.

Canon 42. jubet vagos & per urbem diſcurſantes eremitas, vel in communibus Monaſteriis cum Monachis profiteri, vel ad ſolitudinem compelli, ut re ipſa exequantur quod nomine præſeferunt. Vide ſuperius circa vagos Monachos canon. 4. Chalcedonenſem.

Canon. 52. In omnibus ſanctæ Quadrageſimæ diebus jejunii præterquam Dominicis & Sabbatis, & ſancto Annunciationis die, fiat ſacrum præſanctificatorum miniſterium, ἡ τῶν προηγιασμένων λειτυργία ἱερά. Iſte notandus Græcanicæ Eccleſiæ ab antiquo ritus,

ut feriis quadrageſimæ ſacra miſſa non celebretur, ſed tantum præſanctificata offerantur, ut moris eſt apud nos die ſancto paraſceves. Balſamon ad hunc locum præſanctificatorum, inquit, liturgiam non intelligimus ſacrificium incruentum, ſed abductionem ſeu oblationem ſacrificii jam antea peracti & perfecti. Atque hanc iſtius Canonis rationem adducit, quia per ſacrificium gaudium & Eccleſiæ ſolemnis exultatio celebratur, quæ inconveniens eſt cum diebus pœnitentiæ & luctus. Idcirco Laodicænæ Synodi Canon 49. oblationes fieri & feſta martyrum cælebrari prohibet iiſdem diebus. Et Laodicænus pariter canon. 51. ſtatuit, ut hæc feſta & oblationes transferantur in proxima Sabbata, vel Dominicos dies quadrageſimæ ipſius.

Canon Trullanus 55. Sabbatorum jejunia etiam in diebus quadrageſimæ reprobat, uti & reliqua parte anni, damnans diverſum Romanæ Eccleſiæ uſum, cui etiam arroganter jubet ut inviolabiliter deinceps obtemperet iſti Apoſtolorum Canon *65.* ſi quis clericus inventus fuerit jejunans in ſancto die Dominico, vel Sabbato præter unum ſolum Sabbatum, deponatur: ſin autem laicus excommunicetur. Cæterum de jejuniis Sabbatorum require, quæ tractavi ad canon 50. Laodicænum.

Canon Trullanus *62.* legi vetat falſas martyrum hiſtorias, ſed igni tradi præcipit. Balſamon hoc loco fidem & diligentiam Simeonis Metaphraſtis commendat, qui ex antiquioribus ſanctorum vitis pleraque falſa, & commentitia quæ irrepſerant eliminavit edito hac de re caſtigatiore libro. Laudem quidem aliquam eo nomine meretur Metaphraſtes, ſed non integram. Haud enim pauca ſpuria, & ab anteceſſoribus conficta in ſuam congeſſit ſanctorum hiſtoriam ſpongia lituraque digna, ut advertunt eruditi & paſſim Baronius admonet.

Ca-

Canon. *69*. Nulli hominum liceat qui ſit in laicorum numero intra ſepta ſacri altaris ingredi : nequaquam tamen prohibita ab eo poteſtate & authoritate Imperiali, quandoquidem voluerit dona Deo offerre ex antiqua traditione, Balſamon privilegii hujus Imperialis cauſam refert ad Imperatorum unctionem, qua dicit eos ſimul inaugurari Imperio & Clero. Cæterum neque iſta unctio ullatenus pertinebat ad Sacramentum, neque à Deo præcepta fuerat ſicut unctio Regum Iſrael ex Dei mandato, ſed tantum ab hominibus inſtituta. Unctionis Regum Franciæ exordium referunt Hincmarus Remenſis & Flodoardus ad divinam inſtitutionem miraculo comprobatam delatæ cœlitus ab Angelo ampullæ, quando Clodovæus baptizatus à Remigio fuit Remenſi Epiſcopo, & Francorum Apoſtolo: quæ etiam nunc Remis aſſervatur. Poſt unctionem autem iſtiuſmodi Reges Francorum mirifica ſtrumas ſeu ſcrofulas ſolo contactu curandi poteſtate pollent. Mirum tamen eſt Gregorium Turonenſem ætati Clodovæi multò viciniorem ac ſupparem, quique in ſuam hiſtoriam miracula diligenter conquiſita congerere ſolet, nihil iſtius ampullæ de cœlo delatæ meminiſſe. Jvo Carnotenſis Epiſcopus occaſione unctionis Regis Ludovici ſexti cognomine Craſſi, qui fuerat inunctus à Metropolitano Senonenſi, præſentibus cum ipſo Jvone, cæteris Senonenſi ſuffraganeis Epiſcopis, contendit in ſua epiſtol. *189*. tum ex veteribus aliorum Franciæ Regum exemplis, tum ex aliis argumentis hanc unctionem non eſſe alligatam ſive Eccleſiæ Remenſi ſive ejuſdem Epiſcopo, ſed poſſe in aliis æque Diœceſibus atque ab aliis Epiſcopis fieri. Ultimo ſanè ſæculo Henricus quartus à quo multi ſtrumoſi curati ſunt, ab Archiepiſcopo Turonenſi fuit inunctus oleo Ampullę Turonenſis ſancti Martini, necdum ſubditis ei Remenſibus factioni contrariæ addictis.

Ut verò ad Imperatorem Conſtantinopolis redeamus, tanta hic ambitione ſupra omnem ſacroſanctæ Eccleſiæ dignitatem ſe efferebat, ut intra templum ea celſitudine ſolium ſuum elevaret, ut Patriarchæ ſedile ad ejus pedes collocaretur. Qua de re Innocentius Papa tertius Conſtantinopolis Imperatorem admonet, & coarguit cap. ſolitæ, de majorit., & obed. Nicetas Choniates in Andronico Comneno refert hunc Imperatorem pro mercede ſibi conceſſæ à Patriarcha indebitæ circa nuptiarum ex affinitate impedimentum diſpenſationis permiſiſſe; ut cleri ſubſellia tollerentur altius, quatenus lateri ipſius Patriarcha quodammodo aſſideret, totaque cleri ſeries, Verum poſt ſolemnem eo nomine habitam Imperatori gratiarum actionem, in qua Davidicum verſum Andronico applicabant: oculi mei ad fideles terræ ut ſedeant mecum; ipſum paulo poſt cum inſigni cleri totius pudore ac deriſiône juſſiſſe, ut ad priſtinam menſuram Patriarchæ clerique ſedilia rurſus deprimerentur.

Hic locus eſt congerendi veterum ſelecta teſtimonia circa clericorum ſupra quoſcumque laicos etiam Imperatores orbis in loco præſertim ſacro præceſſiones, quæ hac ſæculorum fece tanta indignitate violantur. Scribit Theodoritus libr. 5. hiſt. Eccleſ. cap. 17. magnum Theodoſium cum eſſet Mediolani, ex medio Eccleſiæ gremio proceſſiſſe ad ſacrum altare offerendi cauſa, factaque oblatione conſtitiſſe poſt cleri conſeſſum intra cancellos. Id ut advertit Epiſcopus Ambroſius miſſo Diacono Theodoſium admonuit ſolis licere Sacerdotibus & Diaconis in ſanctuario conſiſtere: mandavitque ut inde ad laicorum locum digrederetur, purpuram enim facere Imperatores ſed non Sacerdotes. Reſpondit Theodoſius excuſando ſe non per ambitum intus conſtitiſſe, ſed ſola conſuetudine adductum quam Conſtantinopoli didicerat:

rat; habere vero ſe gratiam Epiſcopo pro hac admonitione paterna, ſimulque morem geſſit & exivit. Regreſſus poſtmodum Conſtantinopolim, cum ſolitam oblationem ad altare contuliſſet, memor hujus moniti ſe extra Presbyterium ad populi ſtationem recepit. Tum Nectarius Epiſcopus rogavit quorſum recederet? At Imperator hoc demum didici (ait) quantum inter Imperatorem interſit & Sacerdotem, & vix tandem reperi ſinceri unum veritatis magiſtrum Ambroſium, quem ſolum Epiſcoporum hoc dignum nomine cognovi.

Gregorius quoque Nazianzenus orat. ad cives timore perculſos præfectum ſic alloquitur: *An me liberè loquentem æquo animo feretis? nam vos quoque imperio meo ac throno lex Chriſti ſubiicit. Imperium enim nos quoque gerimus, addo etiam præſtantius & perfectius: niſi verò æquum eſt ſpiritum carni faſces ſubmittere, & cæleſtia terrenis cedere. Sed non dubito, quin hanc dicendi libertatem ſis accepturus in optimam partem, utpotè ſacri gregis mei ovis ſacra magnique Paſtoris alumna.*

Apoſtolici vir ſpiritus & ætatis Ignatius epiſtol. ad Philadelphios his etiam altioria ſapit, & docet ita loquens: *Præfecti obediant Cæſari, præfectis autem milites, Diaconi quoque Sacerdotibus, & Sacerdotes ſimul, & Diaconi, & reliquus Clerus, omniſque populus, milites quoque & præfecti, & Cæſar obtemperet Epiſcopo, Epiſcopi verò Chriſto ſicut & Chriſtus obtemperavit Patri, & ita unitas à cunctis ſervabitur.*

His convenientia prædicat Chryſoſtomus in Matt. Homil. 83. ſacros ſic alloquens Eccleſiæ miniſtros: *Si quis dux militiæ, ſi præfectus, ſi princeps diademate coronatus indignè accedat, prohibe: majorem illo habes dignitatem: propterea vos Deus hoc tali honore inſignivit, ut talia diſcernatis.*

Carolus magnus laicos indebitum ſibi locum intra Eccleſiam vindicantes mares ſic reprimit libr. 6. capitula-

tularis cap. 290. *Si quis indebitum ſibi locum uſurpaverit, nulla ſe ignoratione defendat, ſitque plenè ſacrilegii reus qui hoc attentaverit.*

Huc pertinet præallegatum *caput ſolitæ de majorit. & obed.* quo Innocentius tertius Imperatorem commonet Epiſcopum præeſſe principibus debere: utpotè altioris dignitatis, & poteſtatis, quanto cœleſtia terrenis, ſpiritualia & divina corporalibus, & humani antecellunt. Nota eſt hiſtoria ſancti Epiſcopi Martini, ut ſe geſſerit in menſa Imperatoris Maximi. Quinetiam Valerius maximus de Religione populi Romani, quamvis falſorum deorum cultui addicti, & prætereà innumeris triumphis & ampliſſima dominatione ſuperbi, ſic teſtatur lib. 1. cap. 1. *Omnia poſt Religionem ponenda ſemper noſtra civitas duxit, etiam in quibuſummæ majeſtatis decus conſpici voluit: quapropter non dubitaverunt ſacris imperia ſervire, ita ſe rerum humanarum habitura regimen exiſtimantia, ſi divinæ potentiæ bene & conſtanter fuiſſet famulata.*

Can. 79. vulgarem illius temporis abuſum reprimit quo certis ritibus colebantur virginei partus ſecundinæ, declaratque virginis partum fuiſſe, ἀλόχευτον hoc eſt vacuum à ſecundinis, addit etiam abſque ullo ſemine τόχον ἀσπόρως συςάντα.

Can. 82. de imaginibus Chriſti ſub agni ſpecie. Vide in hanc rem quæ annotavi in iſtius Synodi exordio.

Canon. 8. notabile continet documentum. Quoties (ait) non inveniuntur teſtes firmi qui circa omnem dubitationem affirment fuiſſe infantem baptizatum, debere citra omnem hæſitationem baptizari, idque eſſe veteris & canonici uſus. Hoc idem conſtanter definivit Gregorius magnus *lib.* 12. *epiſt.* 37. his verbis. *Hoc ritè tenere debetis quod & nos ab anteceſſoribus noſtris traditum accepimus, ut quoties tam de baptiſmo aliquorum, quam de confirmatione, quam de Eccleſiarum conſecratione dubitatio habetur, & nec ſcriptis, nec teſtibus*

certa

certa ratio habetur, ut baptizentur tales, vel confirmentur, atque Eccleſiæ canonicæ conſecrentur, ne talis dubitatio fidelibus ruina fiat; quoniam non monſtratur iteratum quod certis judiciis non oſtenditur ritè peractum; Hæc nos vobis tenere & mandare docemus, &c. Hæc norent inaniter arguti Caluiſtæ, qui malunt animas Chriſti morte redemptas in re dubia de æterna ſalute periclitari, quàm Sacramentum etiam abſolutæ neceſſitatis de aliqua iteratione; perinde ac ſi Sacramenta ipſa Deus non inſtituiſſet in ſubſidium & ſalutem animarum: cum in dubio præcipiat ſapientiſſimus ſimul & ſanctiſſimus Pontifex Gregorius adminiſtrari quoque confirmationem, quæ tamen non æquè eſt ut baptiſmus abſolutæ ad æternam vitam neceſſitatis. Hæc eadem de baptiſmo pariter & Eccleſiarum conſecratione, quoties dubium occurrit, reſolvit præterea Concilium Carthag. quintum Canon 6. Ut ſummiſtas omnino relinquamus intactos S. Raymundus *libr.* 3. *ſummæ titul. de ætat. ordin.* §. 1. hæc eadem extendit ad ordinationem, ita dicens: *Regulariter teneas quod in hujuſmodi de quibus non conſtat quod ſint de eſſentia vel non, invenitur tamen quod debent fieri, intelligas omnia eſſe de eſſentia: Unde ſi aliquid tale de quo dubitatur utrum ſit de ſubſtantia vel non, fuerit omiſſum, poteſt ordinatio iterari; non enim intelligitur iteratum quod neſcitur eſſe factum, diſt. 68. cap. Preſbyteri. Et de. conſecr. diſt. 1. cap. Solemnitates.* Hæc aliaque Raymundus. Et tamen antiquioribus nondum in mentem venerat illa providè ſequentibus excogitata ſæculis, in caſibus ambiguis conditio præſcripta in *cap. 2. de baptiſm.* ſi non es baptizatus, &c. Ideoque verborum etiam abſoluta forma in re dubia conferebant Baptiſmum, Confirmationem, Ordinem, Eccleſiæ conſecrationem.

Canon 96. Qui Chriſtum per baptiſmum induerunt ejus in carne vitæ agendæ rationem imitari profeſſi ſunt. Sententia hæc omnium Chriſtianorum infixa

cordi

cordi eſſe debet. οἱ χριϛὸν διὰ τοῦ βαπτίσματος ἐνδυσάμενοι τὴν ἐν σαρκὶ αὐτοῦ πολιτείαν μιμεῖσθαι καθωμολόγησαν.

Canon 100. Picturas fieri prohibet quæ ad turpes libidines illiciunt, & facientes jubet excommunicari. Id enim quæ hic legitur vox ἀφοριζέσθω ſignificat, non verò ut Latinus vertit interpres depoſitionem. Quam pœnam ſolent Græci Canones exprimere per verbum καθαιρέσθω, ſoloſque hac cenſura clericos plectere, Exemplum in hanc rem memorabile refert Proſper lib. de promiſſ. & prædict. Dei c. 6. Puellam in balneo ſe lavantem ex aſpectu laſcivo, quæ inibi erat ſtatuæ Veneris fuiſſe protinus à Sathana poſſeſſam, multiſque vexatam diebus donec ad reliquias S. Stephani martyris liberata eſt.

Canon 101. Minimè permittit communicantes Euchariſtiam aliquo vaſculo excipere, ſed manibus ipſis in crucis figuram conformatis. Hoc idem ſuadet Cyrillus Jeroſolymitanus catech. magiſt. 5. Quem etiam veterem communicandi ritum ſic exprimit Chryſoſtomus lib. 3. de Sacerdotio ὁ μετὰ τοῦ πατρὸς ἄνω καθήμενος ταῖς ἁπάντων κατέχεται χερσὶ, *qui cum patre ſurſum ſedet omnium manibus continetur*. Alicubi tamen mulieres ſacram Euchariſtiam linteamine excipiebant, ut docet Auguſtinus *ſerm.* 252. Maximus martyr & Monothelitarum debellator admonet communicaturos viros ut priùs manus abluant, mulieresque ut linteamina mundiſſima deferant ubi Chriſti corpus accipiant. Denique Concilium Antiſiodorenſe præcipit Can. 36. *Non liceat mulieribus nuda manu Euchariſtiam ſumere*. Vocatque idem Conc. Can. 42. *Dominicale* linteum illud in quo jubet à fœminis Euchariſtiam excipi.

Septima Synodus Oecumenica Nicæna II.

LEo Iſauticus Imper. ſuadentibus Conſtantino Epiſcopo Nacoliæ, & Beſeræ qui Chriſtianis ortus parentibus deinde captivus in Syriam adductus Mahumetanam hauſerat impietatem, bellum execrabile ſacris ima-

imaginibus indixit, quas edicto propoſito ex Eccleſiis aliiſque quibuſcumque locis proſcripſit. Dum vero pervetuſtæ Religionis imaginem Salvatoris, quæ ad ænea urbis portam ſita erat ex edito loco vi ferroque deturbat ſuccenſent qui aderant, totaque hoc nuncio civitas percellitur: tunc armati populi concurſu ſatellites diſcerpuntur, & apparitores ad hoc exequendum facinus miſſi. Ea de re infrendet ferox & truculentus Leo, totamque urbem rapinis, hominum raptationibus, & feralibus ſuppliciis infeſtat & cruentat.

Aggreditur inter alios ſapientiſſimum & venerandum Studitarum collegii præfectum; ejuſque duodecim contubernales divina humanaque ſapientia inſtructiſſimos ad quos ſeu ad oraculum in præcipuis divinarum humanarumque diſciplinarum ambiguitatibus recurri ſolebat, quos ipſi quoque Imperatores frequenter conſulebant. Hos privatis colloquiis, adhibitis nunc blanditiis nunc minis in ſuas partes attrahere conatus eſt Leo, ſed eorum conſtantia repulſus, eoſdem cum ædibus in quibus convivebant una cum inſtructiſſima Bibliotheca flammis una nocte abſumpſit. Novis præterea ſceleribus priora accumulans ſanctorum etiam cultum abolere, eorum loculos perfodere, ſacraque fœdare lipſana inſtitit. Has excitatas à Leone tragædias recenſent author hiſtoriæ miſcellæ, Nicephorus Conſtantinopolis Patriarcha in Breviario, Zonaras, & Cedrenus in Leone; ipſaque paſſim hujus Synodi acta.

Deum truculenter furit Leo, Regiæ urbis Patriarcha Germanus vir ſanctiſſimus omni ſtudio naſcentem impietatem coercere nititur, atque fideles quos dira inſectatio urgebat aut labefactat confirmare: hunc privatis colloquiis fruſtra tentatum ex ſede Patriarchali & urbe exegit: ejuſque loco Anaſtaſium iconoclaſtam Leo ſubrogavit. Joannem quoque Damaſcenum piarum imaginum ſtrenuum defenſorem, tranſmiſſis ad principem Damaſci confictis proditionis litteris, accu-

ſat,

ſat, quaſi Damaſcenam civitate cujus cuſtodiæ Joannes præfectus erat, ſibi vendere attentaſſet: unde ipſi dextera manus juſſu principis barbari amputatur; ſed ei præciſam manum invocata Dei genetrix inſigni miraculo reſtituit.

Sic efferatum graſſantemque Leonem Gregorius Papa II. boni ſollicitique paſtoris pro Dominico grege munus obiens à cæptis nefariis per litteras revocare conatur; verum creſcente in dies illius rabie anathemate perculit, ſimulque Italiam ejus dominationi ſubtraxit, atque illi tributa ulterius pendi prohibuit: Tum ille majori percitus rabie comparata ingenti claſſe, & Pontificis & Italiæ molitur exitium. Sed claſſem cum omni bellico apparatu ad Adriaticum littus exorta tempeſtas alliſit, aliiſque ſimul calamitatibus ejus Deus ferociam reprimit, & impietatem ulciſcitur urbium undequaque defectionibus, fame, penuriaque, peſtilentiis, & horrendis terrarum motibus eouſque ut Regiæ urbis ædes pœnè omnes publicæ privatæque integri anni aſſiduis concuſſionibus corruerint, ipſaque urbis mœnia ſolo æquata ſint, ipſe vero Leo diris excruciatus torminibus infœlicem animam exhalavit.

Leonem filius excepit Conſtantinus, cui cognomen inditum Copronymi fuit ab excrementorum profluvio, quo dum infans baptizaretur ſacrum lavacrum inquinaverat. Qui verò illum baptizabat Germanus Patriarcha vaticinatus eſt ejus aliquando impietate ſanctam Dei Eccleſiam fœdatum iri. Prædictionem eventus demum comprobavit. Hic ſe totum magicis flagitiis & cacodæmonum animarumque execrandis evocationibus, & piorum præſecutionibus, addixit. Dei genitricis aliorumque ſanctorum cultum atque ſacrarum imaginum inhibuit.

Tot impietatibus & convinctis una crudelitatibus commoti populi Conſtantino rebellant, affinemque illius Artabaſdum Curopalaten qui adverſus illum arma ſumpſerat,

pſerat, deſignant Imperatorem: Bereſem vero tot malorum authorem ſuaſoremque obtruncant, ſacraſque imagines priſtinis locis reponunt. Sed comparato exercitu Copronymus Conſtantinopolin terra mariq; obſidet, atque ad deditionem compellit. Curopalati oculos effodit, ejus libros interficit, ne quis ex illa progenie ſcelerum ipſius & ſacræ Religionis vindex ſupereſſet. In reliquos perduelles crudeliſſimè deſævit, quamplurimos præciſis ferro manibus, variiſq; ſuppliciis excarnificator interimit, reliquo omnibus fortunis expoliat. Quinetiam veſaniæ ſuæ ſpecimen erga Pſeudo patriarcham Anaſtaſium exhibet, quamvis ejuſdem ſecum impietatis fautorem. Hunc enim aſello præpoſterè impoſitum, & flagello per urbis compita cæſum, in thronum Patriarchalem denuò collocavit.

Cùm verò Romani Pontifices Concilia diverſa in Occidente diverſis locis cogerent, ut malum in Religionis exitum erumpens cohiberent. Copronymus Pſeudoſynodum trecentorum, & triginta antiſtitum Conſtantinopoli coegit, qua in ſacras imagines conclamatur. Interea Conſtantinus Monachus Pſeudopatriarcha ſucceſſor Anaſtaſii, ſatellitio Imperatoris ſtipatus, per forum, per Eccleſias, per omnis ſexus Monaſteria, per privatorum ædes concurſans, imagines quotquot ſupererant, diripit, abradit, deiicit; & eos qui habebant verberibus & carceribus mancipat: Sanctorum reliquias cum venerandis imaginibus, & Catholicorum libris per fora excitatis rogis incendit. Ipſe verò Copronymus aliquot Senatores, & clariſſimos viros, eo quod prohibitas imagines coluiſſent, vel occultaſſent, duriſſimis nervis in medio foro verberari ad necem juſſit: Monachos etiam & Sanctimoniales raptari, & poſt immania ſupplicia, & ludibria trucidari. Qui verò ſuperfuerunt Monachi compulſi ſunt pallio, & cucullo depoſito inire inceſta connubia, ſordidiſque artibus victum quærere. Inter milites quoque Monaſteria diſtributa ſunt, ut omnis

Inſtituti Monaſtici memoria prorſus aboleretur, Monaſteriorum autem prædia, & facultates fiſco additæ.

Conſtantinum Pſeudopatriarcham tot ſcelerum facem ac incentorem divina vltio proſequuta eſt. Cùm enim deteſtandus Copronymus arcanum illi ſuum de abroganda Chriſto divinitate aperuiſſet, nec ille rem ſilentio texiſſet, juſſus eſt per urbis vicos flagellari, & in ſordiſſimo loco jugulari. Par etiam ultio in Copronymum incubuit, cui pedes ardentibus anthracibus intumuerunt, tantoque æſtu totum ejus corpus exarſit, ut vociferaretur infelix ſe inextinguibili traditum igni ob violatum Deiparæ nomen, & cultum, & cùm eandem juſſiſſet honorificè coli, ſera tamen ejus minimè recepta eſt pœnitentia, ſed acerbiſſimo, & horrendo interitu ad quæ migraret ſupplicia demonſtravit.

Succeſſorem Copronymus habuit Leonem filium, qui Catholicum ſe principio ſimulavit: ubi verò ſuum ſtabili fundamento firmatum credidit Imperium, in apertam hæreſis profeſſionem erupit, quam & ſacrilegio cumulavit. Cùm enim gemmarum cupiditate carbunculis radiantem coronam, quam in majori Baſilica Mauricius olim dedicarat, detractam inde ſuo capiti impoſuiſſet, eruperunt ex illius capite venenati carbunculi, ex quibus ardens exorta febris hominem brevi extinxit, ut Theophanes, & Miſcellæ hiſtoriæ ſcriptor Diaconus referunt.

Hic hæredem reliquit Conſtantinum ex Irene ſuſceptum filium. Irene gubernacula ſuſcepit Imperii ſub Conſtantino decenni puero. Tum demum immanibus diuturniſque procellis diſcuſſis, pax, & nova lux Orientis Eccleſiis refulſit, Catholicæ namque Religionis amantiſſima Irene, nihil antiquius habuit quam ut illam jacentem excitaret, Regiamque civitatem multiplici anathemate involutam, & a reliqua Eccleſia divulſam reduceret. Cùmque Paulus abdicato Patriarchatu ſe in Monaſterium concluſiſſet ad ſpontaneam

neam pœnitentiam, reſpondit Imperatoribus cauſam rei ſciſcitantibus, quia Copronymi Conciliabulo, quo procuſum fuit adverſus venerandas imagines decretum; ſuam adiecerit ſubſcriptionem, & ni pœnitentia ſcelus elueret, æterno foret ſupplicio damnandus. Qua permoti reſponſione Imperatores de optimo Patriarcha eligendo ſolliciti Taraſium promovendum curarunt. Ille verò graviſſimum onus detrectabat; nec prius urgentibus Auguſtis ceſſit, quam fore pollicerentur, ut legitimam Synodum ex Romani Pontificis conſenſu indicendam, & habendam curarent.

Scripſit ergo litteras ad Adrianum Papam Taraſius, quibus dè ſacrarum imaginum cultu piè, doctèque diſſerit. Scripſere pariter ad eumdem Conſtantinus, & Irene, rogantes ut Synodum indiceret, ſuoſque de more Legatos ad eam mitteret. Lætior Pontifici nullus afferri poterat nuncius. Itaque Petrum Archipresbyterum Eccleſiæ ſancti Petri, & alterum Petrum Abbatem ſancti Sabæ committit; qui ſuo nomine Synodo præſint. Cæterùm adeò Conſtantinopoli hæreſis invaleſcebat; ut ibi tumultus incredibiles excitarint Iconomachi; quos nec ipſi potuerunt Imperatores compeſcere.

Igitur Nicæa prælecta fuit in qua Synodus haberetur; quæ civitas Metropolis Bithyniæ eſt, prima Synodo Oecumenica dudum inſignis. Interfuere cum Taraſio religioſiſſimo Conſtantinopolis Epiſcopo duo Monachi Joannes, & Thomas ſedium Orientis Patriarchalium locumtenentes; & cum his trecenti quinquaginta Epiſcopi multique cum delectis Monachis Archimandritæ; qui Patrum conſeſſum ſanctitatis, doctrinæque ſplendore decorabant, miſſique ab Imperatoribus aliquot Senatores. Concilio præſedetunt Apoſtolici Legati. Geſta hæc ſunt Chr. an. 787. Coacta jam Synodo multitudo Epiſcoporum ſupplices libellos obtulerunt ad veniam deprecandam; eò quod Co-

pronymi Synodum approbaſſent : in primis Gregorius Neoceſarienſis , qui fuerat in Pſeudo-ſynodo quaſi præſes, & anteſignanus. Utramque in partem agitata ſententia eſt, ſed mitior demum prævaluit, qua cunctis condonatum eſt, & permiſſum, ut ſuum quiſque gradum, & dignitatem retineret. Lecta primum fuit Adriani epiſtola, cui honorificè ab omnibus acclamatum eſt. Placuit deinde ut ex Sanctorum Eccleſiæ doctorum libris depromptæ palam legerentur graviſſimæ ſententiæ, & exempla, quibus Religioſa imaginum veneratio aſſeritur, tamquam à Sanctiſſimis Patribus tradita, jam inde ab exordiis Eccleſiæ, continuoque Chriſtianorum ſæculorum uſu recepta , plurimiſque confirmata miraculis. Quapropter Patrum ſuffragiis ſancitum eſt, ut in Eccleſiis aliiſque honeſtis locis, Chriſti Domini Sanctorumque imagines collocentur ad piam memoriam , & virtutum imitationem excitandam : tum etiam ut ipſi in ſuis imaginibus debita ſibi veneratione colantur, quandoquidem his delatus honor ad Prototypum, & exemplar refertur quod illæ repræſentant . Decretum quoque uti fideles debita veneratione Sanctorum reliquias proſequantur, & his contradicentes hæretici declarantur, & anathemate feriuntur.

His ſanctiſſimè conſtitutis placuit in medium proferri Salvatoris imaginem , & ab omnibus ſuppliciter procumbentibus adorari. Perlecta etiam ne quid deeſſet examinataque ſedulò fuit Copronymi Synodus , ejuſque vanæ rationes veriſſimis aliis everſæ , & quantum opus erat expoſitum divinarum litterarum teſtimonia , quibus idola gentium redarguuntur nihil cum ſanctis imaginibus habere commune . Proinde damnata illa Pſeudo-ſynodus omnium conſenſu fuit, & dictum anathema in Anaſtaſium, Conſtantinum , & Nicetam Pſeudo patriarchas . Poſtremò ſancta Synodus Canones XXII. adiecit. His ritè peractis, Taraſius tranſmiſſis ad Adrianum litteris rerum in Synodo geſtarum rationem

tionem reddidit. Porrò Adrianus non ſolum Apoſtolica authoritate Synodum munivit, & approbavit, ſed præterea conſcripta ad Carolum Magnum epiſtola defendit ab aliorum criminationibus.

Actione hujus Synodi quinta inter quampluiima Sanctorum teſtimonia locus adducitur Joannis Theſſalonicenſis Epiſcopi, quo aſſeritur Sanctos Dei Angelos, Sanctorumque animas figuris corporeis ſufficienter repræſentari, eò quod utriſque Catholica Eccleſia corporeas ſubſtantias attribuat, tenuiſſimas quidem utpotè igneas, aut aereas. Idque author ille confirmare intendit cum Davidis, atque Apoſtoli teſtimonio iſto: *Qui facit Angelos ſuos Spiritus, & Miniſtros ſuos flammam ignis*, tum etiam Athanaſii, Baſilii, Methodii aliorumque Patrum authoritate. Quod ait author ille de ſenſu Catholicæ Eccleſiæ non ſic intelligendum eſt, quaſi Eccleſia hoc definiviſſet, ſed quia complures, & illuſtres Eccleſiæ Doctores hoc aſſerebant, ita ut ea tum ſententia prævaleret; Nec ſolùm apud Græcos, ſed & apud Latinos, ex quibus eſt Hilarius *in Matt.* S. Auguſt. innumeris penè locis *lib.* 3. *de Gen. ad lit. c.* 10. *& epiſt.* 111. & 115. *& lib.* 3. *de Trinit. c.* 11. *& in Pſal* 85. *&* 145. *& lib.* 2. *de Civ. Dei c.* 23. *& lib.* 15. *c.* 23. *& l. de divination. demon. & in Enchir. c.* 59. & alibi, ut afferat Vaſq. *tract. de Angelis* non dubitaſſe Auguſtinum Angelos eſſe corporeos, ſed tantum an eorum corpora contrectari poſſent. Hoc idem tenuit quoque Caſſianus *collat.* 7. *cap.* 13. Bernardus hoc propendet *ſermon.* 5. *in Cant.* & Angelis corpus aereum aſſignat, *libr. de conſiderat.* His accedit Rupertus Abbas *libr.* 1. *de Trinitat. cap.* 11. Ex Græcis præter commemoratos Athanaſium, Baſilium, Methodium, Joannem Theſſalonicenſem, idem ipſum tradit Origines *lib.* 1. *Patriarchon in proem.* Cæſarius Nazianzeni frater *dialog.* 1. Elias Cretenſis *ad orat.* 1. Nazianzeni ad verba iſta: *nihil cum mihi*. Quotquot etiam ex Græcis, Latiniſque docuerunt

Angelos cum mulieribus conſuetudinem habuiſſe, ex iiſque progenuiſſe Gigantes Juſtinus, Irenæus, Clemens Alexandrinus, Euſebius Cæſarienſis, Tertullianus, Lactantius, aliique, qui licet aſtruant in Angelis, & hominum animis ſpiritualem ſubſtantiam, id unum volunt eſſe tenuiſſimam, & ſubtilem admodum, longèque diſtantem a concretis, craſſioribuſque corporibus, non tamen omnis expertem materiæ. Olim prævaluerat apud ſanctos Patres Platonis Philoſophia dœmones elementares conſtituentis, & animas igneæ ſubſtantiæ. Exortu poſtmodum Scholaſticæ Theologiæ receptior evaſit Ariſtotelis doctrina *lib.* 12.*Metaph.c.*6.7.8. aſſerens, & probans intelligentias eſſe ab omni materia, & quantitate ſeparatas. Idque fortius apud Chriſtianos ſuadet viſio divinæ eſſentiæ, quoniam videbimus Deum ſicuti eſt 1.*Jo.*3. ad hanc verò viſionem nullam habere poteſt aptitudinem nec remotam quidem aut ſupernaturalem materialis ſubſtantia. Itaque Magiſter ſententiarum, & Thomas, & alii ferè omnes ſcholarum Theologi oppoſitam veteribus illis ſententiam conſectantur: cui plus etiam favent hæc Lateranenſis ſub Innocentio III. Concilii verba, quæ leguntur in *cap. firmiter de ſum. Trinit. Deus utramque de nibilo condidit naturam ſpiritualem, & corporalem, Angelicam videlicet, & mundanam: deinde humanam quaſi communem ex Spiritu, & corpore conſtitutam, &c.*

Etſi verò probabilius ſit Lateranenſis Concilii eam non fuiſſe mentem, ut res iſta tamquam fidei propoſitio ibi definiretur; non foret tamen temeritatis expers his inſtructioribus ſæculis pervicax in contrarium opinio. Et verò ſancta Dei Eccleſia temporum progreſſu novis cognitionibus plenius illuſtratur: unde ſcribitur in Cantico procedere illam inſtar ſurgentis auroræ. Quod exemplis ſequentibus patefit.

Licuit priſcis ſæculis Angelos credere corporeos, & ex his nonnullos cum mulieribus antequam cœlo exularent, corporum habuiſſe commercia. Licuit ſimiliter

ſan-

ſanctis olim Doctoribus Papiæ Hierapolitano, Melitoni Sardenſi, Irenæo, Juſtino, Lactantio, Severo Sulpitio, eſſe chiliaſtis, quæ nunc perſuaſio hæretica, & piacularis eſſet. Licuit initio eximiis illis viris, S. Cypriano Carthaginenſi, Dioniſio Alexandrino, & Firmiano Cæſarienſi, & ampliſſimis totius Africæ, & Alexandrinæ Diœceſeos Synodis omnium indiſcriminatim hæreticorum rejicere baptiſmum, quod ſive poſt Stephani Papæ decretum, ſive poſt Nicænam Synodum, pœnam mereretur anathematis. Licuit antiquis de multis Scripturæ partibus ambigere an canonicæ eſſent, ut obſervatum ſuperiùs à nobis eſt ad Laodicænum can. 59. At re poſtmodum perſpicuè definita non liceret circa hujuſmodi animo eſſe ancipiti. *Multa nunc ſcimus* (ait Alfonſus de Caſtro *lib.* 1. *de hæreſib.c.*27.) *quæ à primis patribus, aut dubitata, aut prorſus ignorata fuerunt: Multa didicit Mater Eccleſia* (inquit Paulus Serlogus Societ. Jeſu anteloquio 3. in Cant. ſeſſ. 3. *proceſſu temporum multa ſtabilivit, declaravitque fidei dogmata quæ licitis olim opinionibus jactabantur*. Vincentius Lirinenſis ſic loquitur *adver. hær. commonit.* 1. *c.* 27. *Creſcat igitur oportet, & multum, vehementerque proficiat tam ſingulorum quam omnium tam unius hominis, quam totius Eccleſiæ ætatum, ac ſæculorum gradib. intelligentia, ſcientia, et ſapientia.*

Canon 14. reprobatur abuſus quo pueri Clerici poſt tonſuram admittebantur ſtatim ad legendum in Eccleſia pro ſuggeſtu ante ſuſceptam Lectoris ordinationem. Permittitur deinde Abbatibus modò Sacerdotes ſint & ab Epiſcopo benedicti, Lectores ordinare, proprios duntaxat Monachos. Permittit Chorepiſcopis idem Canon lectores ordinare, dum præceſſerit Epiſcopi conſenſus. Conc. Trid. *ſeſſ.* 23. *cap.* 10. Abbatibus pariter Sacerdotibus, & ab Epiſc. benedictis indulget, ut ſubditis Monachis tonſuram, & minores ordines conferant.

Can. 15. Prohibet duas cuiquam Eccleſias conferri etiam paupertatis obtentu; quo caſu proponit imitandum potius Paulum in Actis Apoſt. proteſtantem ſe ad

ſui, ſuorumque victumque propriis manibus laboraſſe, quod in ſuis pariter epiſtolis inſinuat. Hic tamen Canon ubi magna eſt Clericorum penuria duas permittit ab uno, & eodem Eccleſias in minoribus oppidis poſſideri. Refertur à Gratiano *c. Clericus* 21. *q.* 1. Idem ante ſanciverat Synodi Chalcedonenſis Can. 10. interdicens ne quis Clericus duarum civitatum Eccleſiis aſcribatur. Pari ratione cavetur in Concilio Agathenſi Can. 57. & in Epaunenſi Can. 9. & in Lateranenſi ſub Innocentio III. Can. 29. & in Tridentino *ſeſſ.* 7. *c.* 24. *&* *ſeſſ.* 14. *c.* 17. necnon in *c. unum Abbatem* 21. *q.* 1. ne unus duobus monaſteriis Abbas præficiatur. Jus quoque civile non permittit duplicem in uno militiam, ſeu duobus mereri cingulis, aut ſtipendiis, *l. bis quidem*, *c. qui milit. non poſ. lib.* 12. ſed hanc quæſtionem paulò fuſiùs, & dilucidiùs diſcutiamus.

Canonum periti duplicem norunt plurium beneficiorum incompatibilitatem primi generis, & ſecundi. Incompatibilitas primi generis ea eſt, ut ſecundo per pacificam poſſeſſionem obtento beneficio, primum ſtatim vacet, *c. de multa* 18. *de præben. &* *extr. execrabilis*, *eod. tit.* *& c. litteras* 9. *de conceſ. præben.* *& c. cum in cunctis* 7. §. *cum vero*, *de electìon.* Altera, ſeu ſecundi generis incompatibilitas ea eſt, qua ſimul nequeunt plura licitè beneficia ſimplicia teneri, niſi accedat diſpenſatio quæ juſta cauſa ſubnixa ſit: nec ideò tamen vacant priora beneficia per poſterioris adeptionem, quamvis horum ſingula ſufficere poſſint ad victum. Etenim ſi ſingula non ſufficiant honeſtæ ſuſtentationi, poſſunt duo, vel tria licitè poſſideri citra diſpenſationem juxta Trid. Conc. decret. *ſeſſ.* 24. *c.* 17. his verbis: *Statuit ſancta Synodus, ut in poſterum unum tantum beneficium Eccleſiaſticum ſingulis conferatur; quod quidem ſi ad vitam honeſtè ſuſtentandam non ſufficiat, liceat nihilominus aliquod ſimplex beneficium, dummodò utrumque perſonalem reſidentiam non requirat, eidem conferre.* At vero

ro

rò ad incompatibilitatem primi generis pertinent duę ſimul dignitates, ut duo Epiſcopatus, duo decanatus, aut unus decanatus ſimul cum præpoſitura, vel Archidiaconatu. Item plures parochiæ aliavè curata beneficia. Item plures in eadem Eccleſia perſonatus, aut dignitates etiam ſine animarum cura, Denique plures uniformæ præbendæ ſub eodem tecto quamvis ſimplices, ut duo Canonicatus, *c. littera de conceſſ. præben.* Hæc quoque incompatibilitas extenditur ad Epiſcopum, qui ſtatim atque conſecratus eſt, & bonorum Epiſcopalium fructu gaudet (non enim iſthic comprehenduntur Epiſcopi merè titulares, aut aliorum Epiſcoporum ſuffraganei, qui licet conſecrati, non tamen fruuntur Eccleſiarum Epiſcopalium proventu) aut etiam elapſo tempore quod Canones Epiſcoporum conſecrationi præfixerunt, amittit illicò jure ipſo omnia quæ priùs habebat beneficia, niſi Apoſtolicæ ſedis ſe diſpenſatione præmuniverit, *c. cum in cunctis* 7. §. *cùm vero de elect.* Sed ſi pauper ſit Epiſcopus, poterit adhuc ei ſimplex conferri beneficium: licet enim amittat anteriora, non tamen jus facit eum inhabilem ad poſteriora ſimplicia, ut docent Martinus Navarra, & Leſſ. *lib. 2. de juſt. c. 34. dub. 27. n. 139.*

Can. Nicænus 16. cavet ne Epiſcopi, aut Sacerdotes aliique clerici ſplendidis, ac inſignibus indumentis, aut unguentis odoratis utantur, eoſque puniri ſancit quicumque Clericum modeſtè veſtitum deriſerint. Prohibet etiam quibuſvis Eccleſiaſticis deferre in veſtium oris, ac marginibus lacinias verſicolores. Citatur *in c omnis jactantia* 2. *q.* 4. Require ſuperius Concilii Carthaginenſis quarti Can. 45.

Canon Nicænus 17. Perſonarum Monaſticarum frequentem hoc ſæculo abuſum reprobat, quæ cum in Monaſteriis propriis ſubeſſent nolint, novà Monaſteria conſtruere aggrediuntur quibus præficiantur. Præterea inhibuit Epiſcopis ne novas Eccleſias, aut oratoria ex-

extrui permittant, niſi ea ſuppetant, quæ ad perfectam fundationem ſufficere poſſint,

Can. 20. Prohibet omninò duplicia Monaſteria ſimul cohærentia, id eſt Monachorum hinc, & Monialium inde: huc pariter ſpectant ad evitanda periculoſa conſortia regulę iſtæ S. Baſilii; non habeat Monachus aditum ad Monacham; vel Monacha ad Monachum ſecretò ad collocutionem. Non cubet Monachus in muliebri Monaſterio. Si contigerit, ut aliquam propinquam ſuam videre velit Monachus, in præſentia Abbatiſſæ huic colloquatur per modica, & compendioſa verba, & in brevi ab ea diſcedat. Haſce Baſilii regulas iuſtaurat Canon iſte. Videto ſuperiùs alia huc pertinentia ad Can. 28. Conc. Agathenſis jubentem diverſorum ſexuum Monaſteria longè invicem eſſe remota. Alia hùc ſpectantia revise pariter ad Conc. Toletani primi Can. 6.

De Synodo Francofordienſi libriſque Carolinis.

ANno 794. celebrata eſt Francofordii ad Mœnum amnem Synodus (eſt enim alter cognominis urbs ad flumen Oderam) tempore Adriani Papæ primi, & Caroli magni Francorum Regis. Hæc approbata fuit quatenus hæreſim damnat Elipandi Toletani Epiſcopi, & Felicis Epiſcopi Urgelitani; qui Jeſum Chriſtum hominem negabant filium eſſe Dei naturalem, ſed aſſerebant tantummodo eſſe adoptivum Deique ſervum. Quatenus autem damnat ſeptimam de imaginum cultu Synodum omni caret authoritate.

Patres namque Francofordienſes rei geſtæ ignoratione planè decepti ſunt. Rejiciunt enim Synodum (ut loquuntur) Græcorum de adorandis imaginibus Conſtantinopoli in Bithynia celebratam ſine conſenſu Romani Papæ. Quibus verbis multiplex circa factum error involvitur. 1. Conſtantinopolis Nicæa. 2. Conſtantino-

po-

polim eſſe Bithiniæ urbem cum ſit Thraciæ 3. fuiſſe Græcorum Synodum illam ſine Romani Papæ conſenſu habitam, cum tamen conſtet fuiſſe ab ipſo Adriano Papa indictam, & approbatam, ejuſque Legatos in ea præſediſſe. 4. eandem Synodum conſtituiſſe ut imagines eodem cum Deo cultu colerentur, cum tamen ejus act. 1. Baſilius Ancyræ Epiſcopus quondam iconomachus non aliter à Nicæna Synodo admiſſus fuerit, niſi profitendo palam ſacras imagines eſſe venerandas, & adorandas modò ne latriæ cultu, qui ſoli Deo debetur. Et Act. 3. Conſtantius Conſtantiæ Cypri Epiſcopus; actionibus 4. & 7. aliique ſimiliter Eccleſiæ reconciliati fuerint, & unitati fidelium redintegrati cum eadem fidei proteſtatione, modò ne latriæ cultu ſoli Deo competenti ſacræ imagines adorentur.

Porrò ut omnis verborum tollatur ambiguitas, latriæ cultum hic intelligunt Nicæni patres abſolutum illum cultum, qualis à Gentilibus deferebatur idolis, quæ abſoutè ab iiſdem ut dii colebantur, exiſtimantibus numen in illis ſtatuis reſidere: cum tamen fidelium cultus erga imagines ſit reſpectivus ad Deum, vel Sanctos per imagines repræſentatos, ut poſſit ejuſmodi cultus pro exemplarium dignitate coram imaginibus delatus, dici latriæ, vel hyperdulię vel dulię cultus reſpectivus quidem quoad imaginem, abſolutus autem quod attinet ad exemplar; ſeu pro totypum per imaginem repræſentatum.

Anterioris ſæculi an. 1549. prodiit in publicum ignotus antea liber Carolo magno aſcriptus, & ab eodem ad Adrianum Pontif. directus contra imaginum venerationem, abſque ulla ſive loci, ſive Typographi nota.

Si liber non eſt ab iiſdem qui publicarunt hæreticis confictus, non alium habet authorem quàm ejuſdem cum Carolo ſæculi iconoclaſtam, non ipſum Carolum à quo tamen tranſmiſſus ad Adrianum fuit, ut ſuo nomine, cenſuraque Apoſtolica illum perſtringeret, aut refelleret. Extat utique Adriani Papæ ad Carolum li-

ber, quo prior ille liber ſacras oppugnans immagines accuratè refellitur, Ex quo Adriani libro Ivo Carnotenſis pleraque deſumpta inſerit in quarta decreti ſui parte. Conſtat certè ex Anaſtaſii præfatione ad ſeptimam Synodum Gallos nonnullos imaginum venerationem reſpuiſſe.

CONCIL. VORMATIENSE.

SUb Adriano Papa II. & Imperatore Ludovico II. an. Domini 868. habitum eſt Concilium Vormatienſe, hujus Canon 22. ita decernit: *Si pater, vel mater filium, filiamque intra ſepta Monaſterii in infantiæ annis ſub regulari tradiderit diſciplina, non liceat eis poſtquam ad annos pubertatis pervenerint, egredi, & matrimonio copulari: hoc ergo omnibus devitandum eſt, quia nefas eſt ut oblatis Deo à parentibus filiis voluptatis fræna laxentur: igitur ut prædiximus non liceat eis ſuſceptum habitum unquam dimittere, ſed convicti quod tonſuram, aut Religioſam veſtem aliquando habuerint, in Religionis cultu habituque velint nolint permanere cogantur.* Adeò perſpicuæ ſunt iſtius Canonis, & plurimorum aliorum conformium Canonum expreſſiones, ut pudor omnis animique ſinceritas prorſus ei ableganda ſit, qui per multiplices alienarum, & violentarum gloſſarum invectiones in oppoſitum ſenſum hæc detorquere obnitatur, quem voces ipſæ, & ultrò, & iteratò præ ſe ferant. Eadem non minus evidentibus verbis repetitur ſancto ſequenti Can. 23. *Monachum aut paterna devotio, aut profeſſio facit, &c.*

Iſtiuſmodi Eccleſiæ uſus, & diſciplina non hic habuit initium, hoc enim ante conſtituerat Gregorius Papa II. in ſua ad Bonifacium Moguntiæ Epiſcopum epiſtola iiſdem prorſus verbis: adeò ut Concilium Vormatienſe ſuos inde Canones 22. & 23. nihil ferè immutando deſumpſerit, Idem pariter reſolvit Iſidorus

rus citatus *in c. quicumque* 20. *q.* 1. Toletanum quoque Concilium quartum rem eandem prorſus decernit anno 613. Canon 48. & habetur in decreto Gratiani *c. Monachum* 20. *q.* 1. Idemque iteratur decretum in Concilio Triburienſi citato in *c. quem progenitores* 20. *q.* 1. Alexander quoque Papa III. hoc item decernit de perpetua ad Monachiſmum aſtrictione ex ſola parentum oblatione. Conſtit. Alex. III. p. 50. cap. 50. Poſt quem Clemens Papa III. hanc eamdem confirmat diſciplinam, & uſum, *c. cum virum*, *de regular.*

Itaque ſeptingentos annos Eccleſia hoc jure uſa eſt patriæ poteſtatis jura multò ulteriùs erga liberos proferens nondum ſui per ætatem compotes, quam præſens, magiſque æquitati conſentaneus uſus permittat. Urgebant forſitan exempla Samuelis, quem mater tabernaculo conſecravit, & Iephte votum, ſecundùm quod filiam unicam Deo immolavit. Quinimò favore Monaſticæ Religionis ulteriùs etiam progreſſi ſunt olim Eccleſiæ Canones. Ex quo enim aliquis etiam adultus nec ſuæ mentis compos aliena voluntate fuerat in ægritudine periculoſa Monaſtico habitu amictus, æger ille convaleſcens tenebatur reliquum tempus vitæ indiſpenſabiliter in Monachali veſte, & inſtituto traducere. Adeò ut Hiſpaniæ Rex Vamba, & morum ſanctitate, & bellica laude, & Saracenorum victoriis inclytus, cùm in morbum incidiſſet alienatus à ſenſibus, ab Epiſcopis, & proceribus Hiſpaniæ pro more in Hiſpania recepto Monaſtica veſte indutus, & deinde convaleſcens ſe aſtrictum Monaſticæ vitæ ex ejuſmodi ſibi tradito amictu agnoſcens, regnum ſuum in affinem quemdam ſuum tranſtulerit. Iſtud expreſsè refertur in Concilio Toletano anni 680. Can. 2. cujus deinde Can. 2. ſignificatur eam tum viguiſſe in Hiſpaniarum Eccleſiis conſuetudinem, ut cùm ſe in ægritudine aliquis proximè putaret moriturum, Monaſticum habitum peteret, & acciperet, aut etiam non petitum

ne-

neſciens nec ſui compos acciperet, hoc ipſo ſic aſtringeretur Monaſticæ profeſſioni; ut convaleſcens ad ſæculum reverti non poſſet; Monachuſq: in perpetuum remaneret; licèt pœna dignus cenſeretur Sacerdos, qui habitum non petenti miniſtraſſet: Quam diſciplinam, & conſuetudinem Baronius quoque refert ad ann. præfatum *680*.

Poſterioribus ſanè Canonibus meliùs cautum eſt, quibus omnis irrita profeſſio Monaſtica redditur, ſi non fuerit libera; & ſpontanea; & ſi non præceſſerit ſaltem integer probationis annus: His quoque proviſum eſt; ut omnis profeſſio quæ facta fuerit à fœmina ante completos duodecim ætatis annos, aut à maſculo ante quatuordecim; ſit prorſus invalida c. ſignificatum; & c. cum virum de regularibus eandem præfigendo ætatem profeſſioni regulari; quæ requiritur pariter ad validum; & inſolubile matrimonium. Succeſſit demum Conc. Trid. ordinatio *ſeſſ.* 25. *de regul. c.* 15: quæ nunc ubique viget; requirens ad Religioſam profeſſionem in utroque ſexu completos ætatis annos ſexdecim: Idemque Concilium pœnam excommunicationis parentibus; & aliis quibuſcumque infligit; quicumq; per vim; aut metum ad Religionem quemquam adegerint; vel ad id cooperati fuerint *d. ſeſſ.* 25. *c.* 17. & 18.

Synodus Oecumenica octava, & Conſtantinopolitana quarta.

Hiſtoriam hujus octavæ Synodi exactè deſcripſit Nicetas David Paphlago ſcriptor ætatis illius in vita S. Ignatii Patriarchæ Conſtantinopoleos. Nicephorus Orientis Imperator filiam ſuam Procopiam Michaeli Curopalati dedit in matrimonium ex quo natus eſt Nicetas aliique liberi: Cùm verò Nicephorus è vivis exceſſiſſet; omnium conſenſu Michaeli defertur Imperium principi juſtitiæ; & pietatis ornamentis ſpectatiſſimo, qui magna virtute biennium imperavit; Donec

Leo

Leo Armenus cui Michael præfecturam exercituum Orientis crediderat, in ſuum principem, ac benefactorem perduellis regnum occupat, Michaelem cum uxore, & liberis in diverſas inſulas ablegat, & Monaſteriis includit: Regios liberos caſtrari jubet, atque ex his Nicetam cui caſtrato, & in Monachum detonſo Ignatii nomen eſt inditum. Leo qua tyrannide, & nequitia regnum invaſerat, eadem adminiſtravit, & dudum à Synodo ſeptima ſopitam iconoclaſtarum hæreſim magna Eccleſiarum clade, & piorum omnium dira inſectatione reſtituit, non minori rabie furens, quam Leo ille Iſauricus à quo fuerat primùm excitata. Sed exacto Imperii ſeptennio divina ultione interemptus eſt à Michaele Balbo pariter iconoclaſta: quem poſt annos Imperii octo filius excepit Theophilus paternæ impietatis æmulus, qui annos aliquot Imperio potitus, tranſmiſit illud ad filium Michaelem ſub Theodoræ matris tutela Religioſæ, viriliſque animi fœminæ, quæ filium Catholica Religione imbuendum curavit, inſtauratoque ſacrarum imaginum cultu, Methodium virum ſanctiſſimum quem in fide Orthodoxa invictum Michael Balbus exilio damnaverat, revocavit, atque in Regia civitate Patriarcham conſtituit; quo munere præclarè quadriennio perfunctus abiit in cœlum.

Tum verò ejuſdem Theodoræ ſtudio Ignatius Michaele Curopalate natus in eandem promotus eſt dignitatem. Hoc præſule Orientalis Eccleſia, & fidei ſinceritate, & morum commendatione refulſit, tranquillaq; pace integros undecim annos potita eſt. Sed tàm felicem rerum ſtatum Cæſaris Bardæ ipſius Theodoræ fratris ambitio turbavit. Hic Imperatori perſuaſit ut matrem rerum gubernaculis ablegaret, includeretque Monaſterio, atque ex Michaelis vecordia fiduciam ſumens, omnem Imperii poteſtatem in ſe unum tranſtulit. Erat præterea Barbas infenſiſſimo adverſus Ignatium animo, qui paſtoralis Officii, & conſtantiæ ſpecimen

de-

dederat quando poſt ſæpiùs à ſe fruſtrà admonitum Bardam, ut ſtupri conſuetudine, quam cùm propria nuru gravi omnium ſcandalo, & offenſione habebat, deſiſtere, ad ſacram Euchariſtiæ ſynaxim ſolemni Epiphaniæ die accedere auſum palam repulit, & ad pœnitentiam adhortatus eſt. His acceſſerat ut cum ſuaſu Bardæ Michael accito Ignatio mandaſſet ut invitam Theodoram attonderet, Monaſterioq; includeret; id facere utpote rem indignam, & Eccleſiæ Canonibus adverſantem recuſaverit. Idcircò Bardas Ignatium apud Imperatorem majeſtatis reum poſtulavit, ſimulque in inſulam deportavit, & Photium ad ejus ſedem intruſit,

Erat Photius vir laicus, natalibus illuſtris, dignitate prothoſpatarius, & primus à ſecretis vir immenſæ ambitionis, veterator, & verſatilis ad omnia ingenii, tantaque diſciplinarum omnium peritia prædit, ut (vel ipſo Niceta Davide teſte) non modo ſui ævi princeps haberetur, ſed etiam cum præſtantiſſimis veterum quorumcumque ingeniis decertare poſſet: At eximias naturæ, & artis dotes animi ejus improbitas, & incredibilis ambitio, perfidiaque obſcurabant. Vix credat aliquis quam implicabili crudelitate, quam impudentibus calumniis, & quam immanibus corporis cruciamentis Regiæ ſtirpis Patriarcham eximia vitæ ſanctitate venerandum, ætate etiam provectum divexaverit ſceleſtiſſimus Photius, quamdiu Bardas ſuperſtes fuit.

Interimitur à Baſilio Macedone proteſtatore juſſu ipſius Michaelis Imperatoris Bardas: occiſor verò in Imperii ſocietatem aſciſcitur, nec multò poſt Michael ipſe vino temulentus trucidatur. Cùm enim illum nonus Imperator Baſilius ab infamia morum ad meliorem frugem reducere ſtuderet, illius tale odium in ſe concitavit, ut remigi quoque obtulerit Imperium ſi Baſilium interimeret; ſed Michaelem temulentum Baſilius antevertit, & occidit.

Solus itaque Imperio potitur Baſilius, qui cùm eſſet in-

juſtitiæ, & religionis amantiſſimus publicam rem Michaelis væcordia, nequitiaque perditam reparavit. In primis Ignatium dejecto Photio revocavit, eamque ob cauſam Synodum Oecumenicam Octavam Conſtantinopoli coegit aſſentiente Adriano Papa ſecundo Nicolai primi ſucceſſore, qui etiam per ſuos Legatos Donatum, & Stephanum Epiſcopos, & Marinum Diaconum, ſanctæ Synodo præſedit ann. Chriſt. 869. Jam Photium Imperator de throno in Monaſterium depulerat, Eliamque Regiæ claſſis Drungarium cum Dromone, id eſt celoce Imperiali pretioſis ornamentis inſtructo, cum magnifico ſplendidoque comitatu præmiſerat ad reducendum, ea qua par erat honoris pompa, Ignatium. Reducem ab exilio Patriarcham ordo patricius occurrrens exceperat, & confluens, lætitiaque geſtiens populus univerſus veneratus, atque in templum triumphali apparatu, & fauſtis acclamationibus comitatus fuerat, antequam Synodus indicta eſſet.

Synodo interfuerunt, ut ſcribit Nicetas Epiſcopi duo ſupra centum. Antiſtites verò, & Sacerdotes, qui à Sanctiſs. Patriarchis Methodio, & Ignatio conſecrati fuerant, & poſtmodum ad Photii communionem abrepti, libellis pænitentiæ porrectis ad Synodi pedes procubuere lachrymis effuſis veniam ſupplicantes. Mitius cum his actum eſt, impoſitaque pœnitentia ad confeſſum tandem Synodi, & priſtinum miniſterium admiſſi ſunt. Photius citatus reus ad Synodi conſpectum adducitur. De propriis ſceleribus interrogatus, adduci non potuit, ut aliud reſponderet quam iſtud Davidicum, *poſui ori meo cuſtodiam*; & quod ſequitur vos ipſi legitote. Hæc nimirum intelligi volens: *Cùm conſiſteret peccator adversùm me*. Inſtant legati per obſtinatum hoc ſilentium non evaſurum damnationem; quibus ille, *neque Ieſus tacendo evaſit damnationem*. Blandè rogatur, ut ſe juſtificet circa ſibi objecta: reſpondit hypocrita; *Iuſtificationes meæ non ſunt de hoc mundo*.

 Sua-

Suadetur ut pœnitentiam exhibeat, qua ſolvatur anathemate: ille pertinaciter tacet, & ſic è conſpectu ſe ſubducit.

Nicolaus Papa Photium jam olim in Epiſcoporum Concilio damnaverat anathemate, ut violentum ſedis Conſtantinopolitanæ invaſorem. Photius verò coacto conciliabulo in Nicolaum anathema regerere auſus fuerat. Quin etiam non dubitavit Pſeudo Synodi ſuæ acta multis ſuppoſitis additamentis, & falſis, ementitiſque innumeris ſubſcriptionibus aucta tranſmittere ad Ludovicum Franciæ Regem ſimul, & Occidentis Imperatorem, una cum litteris ad uxorem ejus Ingelbertam Synodicis illam ſollicitantibus, ut conjugi Ludovico perſuaderet à Nicolao Epiſcopo Romæ diſceſſionem, utpotè legitimè per Catholicam, & Oecumenicam Synodum depoſito, eumque procul in exilium relegaret. Quæ tamen ſcripta fuerunt intercepta, & in octavam Synodum ab Imperatore Baſilio producta. Porrò hujuſce Ludovici Franciæ Regis Legati, quemadmodum, & Michaelis Bulgarorum Principis actioni nonę Synodi hujus interfuiſſe memorantur, aliis verò actionibus nulla legitur horum mentio.

Neque verò à ſolo Nicolao, ſed præterea ab Adriano Papa in alia Synodo, in qua eadem iterùm cauſa ventilata fuit, anathemate percuſſus eſt Photius, tertiumque demum anathematis telum in eumdem contorſit hæc Oecumenica Synodus. Rem miram perhibet in vita Ignatii Nicætas, damnationi Photii ſubſcriptum ab Oecumenicæ Synodi patribus fuiſſe calamis non ſolum atramento ſed etiam tremendo Chriſti ſanguine tinctis. Simili ſubſcriptione permixti atramento ex ſacro Calice divini ſanguinis, à Theodoro Papa ſignatam fuiſſe Pyrrhi Monothelitæ relapſi damnationem teſtatur Theophanes. Octava hæc Synodus aliquot edidit Can. qui recenſentur in Græcis exemplaribus numero 14. at verò in Anaſtaſii Latina editione 7. & 20.

Ca-

Can. 1. edicitur ſervandas, & tenendas eſſe Apoſtolicas traditiones non ſcriptas, perinde ac divinas ſcripturas, & ad hoc firmandum ibidem allegatur illud Pauli ad Theſſalonicenſes: ſtate, & tenete traditiones quas didiciſtis ſive per ſermonem, ſive per epiſtolam noſtram. Traditionibus verò hujuſmodi parem cum divinis Scripturis adhibendam eſſe fidem ſcribunt quoque inſignes Græci Doctores, ac Patres, Baſilius ad *Amphiſoch. de Spiritu Sancto c.29.* Epiphanius *hæreſi* 61. Chryſoſt. *homil.* 4. *in* 2. *ad Theſſalonicenſes epiſtol.* ut Latinos Patres ſileam.

Can. 2. Decernit Salvatoris noſtri effigiem eadem cum ſacris Euangeliis veneratione colendam eſſe. Quæcumque enim (ait) litteris ſcripturæ, eadem coloribus picturæ docent, & repræſentant. Adjungitque Virginis Dei Genitricis Sanctorumque imagines eſſe venerandas, & Angelorum Dei effigies quales in Scripturis repræſentantur.

Can. 4. Photium declarat nec eſſe, nec fuiſſe unquam Epiſcopum, eò quod prohibeat Apoſtolus ad Timotheum ſcribens fieri quemquam ex Neophyto Epiſcopum: quam rem ſequens can. 5. exponit tam de Neophyto in ordine clericorum, quam de Neophyto in Chriſti fide. Idemque declarat de Sacerdotio eorum, quos Photius ordinarat. Idem can. 4. in Anaſtaſii editione addit, Eccleſias iterum dedicari, aut conſecrari debere, quas vel Photius ipſe, aut alii ab eo ordinati, prout putabatur, dedicaverant vel conſecraverant. Gravis & difficillima hic involvitur quæſtio, quam expediam diſſertatione huic Synodo ſubjecta.

Can. 5. Ut quis ad ulteriorem ordinem promoveatur hoc exigit ut annum in officio Lectoris expleverit, in Subdiaconi 2. in Diaconi 3. in Sacerdotii 4. antequam ad Epiſcopi honorem promoveatur. Permittit tamen, ut Epiſcopi poſſint ex juſta cauſa nonnihil ex his temporibus, ac interſtitiis contrahere, atque in iis dumta-

xat Clericis, qui piè, & diuturno tempore in Clericorum ordine verſati fuerint diſpenſare. Conc. poſtremò Trid.ſeſ.23.c.11. Conſtituit annum interſtitii,& miniſterii à ſuſceptione ultimi ex minoribus ordinibus ad ſubdiaconatum, & alterum annum ad diaconatum, niſi neceſſitas, aut Eccleſiæ utilitas judicio Epiſcopi aliud expoſcat. Diſtrictè autem vetat, duos ſacros ordines eidem uno die conferri cap. 13.

Can. 11. Anathemati ſubjicit eos, qui in uno eodemque homine plures ineſſe animas aſſeveraverint. Hæc fuit veterum quorundam philoſophorum, necnon Manichæorum hæreſis, præter animam rationalem eſſe inſuper in homine animam ſenſitivam, ex qua ſola promanent omnes concupiſcendi actus, eamque Manichæi aſſeverabant eſſe propria natura malam, & à malo principio exortam. Adverſus errorem iſtum S. Auguſtinus librum ſcripſit de duabus animabus contra Manichæos. Præclarè docet Ariſtoteles *l. 1. de anima tex. 66.&91.* unam dumtaxat exiſtere in homine rationalem animam, & hanc eſſe ſimul virtute, ſeu eminenter ſenſitivam, & vegetativam. Suffragatur his ratio phyſica. Alioqui enim homo non eſſet unum aliquid per ſe, ſed multa entia aggregata; quomodo plures ſimul homines dicuntur unus populus, pluresque arbores una ſylva, & complures lapides unus acervus. Forma namque ipſa eſt, quæ dat eſſe rei: ſicque multiplices animæ, ac formæ plura entia conſtituunt. Ratio etiam Theologica ſuffragatur. Cùm enim omnia Chriſtus habuerit, quæ ad humanæ ſubſtantiæ integritatem pertinent, ſi ad eam diſtinctæ formæ vegetans, & ſenſitiva pertinerent, Verbum incarnatum ſimul homo eſſet, & brutum, & planta. Deinde in triduo mortis, vel duæ iſtæ ultimæ animæ periiſſent, at quod ſemel aſſumpſit Verbum nunquam dimiſit: vel manſiſſent ſeorſim à corpore, atque ita duæ materiales formæ contra phyſicam rationem, fuiſſent per

ſe

ſe ſubſiſtentes ab omni materia remotæ. Deinde quorſum abiiſſent? An ex honoris, atque obſervantiæ officio animæ rationali ſe comites adjunxiſſent, an verò ſeorſim ab illa divagatæ fuiſſent?

Nec à ſeipſo diſſidet Ariſtoteles, dum *lib.* 2. *de generat. animal. cap.* 3. affirmat embryonem hominis prius vivere vita plantæ, deinde vita bruti, & poſtremò vita hominis. Sanctus quippè Thomas in ſumma *p.* 1. *q.* 118. *art.* 2. *ad* 2. mentem hanc eſſe Ariſtotelis, ait, formas illas in embrione nunquam ſimul, ſed ſucceſſivè ineſſe, atque abſcedente vegetativa ſuccedere ſenſitivam, & hac deſinente infundi à Deo rationalem, quæ ſimul non quidem formaliter, ſed virtute, ſeu eminenter ſit vegetans, & ſenſitiva. A nonnullis tamen rejicitur illa ſenſitivæ animæ præceſſio in illo imperfecto humano fętu, volunt enim primùm animari ſecundum gradum vegetativum, & immediatè ſubſequi animam, ſeu formam rationalem, quæ tamen operetur, primùm ſecundum facultatem vegetativam, & ſenſitivam, non autem ſecundùm rationalem gradum, niſi poſt unum, aut alterum à nativitate annum.

Canon 12. Eorum damnat ſententiam, qui ſine principum præſentia Synodum celebrari poſſe negant, ſolamque dicit neceſſariam præſentiam Epiſcoporum.

Can. 13. Notabilis admodum eſt in eos, qui Concilia etiam Oecumenica cum Summo Pontifice temerè committere, atque in diſſidium vocare præſumunt: *Si quis* (inquit) *tanta efferatus audacia quemadmodum Photius, & Dioſcorus ſive ſcripto, ſive non ſcripto, inſanias quaſdam contra cathedram Coryphæi Apoſtolorum Petri audeat jactare, eamdem atque illi damnationis ſententiam ſubeat. Si qua verò Oecumenica Synodo collecta de Romana etiam Eccleſia controverſia extiterit, licebit cum decenti reverentia de propoſita quæſtione percontari, reſponſumque admittere, vel utilitatem accipere, vel dare, non tamen au-*

dater contra ſenioris Romæ Pontifices ſententiam dicere.

Can. 14. *Sancimus ut deſignati ad ſuperhumeralia geſtanda* (ea vocari pallia Pontificia ſolent) *certis illa temporibus ſtatiſque locis ea geſtent, ne hujuſmodi cultu per faſtum, aut ſuperbiam abutantur, aut quovis tempore divini officii, & quacumque Eccleſiaſtica functione deferant. Eos etiam qui Monachi fuerunt, & ad Epiſcopatus honorem ſunt provecti, ut Religioſam veſtem ſuam, habitumque Monaſticum ſervent, ſtatuimus: Quod ſi Epiſcopus præter deſignata tempora humerale* ὠμόφορον *tulerit, aut Monaſticam veſtem abjecerit, vel corrigatur, vel deponatur.* Huic ſimile poſteà decrevit Lateranenſe Concilium generale ſub Innocentio III. Can. 16. *Ut Epiſcopi olim regulares Religionis ſuæ habitum retineant.* Citatur *in cap. Clerici officia, de vita, & honeſt. Cleric.* Quod attinet ad uſum pallii, vide in decretalibus *tit. de authoritate, & uſu pallii, ubi cap.* 1. ſtatuitur intra quamlibet Provinciæ ſuæ Eccleſiam poſſe Archiepiſcoporum uti pallio. Et cap. 3. non eſſe quem vocandum Archiepiſcopum tametſi conſecratum, niſi à Romano Papa ſuſceperit pallium: & conferri per pallium Paſtoralis officii plenitudinem cap. 4. ſoli Papæ licitum eſſe pallio ubique uti cap. 6. In qualibet Eccleſia Provinciæ ſuæ poſſe Archiepiſcopum diebus ſolemnibus miſſam celebrantem geſtare pallium per quod Pontificii muneris plenitudo deſignatur. Plura de pallio require ſuperiùs ad Conſtantinopolitani Concilii primi Can. 6.

Cæterùm anno 878. quo Ignatius Patriarcha migravit in Cœlum. Photius priſtinam recuperavit ſedem revocatus ab ipſo Imperatore Baſilio ſuaſu, & præſtigiis Santabareni Monachi Photio conjunctiſſimi. Mortuo tamen Baſilio, filius ejus Leo Imperator cognomine Philoſophus, quem nebulonis illius Theodori Santabareni dolis, & calumniis in ſuſpicionem adductum pater diu in vinculis detinuerat, hanc ultus eſt injuriam in Santabarenum, quem flagro cæſum, & oculis

lis orbatum in exilium truſit: ejus verò ſodalem Photium Patriarchatu, depulit ſuffecto in ejus locum Stephano.

Sciendum eſt à Græcis Schiſmaticis non admitti Synodum iſtam, quæ Baſilio regnante, & Adriano Papa II. approbante peracta eſt. Sed hujus loco nomine octavæ Synodi Oecumenicæ Pſeudo-Synodum ab ipſis ſupponi, quam poſt obitum Ignatii Photius Conſtantinopoli colligit, conatus omnimodò præcedentem, qua ipſe juſtiſſimè damnatus, & depoſitus fuerat abolere. Photii cauſæ adblandiuntur Schiſmatici Græci Synodorum compilatores Zonaras, & Balſamon. Nilus quoque libro de Synodis eamdem Pſeudo-Synodum octavo collocat loco mendaciis refertam, ſuppreſſa priori legitima. In Concilio Florentino ſub Eugenio Papa IV. Marcus Epheſinus Pſeudo-Epiſcopus diſputat pro expungenda ex Synodorum albo illa, quæ Photio invaſore pulſo Ignatium reſtituit. Conqueritur verò Baronius cauſam legitimæ Synodi non fuiſſe propugnatam à Juliano Cæſarino Cardinali, qui munere cum Epheſino diſputandi ſuſcepto ejus impudentia mendacia non refellit, ſed quaſi abjecto clypeo viſus eſt in id conſentire, ut Eccleſia Catholica tam illuſtri Synodo Oecumenica, cui Summus Pontifex per ſuos Legatos præſederat inter Græcos, & cujus authoritate nefarium in Eccleſia Conſtantinopolitana ſchiſma fuerat extinctum, ſpoliaretur; inque præreptæ hujus Synodi vicem altera ſummè exitialis, quam merito Romani Pontifices damnaverant ſubrogaretur.

Octavam legitimam Synodum habemus Græcè, Latinèque conſcriptam. Sed Latinum in Anaſtaſii exemplar pleraque habet, quæ in Græcis codicibus deſunt. Neque vero ſuſpecta eſſe poteſt Anaſtaſianæ fides editionis, cujus author Anaſtaſius Eccleſiæ Romanæ Bibliothecarius Synodo illi (ut ipſe teſtatur) interfuit, cujus acta, & Canones Latinitate donavit;

Sanè de Græcorum Synodis olim loquens S. Gregorius Magnus *l.* 5. *ep.* 14. poſtquam expoſtulatus eſt, fuiſſe illas Græcorum fraude vitiatas, ita ſubjungit. *Romani codices multo veriores ſunt quàm Græci, quia noſtri ſicut non acumina, ita nec impoſturas habent*.

Aliquot Anaſtaſianæ editionis Canonum diſcuſſio.

EDitionis Anaſtaſianæ Canon 19. adimit Epiſcopis Metropolitanis jus viſitandi ſuffraganeorum, ſeu comprovincialium Epiſcoporum Eccleſias. In Occidente vero Summi Pontifices, & Concilia viſitationum totius Provinciæ jura Metropolitis aſſeruerunt, ut ex multis reſcriptis perſpicuum fit. Quale eſt Lucii III. ad Archiepiſcopum Ravennæ viſitantem Diœceſim Bononienſem *c. ſopitæ, de cenſib.* & Innocentii IV. *c.* 1. *de cenſibus in* 6. & ante hunc Innocentii III. epiſt. 85. regeſti 15. qui idem in *c. cùm officii* 16. *de præſcript.* condemnat Abbatem S. Maglorii ad ſolvendum procurationis jus Archiepiſcopo Senonenſi Abbatiam viſitanti: illa verò Abbatia eſt in ſuburbio Pariſienſi. Epiſcopus verò Pariſienſis nondum Archiepiſcopali dignitate præfulgebat, ſed tum ſuberat Metropolitano Senonenſi. Similiter Bononienſis Eccleſia nondum fuerat, ut poſtmodò contigit in Metropolin erecta. Quia tamen admodum erat proclive naſci rixas, & ſimultates occaſione Viſitationum inter locorum Epiſcopos, & Metropoliten, uno reprobante, aut abrogante, quod alter probaverat, aut ſtatuerat, & quia impenſæ, ac onera parochiarum multiplici viſitatione augebantur; idcircò demum ſancitum à Conc. Trid. fuit *ſeſſ.* 24. *cap.* 3. non poſſe ab Archiepiſcopo ſuffraganeorum Diœ-

Diœceſes viſitari, niſi ex cauſis in Synodo Provinciali approbatis.

Denique Anaſtaſius Canon. 22. occaſione intruſionis Photii per Imperialem authoritatem, prohibet ſub anathemate Laicis principibus, aut potentibus in ſęculo, authoritatem ſibi in Epiſcoporum promotione arrogare: ſed Eccleſiam relinqui præcipit debitæ ſibi libertati. Hoc deinde Canone Summi Pontifices uſi ſunt contra Epiſcopatuum inveſtituras, quas ſibi arrogabant Occidentis Imperatores, & citatur à Gratiano *diſt.* 63. *cap.* 1. Græcæ autem editionis hujuſce 8. Synodi Canon quinto, de Neophytis ad Epiſcopatum non eligendis poſtquam decretum fecit, ita pergit ἔτι δὲ πλέον τοῦτον (νεόφυτον) ἀπείργομεν εἰ παρὰ βασιλικῆς ἐξουσίας εἰς τοῦτο συνωθῆται. *Maximè verò neophytum repellimus, ſi per regiam intruſus fuerit poteſtatem.* Quod ſanè cauſa Photii adnitente Cæſare Barda contigerat.

Diſſertatio circa quædam impedimenta ordinum dirimentia apud veteres, quæ nunc temporis minimè dirimunt.

Diſquiſitionem iſtam loco appendicis, hìc inſero; quia hæc Synodus 8. Photium dicit nec eſſe, nec fuiſſe umquam Epiſcopum, atque ordinatos ab illo, negat ordines habere, conſecrataſque ab eo Eccleſias jubet de novo conſecrari. Canon. 4. Prætereà hæc eadem Synodus act. 6. ita diſtinguit inter ordinationes ab hæreticis factas, qui fuerant canonicè ordinati Epiſcopi, & eas quæ fiunt à non canonicè ordinatis, ut primas quidem affirmet validas, eaque ratione admiſſos ab Eccleſia fuiſſe ordinatos ab Acacio, & Petro Moggo hæreticis: ſecùs autem judicet de ſecundis, ideòque ſecundam Synodum Oecumeni-

nicam rejeciſſe quotquot a Maximo Cynico contra canonum præſcripta promoto, fuerant ordinati. Hic ſe aperit ingens difficultatum campus a paucis hactenus accuratè luſtratus.

Difficultatis in eo verſatur cardo, quatenus Eccleſia ipſa contrarium à multis jam inde ſæculis tenere, & docere videtur: Ordinationes nimirum omnes, atque adeò cætera quævis ſacramenta, etſi contra canones, aut prohibitiones in Eccleſia receptas conferantur, dum hæc tria interveniant, quæ à Synodis Florentina, Tridentinaque exiguntur materia, forma, & miniſter conferre intendens, conferri ſanè illicitè, ſed tamen validè. Ex quibus conſequens eſt, ut ſi ordinatio Sacerdotalis, & Epiſcopalis à Photio ſuſcepta tribus illis conſtabat, ipſe ordinum horum characterem verè ſuſceperit: Unde, & alterum conſequitur, ordines ſic ab eo ſuſceptos validos extitiſſe, eoſque pariter, quos Photius aliis poſt ſuam conſecrationem contulit. Et tamen ſacra Synodus nullum circa hæc tria requiſita defectum in Photio arguit, ſed tres iſtos, quòd Neophytus ordinatus ſit, quod alienam ſedem violentus invaſerit, quò interſtitia ordinum præſcripta non ſervaverit. Quæ omnia grave delictum involvunt, non tamen Sacramenti nullitatem. Quartum defectum adjungit Nicolaus Papa I. *epiſt. 9.* ad Michaelem Imperatorem, quòd ejus ordinator Gregorius Syracuſanus Epiſcopus, jam ante fuerat in Synodo depoſitus, & anathematizatus, ideòque nihil Photio contuliſſe, & Photium propterea nec Sacerdotem eſſe, nec Epiſcopum aſſeverat.

Nec verò in ſola Photii cauſa ita ſtatutum eſt in octava Synodo, verùm etiam alias plerumque in ſimilibus cauſis paria decreta edita ab Eccleſia ſunt. Conſtantinus Romanæ ſedis invaſor paulò antè laicus, & tumultuariè nullis ſervatis interſtitiis ordinatus, non tantùm legitimo Concilio depoſitus eſt, ſed

etiam

etiam judicatus omnis Eccleſiaſtici Ordinis expers, proinde ac ante ordinationem illam illégitimam: eò quod Neophitus contra canonum præſcripta fuiſſet ordinatus in ſpeciem, & apparenter dumtaxat, & ejus aliis collatæ ordinationes quaſi merè Laici pronuntiatæ ſunt irritæ. Nihil de Formoſo Papa loquor, quem qui ei ſucceſſit Stephanus VII. collecta Synodo judicavit non valuiſſe quemquam ordinare, eò quod à priſtino Epiſcopatu Portuenſi contra veteres canones, & contra proprium jusjurandum ab eo extortum in Romanam ſedem commigraſſet. Nec tamen dubium ſaltem eſſe poterat retinuiſſe ordinem anteriorem, atque characterem Epiſcopalem, ex quo fuerat in Portuenſem Epiſcopatum evectus. Decrevit nihilominus in Epiſcoporum Synodo Stephanus Papa, ut omnes à Formoſo poſt ejus degradationem ordinati, ſe iterùm ordinandos ſiſterent ſub anathematis pœna. Cùm verò iſtam erroneam Synodum Joannes IX. meliore judicio in Ravennate poſtmodum Synodo damnaſſet, inſequutus Papa Sergius III. alia coacta Synodo Ravennatem reſcidit, prioremque ſub Stephano ratam eſſe juſſit. His ergo non immoror in quibus non ratio, non jus ullum, ſed Stephani, & Sergii perditiſſima nequitia, & fœdiſſima inferiorem Epiſcoporum adulatio prævaluit.

Quantas porrò excivit in Eccleſia tragœdias contentionum Ebbonis Remenſium Epiſcopi cauſa? Iſte cum aliis quibuſdam præſulibus ſollicitatus à Ludovici pii Imperatoris liberis in optimum parentem rebellibus, eumdem in Concilio abdicavit Imperio, tranſtulitque in rebelles ex priore uxore liberos, Lotarium, Ludovicum, & Pipinum: uxorem verò ſecundi Tori Juditham tribus privignis inviſam, compulit in Monaſterium. Cæterùm haud multò poſt Ebbo ipſe Remenſis, & Abogardus Lugdunenſis Epiſcopus nefariæ illius conſpirationis præcipua capita meliore Synodo

odo ad Theodonis villam coacta ſedibus ſuis exauthorati ſunt. Sed poſt Ludovici Pii obitum Ebbo Lotarii opera in priſtinam ſedem reſtitutus, multas habuit ordinationes, quas illius ſucceſſor Hincmarus Carolo Calvo Pii, & Judithæ filio gratiſſimus irritas declaravit, & iterari diſtrictè mandavit: contendens fuiſſe contra canones reſtitutum Ebbonem, eaque de cauſa nullos penitus conferre potuiſſe ordines, adeò ut iterari neceſſe eſſet quæcumque per eum hac in re geſta eſſent. Iſtud Hincmari placitum approbavit Concil. Sueſſionenſe ſecundum.

Prætereà quantis tumultibus agitavit Eccleſiam ſchiſma Donatiſtarum? Iſti cauſabantur Cæcilianum qui fuerat in Eccleſia Carthaginenſi Diaconus, deinde ordinatus ejuſdem Eccleſiæ Epiſcopus, non fuiſſe prorsùs Epiſcopum: utpotè contradicentibus Canonibus ordinatum ab Epiſcopis ſacrorum quondam librorum ſub perſecutione traditoribus.

Joannes quidem Morinus Congregationis noſtræ ſcriptor profundiſſimæ eruditionis, in ſuo de ſacris Ordinationibus opere duo alia profert ejuſmodi ordinationum nullitatis exempla: Sed (tanti viri pace dixerim) non ſatis advertens, & memoria lapſus ſcribit enim Lucium Papam III. ad ineundam cum Frederico Ænobarbo Imperatore pacem ſpopondiſſe illi ſe eos ordinaturum de novo, qui ab Octaviano Antipapa per Fridericum intruſo fuerant ordinati, atq; uti promiſerat præſtitiſſe. Id nullo Morinus teſtimonio comprobat, res verò prorsùs aliter ſe habuit. Scribit namq; Krantſius *l.6. hiſt. Saxon. c.*47. Lucium, & Fridericum ad conciliandam mutuò pacem Veronæ conveniſſe, atque petenti Friderico annuiſſe perbenignè Lucium ſe illos omnes admiſſurum ad ſacra miniſteria, & in dignitates, quos antipapæ ordinarant: ſed poſtridiè cum manus illis eſſent imponendæ (manuum hæc impoſitio intelligi facilè poteſt de abſolutione à vinculis quibus

illa-

illaqueati erant excommunicationis, ſuſpenſionis, interdicti, irregularitatis) recuſaſſe Lucium id præſtare quod pridie promiſerat prætexendo decreta Concilii Venetiis habiti, non poſſe niſi altero Concilio revocari.

Alterum Morini exemplum ex ſimili memoriæ lapſu profectum eſt: dicit enim Leonem Papam IX. in Synodo ad id convocata declaraviſſe eos, qui ordinati ſunt à Simoniacis Epiſcopis nullum penitus ordinem ſuſcepiſſe. Cùm verò multa ex hoc naſci confuſiones cerneret, ſuum poſtmodum reſtrinxiſſe decretum ad ſolas ordinationes, quæ Simoniacè, hoc eſt oblata, & accepta pecunia factæ fuiſſent. Cujus rei teſtem laudat Petrum Damiani. Cæterum teſtis iſte *epiſtol.* 16. ad Henricum Ravennatem Epiſcopum *cap.* 30. refert Leonem IX. in Synodo Ordinationes omnes Simoniacorum Synodalis authoritatis vigore caſſaſſe. Iſta caſſatio nihil aliud fuit quam ſuſpenſio ab ordinum illorum exercitio ut mox patebit; Proſequitur Petrus Damiani cum ex iſtiuſmodi decreto tumultus exortus eſſet, omneſque ferè Romanæ urbis Baſilicæ Sacerdotalibus officiis, & miſſarum ſolemnis deſtituerentur; tùm demùm à Leone mitius agente inſtauratum fuiſſe prædeceſſoris Clementis II. Decretum, ut quicumque à Simoniaco fuiſſet conſecratus, non ignorans in ipſa ſui ordinatione Simoniacum eſſe Epiſcopum, quadraginta nunc dierum pœnitentiam ageret, & ſic in accepti ordinis officio miniſtraret. Certè ſi primum Leonis decretum tale fuiſſet, quale Morinus exiſtimat, in primis condemnaſſet reipſa providum prædeceſſoris ſui decretum declarando nullitatem ordinum, quos tamen ille declaraverat ritè exerceri poſſe poſt aliquot dierum pœnitentiam. Idemque Leo ſibi ipſi per ſecundum decretum contradixiſſet non in re facti tantum, ſed etiam juris ab ipſomet definiti, permittendo, ut eoſdem exercerent Ordines iidem ipſi, quos nullos, & irritos ante

decla-

declaraverat. Et inſuper ex Damiani teſtimonio compertum eſt aliter à Clemente II. decretum fuiſſe, quam à Morino referatur.

Sed idem author aliàs ſolidiores probationes ex antiquitate deducit, quas ſubjicio, ſcilicet ex Urbani Papæ II. epiſt. ad Petrum Piſtorienſem Epiſcopum, qua ſignificat apertiſſimè Daribertum ordinatum ab hæretico, & ſchiſmatico Epiſcopo ſimulque excommunicato nihil accepiſſe, ideòque ſe per novam ordinationem contuliſſe Dariberto Diaconatus ordinem, quem Schiſmaticus Epiſcopus illi dare non potuerat. Similem loquendi formam legimus, ſcilicet nihil dediſſe, nihil contuliſſe, nihil accepiſſe circa ordinationem, in epiſt. Damaſi Papæ in qua negat poſſe à Chorepiſcopis ordines ſacros conferri, cùm ipſi nullatenus Epiſcopatus ordine ſint inſigniti, ideòque eos ſi quid hac in re egerint, nihil contuliſſe, & proinde illum qui manuum impoſitionem à Chorepiſcopo ſuſcepit eſſe perinde ordinandum, ac ſi manus ei nullo modo impoſitæ fuiſſent.

Addit Morinus Canonem Apoſtolorum 67. ſic ſtatuentem, qui ab hæreticis vel baptizati, vel ordinati ſunt, ut fideles vel Clerici ſint, fieri nullo modo poteſt.

Idemque ſequentem narrationem adjungit ex Bertoldo qui Gregorio VII. non modo σύγχρονος, ſed etiam addictus eidem fuit atque Pſeudo Papæ Guiberto adverſarius: Hic ergo in Chronico ad annum 191. refert, Gregorium Papa VII. nimio, & immoderato zelo exarſiſſe, dum judicavit eos qui fuiſſent ab hæreticis, vel Schiſmaticis Epiſcopis ordinati, ſi reſipiſcant, eſſe de novo ordinandos. Additque Bernardum Conſtantienſem ſcholarum Magiſtrum Gregorio ipſi conjunctiſſimum ſcripſiſſe, quod hac in re modum exceſſerit, dum ejuſmodi rurſùm ordinandos cenſuit; & demonſtraſſe judicium ejus eſſe planè Conciliis Nicæno, & Afri-

Africano repugnans, & ſententiis Anaſtaſii, & Gregorii magni Pontificum ſanctique Doctoris Auguſtini. Eorumdem quoque temporum ſcriptor inſignis Ivo Carnotenſis Epiſcopus ſic in in ſuo decreto refert *p.* 14. *cap.* 55. Gregorius Papa VII. Synodo præſidens dixit: ordinationes illorum, qui ab excommunicatis ſunt ordinati, ſanctorum Patrum ſequentes veſtigia irritas fieri cenſuimus. Hæc tamen verba diverſum ſenſum ſuſcipere poſſunt, niſi Bernardus Conſtantienſis, & Bertoldus ambo eidem Gregorio benevoli, & addicti, & qui praxim ejuſdem temporis, quo ipſi vivebant, perſpectam habebant, quid hoc decreto ſignificaretur ſcripſiſſent. In ipſo etiam Scholaſticæ Theologiæ primordio ejuſmodi adhuc vigebat opinio: Magiſter quippè ſententiarum *in* 4. *diſt.* 13. Sacerdotibus hæreticis poteſtatem detrahit corporis Chriſti conſecrandi.

His Joannis Morini probationibus, tres quas omiſit adjungo maximè perſpicuas, & ſolidiſſimæ, ac primariæ authoritatis. Primùm ex Synodica Oecumenicæ Synodi Sardicenſis epiſt. ad Alexandrinam Eccleſiam, quam ipſe refert Athanaſius Apolog. 2 ubi hæc ipſa verba leguntur: Γρηγόριος μὲν ὁ παρανόμως ὑπὸ τῶν αἱρετικῶν λεγόμενος κατασταθῆναι καὶ εἰς τὴν ὑμετέραν πόλιν παρ' αὐτῶν ἀποσταλεὶς, καὶ τοῦτο γὰρ γινωσκέτω ὑμῶν ὁμοψυχία ὅτι κρίσει πάσης ἱερᾶς τῆς συνόδου καθῃρέθη, εἰ καὶ τὰ μάλιστα οὐδεπώποτε οὐδὲ ὡς ἐπίσκοπος ὅλως νομιζόμενος ἐνομίσθη. *Gregorius quidem, qui dicitur illegitimè ordinatus ab hæreticis, & ab iiſdem ad veſtram Eccleſiam miſſus, hoc ſciat unanimitas veſtra, quod judicio Sacræ Synodi depoſitus fuit: quinimò illa pariter cenſuit, quod ipſe numquam omninò fuit Epiſcopus.*

Alterum ſuppeditat argumentum ſecunda Synodus Oecumenica. Maximus Philoſophus Cynicus à Gregorio Nazianzeno fuerat ordinatus Sacerdos: Idemque vacante Conſtantinopolis Epiſcopatu ſedem illam ardenter ambivit, corruptiſque pecunia quibuſdam

dam Epiſcopis, ipſe tandem ab iis ordinatus fuit Epiſcopus. Synodus porrò Oecumenica tùm ipſum damnat Maximum, tùm etiam eos quos idem manuum impoſitione ad ordines Eccleſiaſticos voluit promovere. Sic verò declarat Sacra Synodus Can. 4. *De Maximo Cynico Philoſopho propter indiſciplinationis ejus totius doctrinam, quæ Conſtantinopoli orta eſt, ſtatutum eſt, ut neque Maximus eſſe, vel fuiſſe putetur Epiſcopus, neque hi qui ab eo ſunt ordinati qualemcumque gradum Clericatus obtineant, omnibus, quæ circa, vel ab eo geſta ſunt in irritum revocatis.*

Ultimum deſumo argumentum ex Innocentii I. *epiſt.* 18. ad Alexandrum Antiochiæ Epiſcopum, *cap. ult.* ubi ſic loquitur: *Ab hæreticis baptizati recipiendi ſunt cum ſuo baptiſmo: ſed ab hæreticis ordinati non ſunt recipiendi cum ſuo ordine, quia hæretici ſolùm baptiſmum dare permittuntur.* Certè nullus eſt hic locus diſtinctioni liciti, & illiciti nam neque baptiſmum licitè conferunt hæretici, eſt ergo locus diſtinctioni validi quoad hæreticorum baptiſmum, & invalidi quoad eorumdem ordinationes.

Quæres an igitur tot venerandi Patres, Concilia, & Summi Pontifices veritatem, quæ nunc perſpectiſſima eſt ignorabant? an neſciebant, quid inter illicitum, & invalidum interſit, cum multa facta valeant, quæ tamen illicitè fiunt? non utique hæc ignorabant, ſed plerumque deliberaverunt, an in pleriſque ordinationibus res eadem ſimul eſſet illicita, & invalida. Cùm ergo res tunc in ambiguo eſſet necdum eſſet omninò evidens circa hujuſmodi certitudo, nihil conſultius fieri poterat, quam ut de novo conferrentur, quæ vel planè irrita, vel certè dubia pro judiciorum varietate credebantur: quemadmodum, ut ſuperiùs ad quini ſexti Concilii Canonem 84. obſervatum eſt, ſapientiſſimè à Gregorio magno, & à Carthaginenſi Concilio quinto, & ab ipſa quini ſexta Synodo decretum fuit circa dubium baptiſmum, confirmatio-

tionem aut Eccleſiæ conſecrationem, ut hæc omnia rurſùs peragantur.

Inſuper hoc ſciendum veteres Patres hoc pro certo tenuiſſe non ſolum divino, & immutabili jure præſcriptas à Chriſto eſſe certas, & immutabiles Sacramentorum formas quarum defectu nihil agatur: ſed inſuper conceſſum à Deo jus, & poteſtatem Eccleſiæ fuiſſe addendi Sacramentis accidentaria nonnulla, quorum defectu nullum ſit futurum Sacramentum: cum ad rerum exiſtentiam requirantur ſæpè numero circumſtantiarum externarum concurſus, & conditiones, maximè cum de entibus non tàm phyſicis, quam moralibus, qualia ſunt Sacramenta ſermo eſt. Certè nullitas ex eſſentialium à Deo immediatè inſtitutorum defectu perpetua, & immutabilis atque indiſpenſabilis eſt. At quæ ortum habet ex eorum defectu, quæ Eccleſia inſtituit non ampliùs perdùrat quam pro ipſius Eccleſiæ arbitrio, quæ poteſt neceſſarias conditiones invehere, vel removere, propriaſque leges condere, aut abolere.

Iſtam Eccleſiæ poteſtatem circa ipſorum Sacramentorum valorem, aut nullitatem aſſerunt (ut innumeros ſileam Theologos recentiores) Alexander de Ales *ſummæ p. 4. q. 9. mem. 1. & 2. art. 2 §. 1. reſp. ad 1. & §. 3. reſp. ad ult.* S. Bonaventura in 4. *diſt. 7. art. 1. q. 1. & art. ſeq.* Ex Canoniſtis verò Innocentius Papa IV. ad *c. quanto, tom. de conſuetud.* ubi loquitur de confirmationis caractere, & *cap. 2. de bapt.* ubi hanc Eccleſiæ poteſtatem extendit ad Bapt. ſmum, ad Matrimonium, & generaliter ad omnia Sacramenta. Similiter Cardinalis Oſtienſis *tit. de Schiſmaticis, nu. 4.* Abbas Panormitanus ad *d. c. quanto de conſuet.* laudat, & approbat hanc Innocentii ſententiam, cum iſto moderamine, ut ſi Eccleſia conditionem apponat, nec tamen intendat ut ejus defectus inducat nullitatem, eò caſu futurum ſit quidem validum Sacramentum, ſed tamen illicitum, ſi fortè conditio ſcienter prætermit-

tatur. Sed ſi Eccleſia conditionem præſcribens intendat, ut ejus omiſſione ſit irritum, tunc quidem nullum futurum eſſe Sacramentum, quidquid aliunde fiat. Denique docet Thomas Sanch. numeroſam citans Doctorum catervam, poſſe Papam non modo nova impedimenta matrimonium dirimentia inducere, ſed etiam certis prohibere perſonis ne nuptias inter ſe contrahant ſub nullitatis pœna, adeò ut invalidum, & inane futurum ſit id matrimonium. *tract. de matr. l. 7. diſp.* 1.

Franciſcus Hallerius Pariſienſis Theologus, quamvis aliam ineat rationem, nec loquatur de poteſtate condendi circumſtantias Sacramenta irrita facientes; ſed de ipſa Sacramentorum materia, & forma, *tract. de ſacris ordinationibus p.* 2. *ſect.* 2. *c.* 2. §. 21. ſcribit materiam, formamque ipſam poſſe variari, quinimò re ipſa variari in tribus Sacramentis, Pœnitentia, Matrimonio, & Ordine. Non in ratione quidem formali ſecundùm quàm Sacramentorum eſſentiæ ſunt à Chriſto inſtitutæ immutabiliter, ſed in ratione materiali, atque individuali. Sic alio (inquit) ritu Latini, alio Græci ordines tradunt, & alio ritu nunc à nobis, alio à veteribus Latinis ordinationes peractæ ſunt, manente ſemper eadem materia in ſenſu formali, hoc eſt prout ſignificatur ſpiritualis poteſtas in ordinatione tradita; quamvis materiter diverſa ſit materia ipſa prout diverſæ res ad iſtam ſignificandum poteſtatem aſſumptæ ſunt.

Hæc Hilarii diſtinctio quamvis diverſimodè expreſſa cum illa diſtinctione quadrat, & convenit, quam alii Theologi excogitarunt, Chriſtum Dominum inſtituiſſe aliquorum Sacramentorum materias, & formas ſecundùm genus, id eſt prout in genere ſignificare debent gratiam, & poteſtatem ſeorſim à ſingulis Sacramentis conferendam: ſed tamen poſſe per Eccleſiam determinari ejuſmodi materiam, aut formam ſecundùm ſpeciem, ut hoc, vel illo ritu talis gratia, vel poteſtas repræſentetur. Et inſuper diverſis temporibus

poſ-

poſſe ab Eccleſia variari priſtinam illam, quàm ſecundum ſpeciem induxit determinationem, atque reipſa per eam variatum fuiſſe in aliquibus.

Attingens deinde Hallerius pœnitentiæ Sacramentum docet Chriſtum inſtituiſſe quidem ut peccata illius eſſent materia. Ut autem hæc, vel illa peccata, hujus, vel iſtius Sacerdotis judicio ſubjicerentur, & poteſtati, vel ad majus Tribunal referrentur, id relictum Eccleſiæ arbitrio. Hinc tranſgreditur Hallerius ad matrimonium, Materiam (ait) matrimonii Chriſtus conſtituit in legitimo partium conſenſu. An verò legitimus conſenſus eſſet in hoc, vel illo affinitatis gradu, & utrum legitimus ſit clandeſtinus conſenſus necne, id omne judicio reliquit Eccleſiæ.

Plerique alii Theologi ſimile ſcribunt de Ordinis Sacramento. Bellarminus ubi diſputat de materia Diaconatus, quæ primis Eccleſiæ exordiis verſabatur in ſola manuum impoſitione, necdum ſcriptis Euangeliorum libris, donec materiam à Chriſto inſtitutam eſſe unà cum manuum impoſitione aliquid in genere deſignans, quæ Diacono confert poteſtatem, quam Eccleſia poſtmodum determinavit, ut conſiſteret illud poteſtatis ſignum in traditione libri Euangeliorum. Conformia ſcribunt Card. de Lugo *diſp.* 2. *de Sacram. in genere*, *ſect.* 5. *n.* 85. *& ſeqq.* Becanus *p.* 3. *de Sacram. Ord. q.* 4. Et inter Doctores Pariſienſes præter Morinum, & Hallerium citatos, Gamachæus, & Iſambertus nobiles in Sorbonæ Collegio profeſſores.

Circa diſputationem iſtam exquire prætereà, quæ ſupra diſſerui in appendice ad Concilium 4. Carthaginenſe.

Digitized by Google

CONCIL. TRIBURIENSE.

EST Triburia Villa quædam Regia, ſeu Caſtrum ad Rhenum fluvium in quod amænitatis, & voluptatis gratia Franciæ Reges, dum Germanico Imperio potiebantur, concedebant. Hoc loco ſub Arnulfo Imperatore dum eſſet Formoſus Romæ Pontifex celebratum fuit Epiſcoporum duorum, & viginti Concilium anno Chriſt. 895. poſt indictum, & expletum triduanum jejunium cum litaniis, & orationibus ad implorandum ſancti Spiritus opem, ut teſtatur prælocutiva Concilii hujus epiſt.

Canon. 13. *Quatuor* (ait) *fieri partes juxta Canones judicavimus de decimis, & oblationibus fidelium: ut una ſit Epiſcopi, altera Clericorum, tertia pauperum, quarta reſtaurationi Eccleſiarum ſervetur, ſicut in Epiſtola Gelaſii Papæ cap. 27. legitur*. Allegatur iſte Gelaſii canon apud Gratianum 12. *quæſt*. 2. *cap. vobis enim*. Similis eſt ſanctio in *cap conceſſo §. reditus, & cap. quatuor* 12. *quæſt*. 2. *& Canon. ad hoc* 16. *quæſt*. 1. hanc eandem partitionem quadruplicem edixerat in Romana Synodo Sylveſter Papa I. Huc pertinent Sanctorum teſtificationes: dicit enim Urbanus Papa I. *Ipſæ res fidelium quæ Domino offeruntur non poſſunt alii, quam Eccleſiæ, & fidelium indigentium uſibus applicari, quia vota ſunt fidelium, pretia peccatorum, patrimonia pauperum*. Similiter Bernardus Serm. 23. in Can. *Miniſtri Eccleſiæ qui ſtipendiorum ſuperflua, quibus egeni ſuſtentandi forent, impiè ſacrilegèque ſibi retinent, duplici profectò peccant iniquitate, quod, & aliena diripiunt, & ſacris in ſuis vanitatibus, & turpitudinibus abutuntur*. Idemque epiſt. 2. ad Canon. Lugd. *Quidquid præter neceſſarium victum, & veſtitum de altari retines, tuum non eſt, ſacrilegium eſt, rapina eſt*. Similia idem reperit *epiſt*. 42.

Can.

Can. 18. *Vaſa in quibus ſacroſancta conficiuntur myſteria calices ſunt, & patenæ de quibus Bonifacius martyr, & Epiſcopus interrogatus, ſi liceret in igneis vaſculis ſacramenta conficere? reſpondit. Quondam Sacerdotes aurei ligneis vaſculis utebantur, nunc è contra lignei Sacerdotes aureis utuntur calicibus.* Zephyrinus Papa patenis vitreis miſſas celebrari conſtituit. Deinde Urbanus I. omnia ſacri Miniſterii vaſa fecit argentea. In hoc enim ſicut hi reliquo cultu magis, ac magis per incrementa temporum ſplendor ſuccrevit Eccleſiarum. *Statuimus* (inquit) *ut deinceps nullus Sacerdos ſacrum Myſterium Corporis, & Sanguinis Jeſus Chriſti Domini in igneis vaſculis ullo modo conficere præſumat.* Citatur in *cap. vaſa in quibus Sacroſancta de conſecrat. diſt.* 1. Hieronymus epiſt. ad Ruſticum ſic teſtatur de contemporaneo ſibi Exuperio Toloſano Epiſcopo; *Nihil illo ditius, qui Chriſti corpus in caniſtro vimineo, & ſanguinem portat in vitro.* Deſumptus ex Concilio Rhemenſi ſub Carolo magno *Canon ut Calix de conſecrat. diſt.* 1. prohibet uſum Calicis vitrei ob materiæ fragilitatem. Et Cyprianus in vita S. Cæſarii Arelatenſis *An non* (inquit) *in vitro habetur ſanguis Chriſti.*

Canon 22. decernit in gravis delicti ſuſpicione, ut Epiſcopo, vel ſuo delegato diſcutiente, reus per ignem candenti ferro examinetur. Tam probationum, quam purgationum aliæ dicuntur Canonicæ, quæ ſacris Canonibus ſaltem poſterioribus approbantur; aliæ vulgares, quæ vulgari quidem in uſu erant, non tamen Canone ſancitæ, aut probatæ, ejuſmodi recenſentur duellum, ferrum candens, aqua fervens, aqua frigida, & id genus alia, quæ aliquando authoritatem à canonibus quidem habuerunt, ſed aliis poſterioribus Canonibus prohibita ſunt. Hinc tituli decretalium de purgatione Canonica, & de purgatione vulgari. Sub hoc ultimo titulo ſingula capita abrogant, & interdicunt hujuſmodi purgationes, ad quas etiam per Judicum Eccleſiaſticorum ſenten-

tiam rei compellebantur. Innocentius III. Epiſcopum deponit tùm ob ejus alia delicta, tum ob ejus judicium probationem indicens per ferrum candens *cap. ex litteris de exceſſ. prælat.* Et in decreto Stephano V. prohibet candentis ferri, & ferventis aquæ probationem, aut purgationem. Nicolaus verò monomachiam *cap. conſuluiſti, & cap. monomachiam* 2. *q.* 4. Inſuper S. Tho. 2. 2. *q.* 95. *ar.* 8. *ad* 3. illicita docet eſſe illa examina per quæ Deus tentatur ad miraculum operandum.

In lege quidem veteri probabatur uxoris pudicitia per aquam Zelotypiæ, in quam Sacerdos maledicta congeſſerat; ſed nihil de peccato periclitabatur, ubi conſtabat de divina inſtitutione n. 5. Nihilominus iſtæ purgationes non tantùm conſtitutæ reperiuntur per veteres Longobardorum leges, ſed etiam per Caroli Magni capitulare congeſtum ex Synodalibus antiſtitum illius temporis Conſtitutionibus lib. 4. cap. hujuſmodi examine perhibentur uſi diverſi Germanorum Imperatores. Lotharius circa ſibi ſuſpectam adulterii Teutbergam uxorem, ut teſtatur Regino Chron. *libr.* 2. voluit duos milites monomachia decernere. Sancta Imperatrix Canegundis ſe apud ſanctum Henricum conjugem ſuum adulterii ſuſpicione malè concepta pedibus nudis ſuper ardentes laminas incedendo liberavit; Surio teſte Otho tertius uxorem Mariam Aragonum Rege natam flammis addixit adulterii accuſatam, poſtquam illius accuſatrix vidua (cujus maritus ſollicitantis Imperatricis ſtuprum ex Dei timore recuſaverat, ideòque falſis ab Imperatrice criminationibus apud Othonem adulterii attentati circumventus neci addictus fuerat.) illæſa candentem laminam contrectavit, ad faciendam ſceleris fidem, ut referunt Gotfridus Viterbienſis, & Albertus Grantzius.

Vulgares iſtas probationes Ivo Carnotenſis paſſim reprobat, diſſuadet *epiſtol.* 74. 205. 252. 280. Videtur tamen idem alicubi approbare his occurrentibus condi-

tio-

tionibus, ſi aliæ non ſuppetunt idoneę probationes, nec deſunt probabiles gravis delicti præſumptiones, & præcedit poſt legitimam accuſationem ſententia judicis hæc fieri decernens. Sic enim hac de re ſcribit ad Radulphum Remenſem Archiepiſcopum epiſtol. 252. *Non negamus tamen* (inquit) *quod ad divina aliquando recurrendum ſit teſtimonia, quando præcedente ordinaria accuſatione omnino deſunt humana teſtimonia: non quod Lex hoc inſtituerit divina, ſed quòd exigat credulitas humana.*

Qui plura his de rebus circa monomachiæ, vel aquæ frigida vinctorum corpora, vel ſuſtentantis ad innocentiæ argumentum, vel mergentis ad convictionem delicti, vel aquæ ferventis in quam pedes, aut manus immittebantur, vel laminarum ardentium, aliaſque id genus priſcis hominibus uſitatas probationes, diſquiſitiones, atque etiam ex antiquiſſimis manuſcriptis exorciſmos aquæ frigidæ, aut calidæ, aliaſque ſolemnes preces, & ritus quibus Sacerdotes præibant his examinibus ſcire cupit, conſulat annotationes eruditas Franciſci Jureti ad Ivonis Carnotenſis epiſt. 74.

Can. 40. declarat irritum matrimonium inter eos, qui ante conjugis mortem ſimul mæchati fuerant cum mutua futurarum nuptiarum pollicitatione, ſi conjux cui hæc inferebatur injuria præcederet. Eſt unum ex criminibus matrimonium etiam contractum dirimentibus, refertur *in c. relatum* 31. *quæſt.* 1.

Can. 41. edicit ut ſi frater fratris uxorem viſitaverit, à neutro deinceps illa contingi poſſit propter evitandum inceſtum. Addit tamen ſi urgeat incontinentiæ periculum, Epiſcopum poſt mulieris pœnitentiam ſuo præſcripto peractam, eiſdem conjugatis uſum matrimonii debere permittere: *ne* (ait) *dum ſperant ad alta ſublevari corruant in cœnum*: hinc inferendum poſſe per Epiſcopum diſpenſari circa impedimenta jam legitimè contracto matrimonio ſupervenientia, etiam circa contractum in 1. gradu inceſtum, ut docet Sanch

de matrim lib. 8. *diſp.* 11. *n.* 16. quem Bonacina aliique conſectantur.

Can. 48. *Illud etiam* (inquit) *nec canonica inſtitutione definimus, nec introductione aliqua refutamus, ſed propter eos qui diverſè de eo ſentiunt aliquid commemoramus: ſi quis ſuæ commatris ſpiritualis filiam fortuito, & ita contingente rerum caſu in connubium duxerit, conſilio maturiore ſervato habeat, atque honeſtè legitimo conjugio operam det.* Ex iſto Canone inferri poteſt, licere aliquando probabilem ſequi opinionem tutiore relicta, quando ſaltem res integra non eſt, ſed uni partium jam ſe quis bona fide alligatum cernit, ut in hoc jam contracto ignoranter, ac bona fide matrimonio. Tutiùs enim pro certo foret in propoſita quæſtione uſu matrimonii abſtinere uſque ad declarationem; vel diſpenſationem requiſitam à ſuprema ſede. Patres autem Tributienſes nihil auſi hac in re (ut ipſi proteſtantur) definire, conſulunt nihilominus pro altera duarum opinionum minus quidem tuta, ſed quam tamen cenſent probabilem, & cui annexum jus eſt qualiſcumque poſſeſſionis ex contractis pridem bona fide nuptiis. Porrò circa ſpiritualis affinitatis vinculum conſulito Trident. Conc. *ſeſſ.* 24. *cap.* 2. de ſpirituali cognatione. Illas porrò quæ probabilium nomine opinionum circumferebantur hoc titulo, quòd à multis propugnarentur ſcriptoribus, quorum hoc erat inſtitutum ut humanis, & prorsùs iniquis cupiditatibus fræna laxarent, quaſque damnavit, & proſcripſit jure merito Alexander Papa VII. in illius libri damnatione qui inſcriptus erat. *Apologia caſuitarum adverſus Ianſeniſtas*, nos execramur, ex quibus erant non paucæ quæ luci non modò Euangelicæ, ſed etiam naturali ſic adverſabantur, ut vel Turcis, vel Scytis horrorem inconcuſſiſſent. Authores itaque illarum quantumvis numeroſi, atque in ſæculo ſpectabiles nihil minus merebantur, quam gravium, aut ſapientium nomen.

GALI-

GALLIC. QUÆDAM CONC. in cauſa Nuptiarum illegitimarum Philippi Primi, & poſtmodùm Philippi Auguſti Regum Franciæ celebrata Oſtione, Claromonte, & Divione.

PHILIPPUS ejus nominis Primus Franciæ Rex repudiata legitima uxore Berta comitis Hollandiæ filia, ex qua etiam filium Ludovicum cognomento Craſſum, qui patri in Regnum ſucceſſit, ſuſceperat, illegitimo ſibi toro conjunxit Bertradam Cognatam ſuam, Fulconis comitis Andeganenſis adhuc viventis uxorem. Quocirca Urbanus Papa II. natione Gallus quamvis gravem metuendi cauſam haberet, hoſtem patiens infenſum Henricum Imperatorem, & ab hoc intruſum Guibertum Antipapam, eſſetque periculum, ne irritatus Franciæ Rex ſchiſmati ſe adjungeret, faveretque Henrici armis, publico tamen ſe opponere ſcandalo minimè dubitavit. Ergo legatum ſuum toto Regno conſtituit Hugonem Lugduni Archiepiſcopum, qui ſine mora Concilium Epiſcoporum Galliarum indixit in urbe, quam Bertoldus hujus hiſtoriæ ſcriptor vocat Oſtionem, quæque a multis exiſtimatur Auguſtodunum dicta etiam Edua, & vulgo *Autun* in Burgundia. In hac Synodo Philippus communione fidelium excifus eſt anno milleſimo nonageſimo quarto. Cùmque nihilo ſecius Rex in contumacia perſiſteret, ipſe tandem Pontifex Urbanus in Galliam profectus aliud Concilium Claromonte in Alvernia coegit, cui ducenti, & quinque Antiſtites interfuerunt, in quo iterum Philippus

cum

cum ſua pellice Bertrada excommunicatus eſt. Ad poſtremum Rex meliore ſuſcepto Conſilio Bertradam dimiſit. Ipſa verò Regina Berta jam è vivis exceſſerat procul à Regiâ, præcedente anno ut liquet ex Chronico Cœnobii S. Petri vivi Diœceſis Senonenſis iiſdem temporibus conſcripto à Clario Monacho.

Obſervatu dignum eſt, quod Petrus Matthæus ſub finem hiſtoriæ ſancti Ludovici refert ex veteri Codice Guilberti Abbatis Nongentini ſcripto dum regnaret hujus Philippi filius Ludovicus Craſſus Philippum initio Regni complures ſtrumis morbidos ſuo contactu curaſſe, ſed iſtud amiſiſſe privilegium, neque poſthac dum vixit recuperaſſe, ex quo ejus mores per luxuriam, & inceſtuoſos Bertradæ amores, in deterius verſi ſunt. Porrò Claromontanum Conc. iſtud habitum fuit anno 1095. quo Urbanus ſacram induxit expeditionem pro Syria de manibus Mahumetanorum recuperanda: quæ quidem expeditio felicem nacta eſt exitum Duce ſtrenuo, & religioſiſſimo Godefredo Bullonio, qui anno 1096. Hieroſolymam expugnavit, omniumque ſuffragiis Rex Hieroſolimorum primus electus fuit.

Claromontanæ Synodi can. 2. ſic edicitur: *Quicumque pro ſola devotione non pro pecuniæ, vel honoris adeptione ad liberandam Eccleſiam Dei Hieruſalem profectus fuerit, iter illud pro omni pœnitentia reputetur*. Cœperunt hac Synodo publicæ pœnitentiæ pariter privatorum pœnitentium ſatisfactiones pro peccatis in ſacram pro fidei propugnatione militiam transferri.

Canon 4. *Ne quis Clericus arma deferat*.

Canon 16. *Ne Reges, vel alii Principes aliquam inveſtituram de Eccleſiaſticis honoribus faciant*. Hoc idem edixit Synodus octava can. 22.

Canon 28. *Ne quis communicet de altari, niſi corpus ſeparatim, & ſanguinem ſumat, niſi per neceſſitatem, & per cautelam*. Iſtud præceptum ſub utraque ſpecie commu-

municandi Eccleſia haud multò poſt revocavit graviſſimis adducta cauſis, & omnibus Miſſam non celebrantibus uſum calicis interdixit. Vide inferiùs Conſtantienſis Concilii *ſeſſ.* 13.

Sequenti ſæculo Franciæ Rex Philippus Auguſtus uxorem Gelbergam Danorum Regis filiam repudiavit, eaque viventem Moraviæ ducis filia Mariam ementito matrimonii nomine duxit, prætexens aliquam dirimentem cum dimiſſa affinitatem. Tùm Cœleſtinus Papa III. binos in Galliam Legatos tranſmiſit, qui collecta Divione in Burgundia Synodo, cauſaque ſedulò explorata Regem admonitum, & admonitionibus contumacem, Regnumque univerſum Eccleſiaſtico interdicto ſubjiciunt anno Domini 1197. Id Rex iniquo animo tulit, neque Concilio per aliquot menſes dignatus eſt obtemperare: ſed ad ultimum reſipiſcens, & Mariam dimiſit, & Gelbergam revocavit. Franciæ quædam hiſtoriæ hoc addunt, quamdiu duravit interdictum non fuiſſe pro veteri more in publicis tabulis conſcriptum regnante Philippo, ſed regnante Chriſto.

CONC. OECUMENICUM IX. ſeu Lateranenſe ſub Caliſto II.

QUamvis generalis Synodus octava conſtituiſſet can. 22. nemini principum, aut potentiûm licere ingerere ſe Epiſcoporum electioni, aut promotioni: quamvis etiam primus inter Chriſtianos Imperator Conſtantinus in ſua ad Epiſcopos, qui Nicænæ Synodo non interfuerant epiſtola, quam referunt integram Theodoritus, & Gelaſius Cyzicenus, hanc auream, & omnibus ſæculis memorabilem ſententiam circa Conci-

ciliorum authoritatem tradidiſſet, πᾶν ὅτι δ' ἂν ἐν τοῖς ἁγίοις τῶν Ε'πισκόπων συνεδρίοις ἐπράχθη, τοῦτο πρὸς τὴν θείαν βούλησιν τὴν ἀναφορὰν ἔχει. *Quidquid in ſacris Epiſcoporum confeſſionibus actum eſt, id omne ad Dei conſilium referri debet.* Nonnulli tamen Germanorum Imperatores à Conſtantini pietate degeneres, jura Epiſcopatuum, & Abbatiarum, cæterorumque beneficiorum Eccleſiæ conferendorum ſibi aſſerebant, & cum fœdiſſimo mercatu ſacras dignitates venales habebant, ideòque indigniſſimos viros ad eas aſſumebant, unde naſcebatur grandis morum, & ſacræ diſciplinæ corruptela.

Huic peſti Romani Pontifices occurrere conati ſunt, atque omnium maximè Gregorius VII. dictus antea Idelbrandus. Cùm enim poſt Damaſi II. obitum vacante Apoſtolica ſede, Imperator Henricus, quem Itali ſecundum, Germani tertium ejus nominis recenſent, delegiſſent Papam Brunonem Tulienſium Epiſcopum, cumque purpura Pontificali ornatum a ſe dimiſiſſent, ut coram Cardinalium conſeſſu ſiſterent acceptandum, & conſecrandum: Cùmque hic per Galliam iter ageret, ubi tunc fortuitò verſabatur Idelbrandus, correptus ab eodem fuit, quod necdum à Romano Clero electus ſe pro ſummo Pontifice gereret, ac ſi liceret à Principe laico ſupremæ in Eccleſia dignitatis apicem conſequi, addit Idelbrandus ſe id præſtiturum, ut nec Imperator cauſam ſuccenſendi haberet, nec jura Eccleſiæ detrimentum paterentur. Bruno illius ſuaſu purpuram deponit, & iter proſequitur aſſumpto ſecum Idelbrando, cujus deinde opera Bruno Romæ à Clero Summus Pontifex eligitur, ſub nomine Leonis IX. qui fuit eximia vitæ ſanctitate ſpectabilis: de quo ita ſcribit Leo Oſtienſis; quamdiu Romæ remoratus eſt, omni tempore tribus per Hebdomadam diebus à Lateranenſi Eccleſia uſque ad Sanctum Petrum, privatu habitu, nudiſque pedibus, cum duobus aut tribus Clericis, noctu pſal-

pſallendo, & orando pergebat. Harum verò Baſilicarum intervallum eſt circiter quatuor miliarium.

Defuncto Leoni ſubrogatur Victor ſecundus precibus ſacri Cardinalium Collegii apud Henricum Imperatorem expetitus. Moritur paulò poſt Henricus, deditque operam Victor Pontifex, ut eligerentur in Imperium quinquennis ejus filius Henricus III. qui grandior factus Eccleſiæ Romanæ infenſiſſimus hoſtis evaſit. Mortuo ſubinde Victori ſufficitur Stephanus X. hunc excepit à Romano Clero ſublectus Nicolaus II. quem rogante Clero Henricus III. approbavit, & admiſit: iſte indicto in Lateranenſi æde Concilio ſanctionem edidit, quam refert Gratianus *diſt. 23. cap. in nomine Domini*, quæ jubet Romanum eligi Pontificem à Clero, & populo, ſic tamen ut præſint Cardinales Epiſcopi adhibitis aliis Cardinalibus Clericis, atque ita reliquus cum populo Clerus ad conſenſum novæ electionis accedat: mox ita ſubjungit: *ſalvo debito honore, & reverentia dilecti filii noſtri Henrici, qui in præſentia Rex habetur, & futurus Imperator Deo concedente ſperatur, ſicut jam ſibi conceſſimus, & ſucceſſoribus iſtius, qui ab hac Apoſtolica ſede perſonaliter jus hoc impetraverint*. Nicolaum II. excepit Alexander II. Alexandrum Idelbrandus dictus Gregorius VII. in Etruria humili loco, & patre fabro, ingenii tamen virtutumque laude conſpicuus. Eum Henricus legitimis ſuffragiis Romæ electum approbavit, & aliquandiù impenſè coluit. Sed paucis inde annis mutato in deterius Conſilio atrociſſimè divexavit, eique Guibertum Ravennæ Epiſcopum oppoſuit Pſeudo-Papam, qui Eccleſiam dilaceravit ſub legitimis Pontificibus Gregorio Septimo, Victore Tertio, & Urbano Secundo, mortuus demum ſub Paſchali Secundo. Sed ei alios ſubinde Antipapas ſchiſmatici Henriciani ſubſtituerunt.

Henricum Tertium Imperatorem ſchiſmaticum

Gre-

Gregorius VII. in Concilio Epiſcoporum Laterani habito percuſſit anathemate, ſubditoſque illi populos ſubjectionis Sacramento ſolvit. Quam ſententiam iteraverunt adversùs eundem ejuſque cognominem filium, & ſucceſſorem Henricum IV. inſequentes Pontifices.

Prolatæ ſententiæ hujus cauſæ multiplices fuerunt, Primùm uſurpatio dignitatum, & prælaturarum Eccleſiæ, quas titulo inveſtituræ Imperatores conferebant. Deinde ſimonia, quia pretium pro his inveſtituris exigebant. Poſtremò ſchiſma, & aperta rebellio, quia armis, & factionibus Antipapas obtrudebant.

Henricus IV. paternæ nequitiæ imitator, poſtquam Paſchalem ſecundum in Vaticano veneratus eſt, atque ab eo coronam Imperii ſumpſit, eundem improviſo capi juſſit, & carcere occluſit: neque prius libertatem reſtituit, quàm extorſerit præceptas ſibi, & patri prælaturarum inveſtituras. Paſchalis verò reddita ſibi libertate Concilium in Laterano coegit, quo revocata eſt per vim extorta conceſſio, ipſe Henricus ſacris omnibus interdictus.

Succeſſorem Paſchalis Gelaſium II. Henricus adducto exercitu Roma exegit, & Burdinum Bracarenſem Archiepiſcopum in Romanæ ſedem Eccleſiæ vi obtruſit. Pulſus Gelaſius in Galliam confugit, ibiq; diem clauſit extremum. Denique unanimi Cardinalium conſenſione, tàm eorum, qui Gelaſium comitatu adhuc in Gallia verſabantur, quàm eorum, qui in Italia conſtiterant ſummus creatur Pont. Guido Viennenſis Archiepiſcopus, cui Caliſti II. nomen inditum. Hic ſtatim Remis Concilium habuit, quo ſimul Henrico, & Burdino anathema dixit. Inde Romam profectus Burdinum tandem in ſuam redactum poteſtatem Monaſterio concluſit. Quin & Adalbertum Archiepiſcopum Moguntinum Legatum ſuum per omnem Germaniam conſtituit, qui ſuo ſtrenuè defungens munere Epiſcopos, & Principes

cipes

cipes pro tuenda Eccleſia in legitimas partes pellexit, & validiſſimum eduxit exercitum, qui cum haud procul ab Henrici copiis caſtra poſuiſſet paratus confligere, magno Dei beneficio factum eſt, ut communicatis hinc inde conſiliis duodecim ex utroque exercitu Principes viri delecti de pace ineunda ſecundò egerint, & ſimul convenerint prorſus eſſe extirpandum exitiale ſchiſma, & ut Henricus Legatos ad Pontificem expediat pacem ſuppliciter rogantes, quæ tandem generalis Concilii decreto firmetur. Aſſentitur Henricus, qui ſi detrecteret à ſuis omnibus ſe deſertum iri, & ſua ditione ſpoliandum prævidebat. Nihil verò jucundius Calliſto, nihil utilius Eccleſiæ poterat accidere, quàm ut extincto tam diuturno ſchiſmate, ſedatiſque bellis quibus tot annos Italia, & Germania conflagraverant, pax deſideratiſſima ſuccederet, atque ad Eccleſiæ unitatem redirent Imperatores.

Nonum iſtud inter generalia Concilium convocatum eſt anno 1122. in quo hæc fuerunt pacis conditiones ſancitæ. Ut Imperator liberas Clericis, & Monachis ſineret Epiſcoporum, & Abbatum electiones, & reſtitueret quæcumque ablata Eccleſiis fuerant per ipſum, vel patrem, vel utriuſque fautores, & Miniſtros. Pontifex verò conceſſit Henrico, & ſucceſſoribus ipſius, ut electi in Epiſcopos, vel Abbates in terris Imperii regalia ab Imperatoribus ſumere aſtringerentur, dum omnis abeſſet pecuniaria contributio, & ſimoniæ labes.

Hoc eodem Conc. proviſum eſt de ferendis ſuppetiis adversùs Saracenos Eccleſiis Orientis, & renovatæ ſunt peccatorum remiſſiones ab Urbano II. fidelibus olim indultæ, qui cruces in veſtibus ſumpſerint, & Chriſtianis, quos Saraceni opprimebant opem ac præſidium tulerint.

Ordinationes præterea, quas fecit Burdinus, & Pſeudo Epiſcopi per ipſum ordinati à die, qua publi-

co

co Eccleſiæ Romanæ judicio ille damnatus fuit irritæ decernuntur.

Presbyteris etiam Diaconis, & Subdiaconis, & Monachis concubinas habere, & matrimonia contrahere penitus interdicitur. Contracta quoque ab his matrimonia diſiungi, & qui contraxerant ad pœnitentiam adigi juxta canonum præſcripta decernitur. Eò porrò nequitiæ ſacer Clerus jamdudum redactus erat, ut Sacerdotes connubia paſſim inirent, convocatis affinibus, & amicis, de dote & nuptialibus donationibus, ſimilibuſque conventionibus paciſcerentur, & conventa publicis tabulis conſcriberent. Quia verò Leo IX. aliique Romani Pontifices iſtas ſacrilegas fœditates diſtrictè prohibuerant, id circò magna Cleri pars his involuta ſpurcitiis Antipapis adhærebat, à quibus illæ approbabantur. In has Clericorum Sacrorum ementitas nuptias acerrimè, ut par erat invehitur Cardinalis Petrus Damiani, qui temporibus Leonis IX. & Nicolai II. ſcribebat.

Canone hujus Concilii ſecundo ſic decernitur: *Nullus in Præpoſitum, nullus in Archipresbyterum, nullus in Decanum, niſi Presbyter, nullus in Archidiaconum, niſi Diaconus eligatur*. Hunc eundem canonem innovat Innocentius II. in Conc. Romano. Uterque legitur canon in decreto *diſt. 60. c. nullus, & c. innovamus*. Concil. autem Trid. *ſeſſ. 22. de reform. cap. 4.* annum indulget intra quem ii, qui dignitates Eccleſiæ, vel beneficia poſſident, tenentur ad eum ordinem promoveri, quem illæ præbendæ requirunt. Quam eamdem ſanctionem ediderat anteà ſub Clemente V. Viennenſe Concilium. *Clementina ut ii qui divinis de ætat. & qualit. & ord. præficien.* Is verò indultus annus ſumit exordium a die ſumptæ poſſeſſionis, dummodo proviſus illam ſua fraude non diſtulerit.

CONC.

CONC. OECUMENICUM X. ſeu Lateranenſe ſecundum ſub Innocentio Papa II.

POſtquam legitimis majoris partis Cardinalium ſuffragiis ſublectus fuit Honorio II. Caliſti II. ſucceſſori Innocentius II. reliqua pars Cardinalium Petrum Leonis Pſeudo-Pontificem elegit , qui ſe Anacletum II. dixit. Imminente quippe Honorii obitu conventum inter Cardinales fuerat ut poſtquam ille exceſſiſſet, ſimul omnes ad S. Marcum convenirent ut ſucceſſorem communi conſilio eligerent. Cæterum qui familiaritate, & aſſiduitate propinquiores Honorio fuerant (ut refert Sergius Abbas S. Dioniſii in vita Ludovici VI. Francorum Regis) ſtatim atque Pontifex deceſſit , antequam ejus obitus populo innoteſcere t non auſi ad S. Marcum metu populi tumultuantis convenire ſine mora Innocentium elegerunt (qui ante Gregorius vocabatur) Cardinalem diaconum tituli S. Angeli. Reliqui verò Cardinales, & Epiſcopi, qui cum majori procerum Romæ civium parte Petro Leonis adhærebant Presbytero Cardinali tituli S. Mariæ trans Tyberim, ad S. Marcum eodem quoque die convenientes ipſum Petrum in Papam elegerunt. Hic & cognatorum, atque affinium potentia, & procerum, & clientum multitudine, & divitiarum copia ſubnixus, ædes Frangipannm obſidet, ad quas ſe Innocentius receperat. Sed inde repulſus præcipuarum urbis Eccleſiarum theſauros, & vaſa diripit, ut his opibus ſuas partes promoveret.

Sibi etiam Petrus adjunxit Rogerium Calabriæ, Apuliæ, & Siciliæ ducem, cui primus titulum Regis indulſit. At Innocentius Romæ tandem excedere cogitur, ſeque in Galliam recipere. Eum Rex Ludovicus ſextus

cognomento Craſſus pedibus ejus procumbens honorificentiſſimè excepit. Schiſmati huic extinguendo S. Bernardus diligentiſſimam, & utiliſſimam operam navavit apud Reges Franciæ, & Angliæ, & deinde apud Lotarium Imperatorem, qui etiam pollicitus eſt, ſe Romam uſque Innocentium cum exercitu deducturum, quod & ſedulò præſtitit. Innocentius Eccleſiarum Gallicanarum in ſui ſubſidium recepta collatitia pecunia ex Gallia in Italiam remeat. Lotarius eidem ſe comitem cum exercitu numeroſo adjungit in Longobardia, & Romam uſq; deducit: ubi & coronam Imperii de manu Innocentii ſuſcepit, indeque in Germaniam regreſſus eſt, relicto Romæ pro Innoc. tutela præſidiario milite.

Neque ſolùm ſchiſmate per id tempus dilacerabatur Eccleſia, ſed hæreſibus quoque, & ſeditionibus quas Petrus Bruis, & Arnaldus Brixianus accendebant: quibus medendis malis Innocentius Concilium iſtud indixit.

Ejus canon. 3. duo circa excommunicatos decernuntur, primùm ne à ſuo prælato excommunicatum alius prælatus, vel abſolvere præſumat, vel ſuſcipere citra appellationem. Quod idem ſtatuerat Nicænus can. 5. ſub Sylveſtro, & Lateranenſis can. 9. ſub Caliſto. Sancit præterea, ut ſcienter cum excommunicato communicantes, eadem ipſi cenſura innodentur. Hoc tamen duplici moderamine temperarunt poſteriora jura: primum quidem reducendo hanc pœnam participantium cum excommunicatis ad minorem excommunicationem. Secundò, ut nec ipſa minor excommunicatio locum habeat niſi participando cum publicè denunciatis atque nominatim, aut cum manifeſtis Clericorum percuſſoribus juxta placitum Conſtantienſis Concilii à Martino V. Pontifice confirmatum. Hac de re plura require ſuperius ad Antiochenum can. 2. quo ſimilis fuerat edita conſtitutio.

Decimus canon prohibet decimas Eccleſiæ à Laicis poſ-

poſſideri, & poſſeſſas quamprimùm reſtitui jubet. Habetur apud Gratianum *can. decimas 16. q. 7.*

Canon. 5. Vim Clerico aut Monaco, Diabolo ſuadente illatam punit excommunicatione, quam extra mortis articulum ſolus Papa ſolvere poſſit. Habetur *c. ſi quis ſuadente. 17. q. 4.*

Generali Conc. ſubjungitur Innocentii epiſt. mandans, ut Petrus Abælardus hujuſque diſcipulus Arnaldus de Brixia perverſorum dogmatum artifices in locis religioſis ſeparatim includantur, eorumque libri hæretici concrementur.

CONCIL. GENERALE IX. ſeu Lateranenſe ſub Alexandro III. Pontifice.

VIta functo Adriano Tertio ſucceſſor electus eſt ab uno & 20. Cardinalibus Alexander Tertius à tribus verò dumtaxat Octavianus Romanus Friderici Ænobarbi ſtudioſus, qui duodeviginti annos adversùs Alexandrum per omnem Italiam bellum atrociſſimum geſſit, parte Italorum pro legitimo Pontifice, parte alia pro Imperatore, & Antipapa dimicante. Tandem bello profligatus Fridericus, & majori ſuorum parte, tùm apertè deficiente, tùm vacillante reſipuit, ſeque Venetiis ad Alexandri pedes abjecit, & ita ſolutus anathemate fuit. Sedatis belli fluctibus Alexander generale Concilium in Laterano habuit ad providendum, ne deinceps Eccleſia ſimili calamitate conflictaretur. His alia cauſa Catharorum, ſeu Peterinorum hæreſis accedebat, quæ in Aquitania exorta latiùs in dies propagabatur, & Vaſconiam, Albegeſium, Toloſam, finitimaſque oras inceſſerat. Anno itaque 1179. Concilium iſtud agitatum eſt.

Can. 1. ſtatuit Romanum Pontificem eſſe poſſe neminem, qui à duabus ſaltem Cardinalium electorum partibus electus non fuerit. Addens nihil per hoc ſacris canonibus præjudicari, qui in aliis quibuſcumque electionibus, atque deliberationibus majoris, & ſanioris partis conſenſum ratum habent: quatenus cum in his recurri poſſit ad ſuperiorem ſi dubium occurrat iſti recurſui nō poteſt locus eſſe in Summi Pontificis electione.

Can. 2. Irritas decernit ordinationes antipapæ Octaviani aliorumq; omnium per eum ordinatorum, cunctaque alia per eos geſta. Simile ſtatuerat Concilium Lateranum ſub Innocentio Secundo circa ordinationes à Petro Leonis Pſeudo-Pontifice factas. Itemque aliud Lateranum ſub Caliſto ſecundo Concilium can. 6. circa ordinationes, & reliqua geſta Burdini Pſeudopapæ.

Can. 3. Statuit ne annis triginta minor in Epiſcopum, aut viginti quinque in Parochum, aut Archidiaconum, aut in aliam dignitatem, vel beneficium animarum curæ annexum eligatur, aut promoveatur. Hanc renovavit ſanctionem Synodus Tridentina *ſeſſ.* 24. *c.* 2. *de reform.* Iſte Lateranus Can. refertur *c. cum in cunctis de elect.* Quo eodem Canone decernitur electum, & confirmatum Epiſcopum miſſumque in poſſeſſionem bonorum Epiſcopalium, eo momento priſtina ſua omnia beneficia per vacationem amittere quo tempus expirat à canonibus præfinitum ad illius conſecrationem.

Can. 5. Aſtringit Epiſc. ut vitæ neceſſaria ſubminiſtret ei, quem ſine ſufficienti patrimonio, vel titulo ad ſacrum ordinem promovit. Refertur in *c. Epiſcopus ſi aliquem*, *& c. non liceat de præben.* Gregorius Turonenſis *lib.* 8. *hiſt. Franc. cap.* 20. *Fauſtinianus* (inquit) *qui juſſu Guidobaldi Aquenſis urbis Epiſcopus ordinatus fuerat, ea conditione removetur, ut eum Bertrannus Oreſtes, & Palladius qui eum benedixerant vicibus paſcerent, centenoſque ei aureos annis ſingulis miniſtrarent*. Innocentius Papa Tertius *ep.* 184. *regeſto* 15. Epiſcopum Pictavienſem increpat,

eo

eo quod in eluſionem Can. quo ſine titulo, vel patrimonio Clericis ordinatis per ordinatores, aut præſentatores, aut ſucceſſores eorum jubetur de victu provideri, juſiurandum recepiſſet ab ordinandis, quod nullum vitæ ſubſidium ab ipſo unquam petituri eſſent. Idemque epiſt. ad Zamorenſem Epiſcop. conſtituit, ut ordinator Epiſc. ei quem ordinatione ſine titulo conſecraverit, ejuſq; ſucceſſor compellatur de victu providere donec titulum nanciſcatur. Habetur in *c. ſecundum Apoſtolum de præb. Viſit.* huc etiam ſpectat *c. 2. eodem titul.*

In Eccleſia primitiva nemo promovebatur ad ordines, quin ſimul aſcriberetur Eccleſiæ, aut Monaſterii miniſterio, ut edicitur Can. *6.* Concilii Chalcedonenſis, & legitur *cap. 1. & 2. diſt.* 70. Capitulare quoque Caroli Magni lib. 1. cap. 15. *Nullus* (an) *abſolutè ordinetur, & ſine pronunciatione ſtabilitatis loci ad quem ordinatur*. Ea Clerici ad certam Eccleſiam aſcriptio dicebatur intitulatio, & ipſa Eccleſia titulus. Poſtquam verò per ordinationum multitudinem ea conſuetudo deſiit, tùm demum requiſivere jura patrimonium. Concil. quidem Trid. antiqua jura inſtaurans prohibens quemquam ordinari, quin certæ Eccleſiæ Miniſterio aſcribatur *ſeſſ.* 23. *cap. 16.* non tamen ad hoc aſtringit, ut Eccleſiæ ſuppeditent ſtipendia Clericis illis aſcriptis niſi ratione beneficii.

Canon. *9.* Cavet ne Prælati per ſententiam excommunicent, vel ſuſpendant niſi admonitione præmiſſa. Et ne ullus Religioſus à capituli, vel proprii ſuperioris regulari diſciplina, vel correctione præſumat appellare. Legitur inſertum in *c. ad noſtram, & c. reprenſibilis, de appellat.* Quod attinet ad præmonitiones hæ tantummodo requiruntur, quando decernitur cenſura circa præſens delictum cum contumacia conjunctus: at verò quæ circa futurum delictum, ſive à jure, ſive ab homine Prælato decernuntur, non exigunt aliam juris formam, quam ut promulgentur.

Canon 8. *Nulla Eccleſiaſtica beneficia ſeu miniſteria, vel Eccleſiæ alicui tribuantur, ſive promittantur, antequam vacent ne deſiderare quis proximi mortem videatur, in cujus locum, & beneficium ſe crediderit ſucceſſurum.* Et ſubinde ita pergit: *Cùm verò præbendas Eccleſiaſticas ſive beneficia, ac officia in aliqua Eccleſia vacare contigerit, non diù maneant in ſuſpenſo, ſed infra ſex menſes perſonis, quæ dignè adminiſtrare valeant conferantur. Si verò Epiſcopus ubi ad eum ſpectat, conferre diſtulerit, per capitulum ordinetur. Quod ſi ad capitulum pertinuerit, & infra prædictum terminum hoc non fecerit, Epiſcopus ſecundùm Deum hoc cum Religioſorum hominum Conſilio exequatur. Vel ſi omnes fortè neglexerint. Metropolitanus de ipſis ſecundùm Deum abſque illorum contradictione diſponat.* Habetur in *c. nulla de conceſs. præben.* Vocatur jus devoluti occurrens, quando non providetur tempore debito, vel providetur quidem, ſed de indigna vel incapaci perſona.

Devoluti jus extenditur pariter ad beneficia nominationi patronorum ſubjecta. Quoties namque patronus Eccleſiaſticus, aut Collegium Eccleſiaſticum, cui jus ad aliquam præbendam nominandi, ſeu præſentandi competit, neglexerit idoneum Clericum præſentare collatori poſt ſemeſtre computandum à die notitiæ vacationis jus illud ſuum amittit, idque ad collatorem transfertur; qui poteſt pro libito conferre cuivis non incapaci. Idem obtingit poſt quadrimeſtre laico patrono, quo elapſo tempore, jure illo ſuo excidit, quod in collatorem ordinarium devolvitur. Id tempus patronis præfigitur in *c. unico de jure patron. in 6.* Verumtamen laicus patronus cui minus temporis indulgetur, variare ſemel poteſt, atque à prima nominatione in alterius idoneæ perſonæ favorem reſilire nondum finito quadrimeſtri; patronus autem Eccleſiaſticus non poteſt, niſi ſemel intra ſuum illud ſemeſtre nominare *c. cùm autem de jure patron.*

Canon 15. Decernit bona ex beneficio acquiſita non

poſſe

poſſe à Clericis in alios, quam in Eccleſiam transferri. Qui canon quantumvis malè ſervetur eſt perpetuæ, ac indiſpenſabilis obligationis. Sub Eccleſiæ nomine pauperes quoque hìc comprehenduntur. Require ſuperiùs Concilii Agathenſis canon. 48. cum iis quæ nibi congeſſimus.

Can. 16. Edicit, ut prævaleat quod fuerit à majori, & ſaniori parte capituli conſtitutum. Habetur *c.* 1. *de his quæ fiunt à capituli majo. par.* Et confirmatur per canonem 1. hujus ipſius Concilii.

Can. 18. Mandat in cunctis Cathedralibus Eccleſiis præbendam erigi præceptorialem, ut ea proviſus gratis doceat tùm ejuſdem Eccleſiæ Clericos, tùm quosvis pauperes Scholaſticos.

Canon. 19. Interdicit ſub anathemate poteſtatibus ſæculi onera ſuper Eccleſias vel Clericos imponere, aut Epiſcoporum juriſdictionem quacumque ratione minuere, ſibive uſurpare. Permittit nihilominus Epiſcopis, & Clero ſubſidia quædam communitatibus conferre, dummodo duæ interveniant conditiones: Primò neceſſitas communis: ſecundò ne ulla ſit coactionis ſpecies, *c. non minus*, *de immunit. Eccleſ.* de exemptione Clericorum à laicis judiciis, vide Agathenſem can. 8. & Cabilonenſem 11.

Can. 27. Anathemate ferit Catharos, & Patarenos hæreticos, qui in Vaſconia, Albegeſio, & Toloſatum partibus invaluerant, eorumque fautores, & receptatores. Excitat & cohortatur fideles, ad ſacrum adversùs illos bellum: Et id præſtantibus theſauros aperuit indulgentiarum. Ab iſtis fuerat Manichæorum hæreſis ab inferis ſuſcitata. Profitebantur enim duos eſſe Deos alterum bonum, qui ſola inviſibilia condidiſſet, malum alterum à quo cœli, & terra, & humanum genus, cœteraque viſibilia condita ſint. Omnes etiam veteris teſtamenti libros averſabantur ſolis exceptis teſtimoniis, quæ novi teſtamenti authoritate firmantur. Alia

pleraque fœda, delira, & blaſphema prædicabant, quæ recitantur à Rogerio illius ætatis ſcriptore in annalibus Anglicanis.

CONCIL. GENERALE XX. Lateranenſe IV. ſub Pontifice Innocentio III.

DUæ ſimul exortæ fuerunt atrociſſimæ in Oriente peſtes ſub Heraclii Imperio, hæreſis Monothelitarum, & Mahumetica perfidia. Mahumetes qui ex ſervili ſtatu, & camelorum cuſtodia ſuæ tandem ſuperſtitionis favore, Arabum princeps evaſerat, ſuam protinus ferro, & flammis exitialem ſectam ſtuduit propagare. Igitur cum Saracenis ſuis non à Sara Abrahami uxore, ut quidam commenti ſunt, ſed à Saraca Metropoli Arabiæ denominatis, horrendam vaſtitatem per vicinas regiones Ægyptum, Palæſtinam, totamque Cyriam circumtulit. Adeò ut ſub ipſius Heraclii Imperio haſce provincias Saraceni Mahumete Duce longè latèque occupaverint: qui iiſdem mox in Perſidem eruperunt, quam etiam Hormiſda Rege profligato ſubjugarunt ann. Chr. 140. Inſequenti porrò anno Heraclius vivere deſiit.

Igitur pluribus ſæculis Saraceni nemine obſiſtente ſacra Judææ loca, quam vulgus Palæſtinam dicit, occupaverunt ad annum uſque 1099. quo Godofredus Bullonius ſacri belli dux Hieroſolymam expugnavit, idemque ſociorum ſuffragiis primus Hieroſolymorum Rex eſt proclamatus.

Ad hanc verò ſuſcitandam expeditionem Urbanus II. Pontifex oratione commotus Petri Eremitæ Galli,

qui

qui urgendi illius cauſa ex Judæa à ſe luſtrata in Occiduas terrarum partes conceſſerat, Conc. generale ad Clarummontem Alvernorum oppidum convocaverat, anno ſupra 1095. quo veluti claſſico exciti Latini ſumptis armis in Aſiam tranſmiſerunt trajecto Boſphoro, & Alexium Comnenum Conſtantinopolis Imperatorem ſibi obſiſtentem, horribili edita Græcorum ſtrage repulerunt, Nicæamque primùm in Bithynia, deinde Antiochiam in Syria, potentiſſimas civitates expugnarunt, ipſamque demùm Hieroſolymam obſidione ceperunt.

Anno poſtmodum 1147. ſub Eugenio Papa III. exhortatore S. Bernardo Claravallenſi Abbate ſacram alteram in Orientem expeditionem adorti ſunt Conradus III. Germanorum Imperator, & Ludovicus VII. dictus Junior Francorum Rex, poſtquam Saraceni Edeſſam Orientis urbem armis occuparunt. Sed florentiſſimi Latinorum exercitus in orientem progreſſi maxima ex parte perierunt Manuelis Comneni Græcorum Imperatoris execranda perfidia.

Contigit demùm ipſam Hieroſolymam à Saladino Babylonis Ægypti Sultano, id eſt Rege, & Calipha id eſt Pontifice occupari anno ſupra milleſimum centeſimo octogeſimo ſeptimo: qua occaſione Fridericus Ænobarbus Germaniæ Imperator, ut Eccleſiæ à ſe illata damna compenſaret, cum validiſſima Latinorum manu ſacro ſe bello accinxit. Hic multis tùm in Thracia, tùm in Aſia adversùs ſibi obſiſtentem Conſtantinopolis Imperatorem Iſacium Angelum, & Saracenorum in Aſia minori regulos fortiſſimè geſtis, occupataque (ut memorat Pius Papa II. in deſcript. Aſiæ cap. 44.) minori Armenia, amnem perſpicuum corporis abluendi cauſa ingreſſus, gurgite abſorptus diſparuit, & inanes eſſe, vanosque hominum conatus oſtendit, quando res ab eo maximè ſperabantur.

Nec

Nec tantùm Fridericus, ſed etiam Philippus Franciæ, & Ricardus Angliæ Reges laudabilem contra Saladinum expeditionem ſuſceperunt, ſed (ita diſponente Deo cujus judicia abyſſus multa) parum fructuoſam. Ricardus quidem Anglus Cypri littoribus appulſus ab Iſacio Comneno Græco, qui hanc inſulam Græcorum Imperio avulſam per tyrannidem uſurpaverat, bello eripuit, & Guidoni Luſiniano Gallicæ originis permiſit, poſtquam hic omni jure regni Jeroſolymitani ſibi debiti ceſſit, & in ipſum Ricardum tranſtulit.

Id verò obſervandum eſt, Jeroſolymitanum regnum, cujus auſpicia Pontifex Urbanus II. in ſacris Claromontis comitiis dederat, primuſque occuparat Godofredus Bullonius, poſt annos demum octoginta, & octo miſerabili caſu ad Mahumetanorum rediiſſe poteſtatem Urbano III. Pontifice, quum ultimus Chriſtianorum Regum Guido Luſinianus à Saladino victus illo regno excidit. Poſtquam Innocentius Tertius Pontifex doctrinæ, virtutumque ſplendore ſpectabilis univerſæ Eccleſiæ gubernaculis admotus eſt, animum ad terræ ſanctæ recuperationem adjecit: cui acres ſtimulos admovit memorabilis victoria, qua Latini ſacro bello fæderati Conſtantinopoli potiti ſunt, creaveruntq; Græciæ Imperatorem Balduinum Flandriæ comitem ſub ipſius Innocentii Pontificatu; quo tam felici ſucceſſu amplius accenſus, generale Concilium ad propagandam in ulteriora Orientis Religionem indixit.

Itaque ut ſcribit ætatis illius hiſtoricus Abbas Uſpergenſis celebrata eſt anno milleſimo ducenteſimo decimo quinto ſancta univerſalis Synodus Romæ in Eccleſia Conſtantiniana dicta Salvatoris menſe Novembri, præſidente Innocentio Papa III. Pontificatus anno decimo octavo, in qua fuerunt Epiſcopi quadringenti & duodecim, & in his Patriarchæ Conſtantinopolitanus, & Jeroſolymitanus. At verò Alexandrinus,

& An-

& Antiochenus cùm per ſe intereſſe non poſſent, hic quia gravi morbo decumbebat, ille quia in Caliphæ ditione ſuam habebat ſedem, ſuos ad Concilium apocriſarios miſerunt. Interfuerunt pariter Imperatorum Orientis, & Occidentis Legati multorumque Regum, & principum.

Inſignis hac in Synodo effulget ſapientia, & pia ſollicitudo Innocentii, adeò exactè providentis circa res tùm fidei, tùm ordinis, & diſciplinæ Eccleſiaſticæ omniaque capitulis ſeptuaginta breviter ſimul, & accuratè complectentis. Quibus demum ſubjicitur decretum pro ſacra in Palæſtinam profectione, de pace inter Chriſtianos componenda, aut ſaltem quadriennii firmandis induciis, deque ſubſidiis ad hoc bellum comparandis.

Cap. 1. Fides Catholica declaratur his verbis: *Deus ſua omnipotenti virtute ſimul ab initio temporis utramque condidit creaturam ſpiritualem, & corpoream.* Conſule ſuperiùs annotata ad Nicænæ poſterioris Synodi actionem 5.

Cap. 2. Errorem damnat Abbatis Joachim, qui edito adverſus Petrum Longobardum magiſtrum ſententiarum libro, illum dicit inſanum, & hæreticum, eo quòd in libris ſententiarum ſcribat, quòd ſumma quædam res eſt Pater, Filius & Spiritus ſanctus, quæ non eſt generans, nec genita, nec procedens.

Qua ex propoſitione Joachinus Petro Longobardo affigit aſſerſionem non Trinitatis, ſed quaternitatis nimirum trium ſingularum perſonarum, & inſuper communis eſſentiæ, ut quartæ rei. Ipſe verò Joachim aſtruebat in Trinitate unitatem, non illam quidem propriam, & eſſentialem, ſed collectitiam, & ſimilitudinariam, ſicut multi homines dicuntur unus populus, idque probabat loco perversè intellecto Joan. 17. volo Pater, ut ipſi in nobis unum ſint, ſicut & nos unum ſumus. Concilium autem rem his verbis definit: *Nos autem credimus, & confitemur cum Petro, quòd una quædam ſumma res*

eſt,

eſt, & incomprehenſibilis quidem, & ineffabilis, quæ veraciter eſt Pater, Filius, & Spiritus ſanctus, tres ſimul perſonæ, & ſigillatim quælibet earumdem. Et ideò Trinitas ſolùm eſt in Deo non quaternitas: quia quælibet illarum perſonarum eſt illa res, videlicet ſubſtantia, natura ſeu eſſentia divina, quæ ſola eſt univerſorum principium præter quod aliud inveniri non poteſt. Et illa res non eſt generans, neque genita, neque procedens: ſed eſt Pater qui generat, Filius qui generatur, & Spiritus qui procedit: ut diſtinctiones ſint in perſonis, & unitas in natura. Licet igitur alius ſit Pater, alius Filius, aliùs Spiritus ſanctus, non tamen aliud: Sed id quod eſt Pater, eſt Filius, & Spiritus ſanctus, idem omninò, ut ſecundùm Catholicam, & Orthodoxam fidem conſubſtantiales eſſe credantur. Pater enim ab æterno Filium generando ſuam ſubſtantiam ei dedit juxta quod ipſe teſtatur: Pater, quòd mihi dedit majus omnibus eſt. Ac dici non poteſt quod partem ſuæ ſubſtantiæ ei dederit, & partem retinuerit ipſe ſibi, cùm ſubſtantia Patris indiviſibilis ſit utpotè ſimplex omninò. Nec dici poteſt, quòd Pater ſuam tranſtulerit ſubſtantiam in Filium generando; quaſi ſic dederit Filio ut non retinuerit ipſam ſibi, alioqui deſiiſſet eſſe ſubſtantia. Pater ergo quod ſine ulla diminutione, Filius naſcendo Patris ſubſtantiam accepit: Et ita Pater, & Filius eamdem ſubſtantiam habent: & ſic eadem res eſt Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus ab utroque procedens. Quùm ergo veritas pro fidelibus ſuis orat, voto inquiens ut ipſi unum ſint in nobis ſicut nos unum ſumus, hoc nomen unus pro fidelibus quidem accipitur, ut intelligatur unio charitatis in gratia: pro perſonis verò divinis ut attendatur identitas, atque in natura unitas. Quemadmodum veritas alibi dicit: eſtote perfecti ſicut Pater veſter cæleſtis perfectus eſt: ac ſi dicat manifeſtè eſtote perfecti perfectione gratiæ, ſicut Pater veſter cœleſtis perfectus eſt perfectione naturæ: utraque videlicet ſuo modo: quia inter Creatorem, & creaturam non poteſt tanta ſimilitudo notari, quin major ſit inter eos diſſimilitudo notanda. Hæc ad ſingula verba

in-

inſerta habentur *cap.* 1. *&* 2. *de ſumma Trinitate*.

Canon. 5. Commemorat ſedium Patriarchalium privilegia, ſtatuitque Conſtantinopolis ſedem eſſe primam à Romana, deinde Alexandrinam, tum Antiochenam, poſtremò Jeroſolymitanam: ut poſtquam hi Patriarchæ pallium à Romano Pontifice acceperint, liceat eis obedientiæ ſuæ ſubditis Epiſcopis pallium concedere, recipiendo ab eis viciſſim fidei Catholicæ profeſſionem, & pro Eccleſia Romana ſponſionem unionis, & obedientiæ, Concedit etiam ut Dominicæ crucis vexillum ante ſe deferri faciant ubique locorum extra Romanam urbem, aut ubicumque Romanus Epiſcopus præſens fuerit, aut ejus Legatus utens inſignibus Apoſtolicæ dignitatis. Approbat præterea ut ad ipſos ex ſuffraganeis provinciis appellari poſſit, ſalvis tamen appellationibus ab ipſis ad Apoſtolicam ſedem.

Summi Pontifices ante hac reſtiterant Epiſcoporum Conſtantinopolis ambitioni, qui contra Nicænæ Synodi decretum affectabant, ſedis ſuæ prærogativam ſupra omnes Orientis Patriarchas. Damaſus enim, & Leo Romani Pontifices Synodorum ſecundæ, & quartæ furtivos Canones rejecerunt, per quos hæc illis aſſerebatur præeminentia, Nicolaus verò primus in reſponſis ad Bulgaros cap. 93. *Porrò* ait *quis Patriarcharum ſecundus ſit à Romano conſulitis, ſed juxta quod Romana ſancta tenet Eccleſia, & Nicæni Canones innuunt, & ſancti Præſules Romanorum defendunt, Alexandrinus Patriarcharum à Romano Papa ſecundus eſt.* Idemque Nicolaus ad alias admittit primarias ſedes quàm quas conſtituit Petrus Apoſtolus, ſive per diſcipulum ſuum Marcum nimirum Alexandrinam, ſive per ſeipſum nimirum Antiochenam, & Romanam, epiſtol. eadem ad conſult. Bulg. cap. 92.

At vero Innocentius Tertius huic Laterano Concilio præſidens jus ſecundæ ſedis Conſtantinopolis Epiſcopo in-

indulſit multis rationibus adductus: ſcilicet ut Græcos hactenus nutantes in Eccleſiæ Romanæ ſubjectione, & unione devinciret, ac demereretur. Tùm quia à pluribus ſæculis reliqui Orientis Patriarchæ Conſtantinopolitano ſponte ceſſerant. Tùm quia in Oecumenica Synodo Chalcedonenſi habita poſt Apoſtolicos legatos Anatolius Conſtantinopolis Epiſcopus, ejuſque in omnibus ſubſequutis Orientis Conciliis ſucceſſores jure iſto προεδρίας, ac πρωτοκαθεδρίας ſupra Patriarchas reliquos potiti abſque controverſia fuerant.

Quod attinet ad Jeroſolimitanam Eccleſiam origine quidem omnium Eccleſiarum matrem, ſed non dignitate, & quam Nicæna 1. Synodus Cæſarienſi Metropolitæ ſubditam declaraverat, cœpit illa pleno jure dignitatis patriarchalis potiri jam inde à Concilio Chalcedonenſi, quod actione 8. Jeroſolymitanæ Eccleſiæ univerſam Palæſtinam in tres diſtributam Provincias ſubjecit. Interceſſit quidem Magnus Papa Leo ne id executioni mandaretur ep. 62. ad Maximum Antiochenum. Veruntamen idem Juvenalis Jeroſolymæ Epiſcopus, qui in Chalcedonenſibus comitiis ſederat, convocavit poſtmodum Palæſtinæ totius Synodum in qua ipſe primo ſubſcripſit loco. Deinde Iræneus Cæſarææ Palæſtinæ Epiſcopus, cùm tamen in Provincialibus Palæſtinæ Synodis anterioribus præſideret, primusque ſubſcriberet Cæſarienſis, ut liquet ex Dioſpolitana Synodo; cui ſecundus à Metropolita Cæſarienſi ſubſcripſit Joannes Jeroſolymitanus. Et in altera Synodo antiquiore adversùs quartodecumanos habita Cæſarææ præſedit Theophilus Cæſarienſis, eique aſſedit Narciſſus Jeroſolimitanus, utque addiſcimus ex Euſebio *l. 5. hiſt. Eccl. cap.* 15. Synodus demum 5. Oecumenica, eadem jura Patriarchalia Jeroſolymorum Eccleſiæ confirmavit.

Canon. 2. Decretum inſtaurat Lateranenſis ſub Alexandro Tertio Concilii in can. 18. circa præceptoria-

lem præbendam in ſingulis cathedralibus erigendam. Extendit ad alias quoque Eccleſias, quæ poſſunt præbendam eamdem præſtare: additque præceptorem eſſe ab Epiſcopo unà cum capitulo eligendum. Adjungit eſſe pariter in ſingulis Metropolitanis ſimili modo eligendum Theologum, qui Sacerdotes alioſque Clericos in ſacris ſcripturis docendo inſtituat, & in his præſertim efformet, quæ ad curam pertinent animarum, cui congrua præbenda aſſignetur, non tamen ut fiat canonicus: ſed tamdiù redditus accipiat, quamdiù in docendo perſeveraverit. Vide *c.* 1. & *c. quia nonnullis, de Magiſtris*. Deinde Conc. Trid. hæc omnia inſtaurat, & amplificat *ſeſſ.* 5. *de refor. c.* 1. ubi etiam declarat præbendæ Theologalis collationem eſſe prorsùs nullam & irritam, quæ facta fuerit ei qui per ſeipſum iſtud officium exequi non valeat, & proviſos eſſe compellendos ad exercitium muneris ſui per redditũum ſubtractionem. Vide idem Conc. *ſeſſ.* 23. *de refor. c.* 18. Iſtis haud abſimilia ſunt Gallicana edicta in comitiis Aurelianenſibus edita ſub Carolo Rege IX. & in Bleſenſibus ſub Henrico Tertio art. 33.

Can. 12. Providet Monaſteriorum reformationi, per Provincialia capitula ſingulis trienniis convocanda, & per ſedulas, & frequentes viſitationes.

Can. 13. Providet, ne novæ inducantur Cænobitarum religiones.

Can. 14. Incontinentiam reprimit Clericorum.

Can. 15. Clericorum crapulam coercet: Clericum inebrietatem lapſum antiquiora concilia Agathenſe can. 41. & Veneticum in Gallia can. 13. puniunt vel excommunicationis, vel flagellationis pœna.

Can. 16. Præſcribit Clericorum modeſtiam: prohibet eis ſæculares negotiationes, aleæ quoque, & taxillornm luſus, quin etiam his intereſſe vetat. Annulum ab his geſtari prohibet qui non ſunt Epiſcopi. Ordinat tonſuram, & veſtes, aliaque exteriora omnia componit

ad

ad modeſtiam. Hoc etiam decernit ut Pontifices in Eccleſia, & in publico ſuperindumentis omnes lineis utantur, niſi Monachi fuerint, quos deferre oportet, habitum monachalem. Hæc leguntur eadem *in c. Clerici officia de vita, & boneſtat. Cler.* Hoc idem de retinendo ab Epiſcopis olim profeſſis Monachis habitu Monachali, ac regulari jamdudum ſanxerat Synodus Oecumenica octava canon 14.

Can. 17. *Diſtrictè* (ait) *præcipimus in virtute obedientiæ, ut divinum officium nocturnum pariter, & diurnum, quantum eis dederit Deus ſtudioſè celebrent pariter, & devotè*. Loquitur de Clericis & Monachis quicumque aſtricti ſunt officio divino legitur in *c. dolentes de celebrat. Miſſ.* ubi inſignis eſt gloſſa exponens vocem ſtudioſè quantum ad officium oris ſine ſyncopa: devotè autem quantum ad officium cordis; dicente Apoſtolo, *orabo Spiritu* (id eſt reſpiratione, & lingua) *orabo, & mente* (id eſt devota mentis attentione) *pſallam ſpiritu, pſallam & mente*.

Can. 21. De facienda proprio Sacerdoti confeſſione decernit ſaltem ſemel in anno: & de communicando divinæ Euchariſtiæ ſaltem in Paſcha, niſi Sacerdos ipſe ex rationabili cauſa differendum in aliud tempus judicaverit. Qui ſecus fecerit ab ingreſſu Eccleſiæ vivens arceatur, & mortuus Eccleſiaſtica ſepultura privatur. Diſtrictè præcipit ſervari confeſſionis ſigillum, ac ſecretum. Allegatur in *c. omnis utriuſque ſexus de pænit. & remiſſ.* Olim ex decreto Fabiani Papæ, & ſub Decio Martyris citato in *c. & ſi non frequentius de conſecr. diſt.* 2. Deinde ex Concilii Agathenſis cap. 18. Chriſti, fideles non aliter impediti, aſtringebantur Euchariſtiam ter in anno ſumere in Nativitate Chriſti, in Reſurrectione, & die Pentecoſtes.

Can. 22. Sancit ut medici ad ægrotos vocati ſub pœna interdicti ab Eccleſiæ ingreſſu, teneantur eos admonere ut in primis medicos advocent animarum, ſic enim ſaluti ſimul animæ, & corporis conſultum iri ?

fir-

quatenus citra generalem Canonis obligationem, infirmi formidine mortis perculſi, graviùs de vita periclitantur quum de confeſſione facienda monentur, exiſtimantes (niſi canon juberet indifferenter, etſi forſan non interveniat vitæ periculum) deſperatum eſſe de vita. Prohibetur inſuper cum anathematis interminatione ne quis medicus ægro pro corporis ſalute quidquam ſuadeat quod vertat in animæ perniciem, Deiq; offenſam. Habetur in *c. cùm infirmitas, de pœnit. & remiſſ.*

Canon 24. De elect. ordinat ut uno ex his tribus modis, vel ſcrutinio, vel compromiſſo, vel comuni inſpiratione ille demum ſit electus, in quem major, & ſanior capituli pars conſenſerit, Legitur in *c. quia propter, de elect.* Qua verò parte capitis hujus conſtituitur à Concil. ut aſſumantur de Collegio tres fide digni, qui ſingillatim, & ſecreta vota electorum colligant, & ſcribant, id abrogatum fuit demum à Conc. Trid. *ſeſſ.* 25. *c.* 7. *in fine de regular.* jubente fieri electionem per vota ſecreta, ita ut nullatenùs in cujuſquam notitiam veniant eligentium nomina, & ut aliter facta electio ſit irrita.

His idem Lateranenſis Canon. 24. duas requirit conditiones, ut aliquis abſens poſſit per procuratorem eligere. Primum ut ſit legitimè impeditus ne poſſit intereſſe. Deinde ut is cui ſuffragium committet, ſit de ipſo eligentium Collegio.

Electionis verò per compromiſſum legitur exemplum, & deciſio in *c. cauſam, de electiou.* ubi ſtatuitur teneri Moniales accipere in Abbatiſſam (modò idonea exiſtat) eam quam providit Epiſcopus, poſtquam illæ Abbatiſſæ electionem in Epiſcopum ipſum contulerant, ac compromiſerant.

Electionum libertas ita neceſſaria eſt, ut ubi iſta coarctatur eo ipſo nulla ſit electio. Ideòque Cœleſtinus Tertius *cap. cum terra de electio.* damnat, & inanem declarat electionem, quæ fit quando Patriarcha, vel Epiſcopus, vel Princeps, duas treſve perſonas

eligendas nominavit, ne liberum ſit aliam eligere, quæ non ſit ex nominatis. Gregorius X. in Concilio decimo generali Lugdunenſi *c. ubi periculum §. cæterum, de electio. in 6. Quum* (inquit) *arbitrium, vel inordinatus captivas affectus, vel ad certum aliquem obligationis cujuſcumque neceſſitate adigit, ceſſet electio dum libertas admittitur eligendi.*

Præfato juri communi conformantur Conſtitutiones ordinis Prædicatorum *diſt. 2. c. 2.* §. 4. prohibentes in electionibus proponi certas perſonas à ſuperioribus & ſtatuentes teneri ſuperiorem approbare factam electionem alterius perſonæ dum ſit idonea, quam ex iis quas nominaverit. Et Rodericus Doctor Franciſcanus in *qu. Regular. art.* 10. & 11. profert Bullam Pii V. anni 1571. decernentem, ut ſi Prælatus, aut commiſſarius qui præeſt electioni, convictus fuerit quomodolibet impediviſſe libertatem eligentium removeatur ab officio. Idem Rodericus refert ſe vidiſſe tres electiones diverſas declaratas invalidas, eo quod is qui præerat, reſtrinxiſſet eas ad duas, aut tres perſonas. *Martin.* Navar. *lib. 1. conſ. 5.* & in Manual. *c. 22. n. 5.* docet ex metu reverentiali erga perſonam, quæ in vocales polleat authoritate, non minus irritam fieri electionem, quàm matrimonium. Nec valet ulla conſuetudo per quam remanente electione tollitur, aut reſtringitur eligendi libertas, ut docent ad *d. c. cum terra de electio.* Joan. Andreæ, & Proſper Fagnanus. Committitur enim gravis injuſtitia quando ſine juſta cauſa, & legitimo proceſſu excluditur, vel una perſona (& multo gravior ſi plures) à jure electionis quod ei competit ſive activæ, ſive paſſivæ.

Quomodo verò Prælatus procedere debeat in electione Abbatiſſæ inter Moniales, conſulito Conc. Trid. *ſeſſ.* 25. *c.* 5. *in fine de regular.*

Cap. Lateran. 25. ſtatuit eligentes per poteſtatis ſæcularis abuſum ab officiis, & beneficiis triennio ſuſpendi,

di, atq; privari eligendi poteſtate. Electum autem ſi tali elect. conſentiat fieri deinceps ineligibilem, & factæ electionis commodo privari, habetur in *c. quiſquis de elect.*

Can. 26. Decernit, ut facta electione is ad quem pertinet electum confirmare, diligenter examinet electionis proceſſum, & perſonam electi: qui ſi reperiatur indignus, eum admitti, & confirmari prohibet, legitur in *c. nihil de elect.*

Can. 29. Diſtrictè prohibet, plures ab uno Clerico præbendas curatas, vel perſonatus, vel alia beneficia etiam curæ animarum nullatenus annexa in una, eademque Eccleſia poſſideri. Et ſi ſecus fiat, hoc ipſo ſtatim ab obtento beneficio ſecundo, primum ipſo jure vacent: quod ſi proviſus utrumque retinere contenderit, utroq; privetur. Is verò ad quem jus conferendi ſpectat, ſi intra ſex menſes providere neglexerit, tenebitur tantumdem reſarcire in utilitatem vacantis Eccleſiæ, quantum eo tempore vacationis Eccleſiæ fuerit de illius fructibus, atq; emolumentis perceptum: collatio autem vacantis beneficii devolvitur ad ſuperiorem. Reſervat tamen ad Apoſtolicam ſedem jus diſpenſandi ad plura tenenda beneficia, circa ſublimes, aut litteratas perſonas. Habetur hoc totum in *c. de multa, de præbend.* His ſimilia ſtatuuntur à Joanne XXII. in *extravag. execrabilis. eod. tit.* Et in Conc. Trid. *ſeſſ. 7. c. 2. & ſeſſ. 24. c. 17.* præclarè obſervat gloſſa in *d. c. de multa in verb. contenderit*, quod ante Innocentii tertii hanc receptam conſtitutionem, ut adepto ſecundo incompatibili beneficio, ſtatim vacet primùm, antiquiora jura dediſſe optionem iſto caſu ei qui ſic punitus fuiſſet, ut adeptus duo incompatibilia eorum alterum, quod mallet, eligeret, alio ſive priore, ſive poſteriore dimiſſo: ſic enim ſtatuunt duo Canones Alexandri tertii *c. referente, & cap. præterea, de præbendis.* Iſtis adjungito quæ ſuperiùs annotavi ad Can. 15. Nicænæ Synodi ſecundæ.

Can. 31. Prohibet ne filii Canonicorum inſtituan-

ſur in iiſdem Eccleſiis, in quibus patres eorum inſtituti fuerint. Habetur in *c. ad abolendum, de fil. Presb.* Jam anteà ſanxerat Alexand.III.non debere filium in eadem Eccleſia, aut præbenda miniſtrare, quia patet tenuiſſet. *c. præſentium, & c. conquerente eod. tit.* Sed ſi quis alius poſt patrem habuerit beneficium, poterit deinde filius, ſi nihil aliud obſiſtat, etiam admitti *c. ex tranſmiſſa eod. tit.*

Can. 32. Perverſam reprobat conſuetudinem qua patroni, aut rectores Eccleſiarum Presbyteris parochianis adeò tenues redditus attribuunt, ut inde ſufficienter nequeant ſuſtentari: quo fit ut vix aliquis reperiatur Parochialis Sacerdos ſufficienter litteratus. Statuit itaq; ut abolita mala conſuetudine, ſufficiens ad honeſtè vivendum portio aſſignetur Presbyteris, Habetur in *c. extirpandæ, de præb.* Eandem ob cauſam Synodus Trid. ſancit *ſeſſ.* 25. *c.* 16. beneficia quoq; abſtracta olim ab animarum cura per aſſignationem vicariæ perpetuæ, cui cura incumbat animarum, redintegrari denuò fierique ex ſimplicibus parochialia, ſicut à primordio fuerant.

Canon. 36. Declarat poſſe judicem ſaltem Eccleſiaſticum ſuam revocare ſententiam interlocutoriam, aut comminatoriam, etiam poſteaquam ab ea fuit appellatum. Legitur in *c. cum ceſſante de appell.* Huc pertinere poteſt quod ſcribit Bernardus ad Innocentium II. Papam epiſtol. 180. *Hoc* (inquit) *ſolet habere præcipuum Apoſtolica ſedes, ut non pigeat revocare, quod à ſe fortè deprehendit fraude elicitum: non veritate promeritum.* Secularia verò judicia ſemel facta non corriguntur, niſi à ſuperiore tribunali. *l. judex poſteaquam ff. de re judicata.*

Canon 37. Edicit non poſſe quemquam per litteras Apoſtolicas trahi ultra duas diætas extra diœceſim ad aliquod judicium. Continetur in *cap. nonnulli de reſcript.* Et confirmatur ab Honorio tertio *cap. olim de exception.* Sed poſthæc Bonifacius octavus reduxit ad unicam ultra Diœceſis fines diætam *c. ſtatutum §. cùm verò de reſcript. in 6.*

Can.

Can. Lateran. 41. ſic dicit; *Quoniam omne quod non eſt ex fide peccatum eſt, Synodali judicio definimus, ut nulla valeat abſque bona fide præſcriptio, tàm Canonica, quam civilis: cum ſit generaliter omni conſtitutioni, & conſuetudini derogandum, quæ abſque mortali non poteſt ſervari peccato. Unde oportet ut qui præſcribit in nulla temporis parte rei alienæ conſcientiam habeat*. Continetur *in c. fin. de præſcript.*

Can. 50. Revocat prohibitiones matrimoniorum, quæ antea protendebantur uſque ad ſeptimum conſanguinitatis, & affinitatis gradum, eaſque reducit deinceps ad quartum gradum. Habetur *in c. non debet de conſanguin. & affin.* Conc. Trid. his alteram addit reductionem *ſeſſ. 24. c. 3. de refor. matrim.* ſcilicet impedimenti publicæ honeſtatis ad ſecundum gradum; Et impedimenti affinitatis conſurgentis ex fornicatione, ac omni copula illicita ne primum excedat gradum.

Can. 53. *Et decimæ ante omnia tributa deducantur, & ſolvantur*. Habetur *c. cùm non ſit, de decimis*.

Can. 63. Abuſum illum quantumvis longi temporis diuturnitate roboratum, ut pro conſecrationibus Epiſcoporum, benedictionibus Abbatum, & ordinationibus Clericorum, aliquid taxetur, vel exigatur, declarat ſimoniacum, & damnabilem, atque ulterius fieri vetat. Legitur *in c. ſicut pro certo, de ſimon.* Multa de ſimonia Ordinis congeſta, require ſuperius ad Cabilonenſis Concilii ca. 16.

Canon. 64. In tantum dicit invaluiſſe intra Monaſteria ſimoniacam labem, ut prætextu paupertatis vix ulla in monialem reciperetur niſi per ſimoniam. Id verò reprobat, & fieri diſtrictè interdicit, atque ad ſtrictiorem pœnitentiam omnibus vitæ diebus compellit, Moniales, quæ ſic admiſſæ ſunt, aut alias admiſerunt. Legitur *in cap. quoniam de ſimon.* Cæterum conſenſus nunc eſt Theologorum, & Canoniſtarum communis, & uſu toto Chriſtiano orbe recepto confirmatur nullam intercedere ſimoniam, ſi quando Mo-

natterii opes non ſufficiunt ad novi Religioſi alimenta, paciſcitur Monaſterium de contribuenda pecunia; ut inde alatur qui ad Monaſterium admitti poſtulat. Duo namque ab invicem planè diſtantia ſunt; Religio ipſa, & onus ſuppeditandi victum, cæteraque vitæ corporalis ſubſidia, iſtud enim merè temporale eſt, illud ſpirituale. Nihil poteſt titulo admiſſionis in Religionem exigi temporale, ſed poteſt exigi pro alimonia, quæ eſt alterius ordinis, atque temporalis. Qua etiam ratione quamvis matrimonium inter fideles ſit Sacramentum, fiunt tamen conventiones dotales in matrimonio, non propter Sacramentum quod fieret ſimoniacè, verùm ad ſuſtentanda matrimonii onera merè temporalia. Videri poteſt Sylveſter *verb. ſimonia qu.* 15. ut ſileam ſequentium, & huic conformium ſcriptorum numeroſiſſimum exercitum. Denique concluditur ſacra Synodus decreto ſacræ militiæ ad Jeroſolymitani Regni recuperationem.

CONC. GENERALE XIII. Lugdunenſe primum ſub Innocentio IV.

FRiderici Ænobarbi nepos, & Henrici IV. Imperatoris filius Fridericus II. ampliſſimis ab Apoſtolica ſede beneficiis affectus, quem à tenera ætate parentibus orbatum, & civilibus bellis divexatum, tanta charitate in ſuam tutelam ſuſceperat Innocentius III. ut ipſius opera non modò eluſi fuerint illorum conatus, qui tùm occultis conſpirationibus, tùm aperta vi materno illum Regno Apuliæ, Siciliæque ſpoliare nitebantur, ſed ei aditum etiam ad Imperium munierit depulſo in ejus gratiam Othone, qui quartus ejus nomi-

minis fuerat deſignatus Imperator. Ingratus porrò Fridericus non tantùm his beneficiis gratiam nullam retulit, ſed arma etiam quæ ex voto ad ſacra Palæſtinæ loca impendere tenebatur in Romanos Pontifices convertit. Graves in primis cum Innocentii III ſucceſſore Honorio III. ſimultates geſſit, quas poſtmodum adversùs Gregorium IX. proſequutus eſt, donec monente iſto atque urgente, copias in Syriam eduxit: ubi nullo commiſſo prælio Jeroſolymam à Saracenorum Calipha recepit dicis tantum cauſa, & ſpecie tenus, inita cum illo turpi pactione.

Hinc regreſſus in Occidentem complures Romanæ Eccleſiæ terras, qua proditionibus, qua Marte aperto invadit, præſidiiſque munit, adeò ut magna Piceni, & Latii parte occupata Romam ipſam obſidione cinxerit, & quotquot Romanorum in ejus cecidere poteſtatem, vel gladio, vel laqueo intereinerit. Laceravit verò univerſam in duas factiones Italiam Gibellinorum, quos ſuis partibus addixit, & Guelforum qui partes Pontificis tuebantur; unde innumeræ ubique cædes, direptiones, captivitates, incendia, omneſque hoſtiles, & barbaricæ immanitates graſſabantur.

His aliæ diriſſimæ in aliis Chriſtianorum Provinciis ſtrages, & calamitates accedebant Saracenorum armis Orientem ſimul, & Occidentem infeſtantibus. Imminebant extremæ Conſtantinopolitano Imperio clades, cujus tunc Latini vix reliquias tuebantur, conſpirantibus in eos Græcis, finitimiſque barbaris, nulla humani ſubſidii ſpe affulgente, propter bella quibus Occidentem Fridericus diſtinebat. Alter malorum cumulus iiſdem temporibus Chriſtianæ Reipublicæ funeſtus incubuit.

Gens enim Tartarorum direpta primùm utraque Armenia, deinde vaſtatis quæ inter maria Euxinum, & Caſpium interjacent Provinciis Georgianorum, & Mengrelinorum veterem Iberiam, & Cholcon inco-

lentium, univerſam Moſcoviam, Poloniam, Tranſilvaniam, Hungariam, Bohemiam cædibus, & incendiis populata eſt Battone duce circa ann. 1241.

Augebat præterea optimi Pontif. animum collapſa Eccleſiæ diſciplina, morumque perverſitas, in graviora quotidie vitia dilabentium, ſive Clerum, ſive reliquum populum inſpiceres cui malo cauſam dederunt diutina bella, factiones, & ſchiſmata renaſcentia. Cura iſta Pontificem ſollicitabat ut Eccleſia tranquillitatem, & priſtinum qui propemodum obſoluerat dignitatis ſplendorem recuperaret. His de cauſis Gregorius IX. Concilium generale Romæ indixerat. Eò cùm plurimi ex Galliis, & Hiſpaniis antiſtites Genuenſium triremibus vecti properarent, in Friderici claſſem inciderunt, & captivi una cum quibuſdam Cardinalibus ad Fridericum adducti, & vinculis addicti ſunt. Iſtam tot præſulum indignam cladem, ſic ægrè tulit Gregorius, ut ex animi mœrore intra dies paucos extinctus ſit.

Huic ſubjectus Cæleſtinus paucis diebus ſuperſtes fuit, Cæleſtinum excepit Innoc. IV. Sinibaldus antea vocatus patria Genuenſis, ex illuſtri Fliſcorum gente Comitum Lavaniæ. Hic ſtatim Friderico æquiſſimas pacis conditiones obtulit. At ille qui nec cum infidelibus bellum gerere, neque cum fidelibus pacem colere ſciebat, omnibus deſpectis conditionibus, precibus, & admonitionibus, majori etiam furore exarſit. Tum demum Innocentius ut luctuoſis Eccleſiæ ruinis occurreret, cùm nihil per Italiam bellorum tempeſtatibus undique jactatam tutum eſſet, etiam in Galliam ubi ſanctus regnabat Ludovicus navigio ſe ſubduxit. Conciliumque Lugduni generale indixit, quo citatus ad cauſam dicendam reus Fridericus ire renuit, Legatos tamen miſit, in primis verò Thadeum virum induſtrium ſuo nomine reſponſurum.

Ejus itaque cauſa ſedulò explorata, Innocentius de Synodi ſententia Fridericum damnatum communione fidelium excluſit, & Imperii dignitate, regnoque Apuliæ

liæ & Siciliæ abdicavit. Tum Germania univerſa à Friderico defecit. Novus exinde creatur Imperator Henricus Turingiæ, & Haſſiæ Lantgravius iſtoque poſt biennium mortuo. Vuillielmus Hollandiæ Comes, Longobardi pariter in Fridericum rebelles acie victum in fugam compulerunt: ille profugus in Apuliam conceſſit, & lecto per ægritudinem decumbens a proprio filio Manfredo, quem ex concubina ſuſceperat, pulvino ori admoto ſuffocatus eſt.

Proviſum hac Synodo pariter fuit Eccleſiaſticæ diſciplinæ inſtaurationi valdè tum labefactatæ, & collapſæ. Renovata quoque fuit ſacra adverſus infideles militia, cujus deſignatus dux fuit ſanctus Ludovicus Gallorum Rex. Actum præterea fuit de ſuppetiis Imperatori Græcorum ferendis: ſed hujus hiſtoriæ notitia paulò altiùs repetenda.

Poſtquam Iſaacius Angelus Conſtantinopolis Imperator annos novem, & menſes octo regni explevit, ab Alexio Angelo fratre per inſignem perfidiam excæcatus eſt, & regno ſpoliatus: Iſaacio nata erat Irene, quam Philippus Germanorum Imperator in matrimonio habuit. Filius quoque patruo cognominis Alexius. Angelus paternam injuriam ulturus ad Philippum profugit, cujus cohortatione Veneti Dandulo duce, cum Balduino Flandriæ Comite aliiſque Principibus bellum ineunt adverſus Alexium Tyrannum, qui nomen ſibi Comneni aſciverat. Hunc itaque capta Conſtantinopoli in fugam cogunt, & Iſaacium cæcum in imperium reducunt, dato illi ſocio, & adjutore filio Alexio. His præclarè geſtis, dum Latinorum claſſis ad urbem ſtaret in anchoris, parata dum ver appeteret, in Orientem contra Saracænos proficiſci, Alexius Ducas cognominatus Murzuphlus cives adverſum Imperatores per ſeditionem concitat, qua occaſione Alexium Angelum in cuſtodiam includit, ipſeque inſignia ſibi aſſumit Imperii.

Latinorum ergo claſſis hoc facinus ultura Conſtantino-

tinopolim denuò expugnat. Captus Murzuphius ex edita turri præceps deiicitur. Balduinusque Flander Latinorum Principum ſuffragiis eligitur Imperator anno 1204. ſub Innocentio III. Pontifice Imperii Græcorum provinciæ in plurima dominia diſſectæ ſunt. Venetis quippè attributa eſt Eubœa, omneſque maris Ægei inſulæ, & Creta. Bonifacio Montisferrati Marchioni regnum ceſſit Theſſalonicæ. Godofredo Athenarum ducatus cum Achajæ principatu. At verò Græci principes Aſiæ provincias certatim occupaverunt. Theodorus enim Laſcaris Nicææ in Bithynia dominatum cepit, & armis ſtrenuus Turcas ingenti ſtrage profligavit, eorumque Sultanum in acie ſuaptè manu peremit. Andronici quondam invaſoris Imperii ex filio Manuele nepotes David, & Alexius Comneni ſuas quoque partes nacti ſunt. David Oeneum, & Synopen civitates Ponti, & Trapezuntem novo Imperii titulo: Alexius autem Heracleam Ponti, & Paphlagoniam ſibi aſcivit.

Conſtantinopolim annos octo, & quinquaginta Latini tenuerunt ab ipſo Balduino primo ad Balduinum ſecundum, cui præſens in iſto Lugdunenſi Concilio interfuit, ſeditque ad dexteram Innocentii Papæ: ad cujus ſiniſtram alii conſederunt principes alici anno 1245.

Veruntamen poſt annos ſexdecim Conſtantinopolis à Græcis intercipitur Michaelis Palæologi dolo; qui ſibi ſuiſque poſteris hoc Imperium aſſeruit anno ſupra 1261. Itaque inchoatum à Balduino Latinorum in Oriente Imperium deſiit in altero Balduino; quemadmodum auſpicatum à Magno Conſtantino Conſtantinopolis Imperium deſiit in Conſtantino Palæologo à quo ad Turcas devolutum eſt. Similiter Romanum Imperium quod primus exortus eſt Auguſtus terminatum eſt in altero Auguſto, ab Odacro Eru-

lo-

lorum Rege expugnata Roma, conſtitutoque novo Italiæ Regno.

Hæc eadem Synodus pacis fœdera inter Chriſtianos Principes conciliavit ſaltem in quadriennium: publicas privataſque ſupplicationes apud omnes qui Chriſtianorum nomine cenſentur indixit, pecuniarum contributiones ad ſacri belli expenſas procuravit, præſertim ex proventibus Eccleſiarum. Providit etiam cruce ſignatorum militum ſecuritati, quorum perſonas, & facultates intactas eſſe juſſit, & ſub S. Petri tutela ſuſcepit. In hac Synodo conceſſum fuiſſe Cardinalibus Pileum rubrum produnt. Quamplurimæ hujus conſtitutiones in 6. decretalium paſſim referuntur.

Harum una Eccleſiæ regimini valdè conducens ſtatuit *perſonas exemptas ſi extra exemptum locum deliquerint* (exempli gratia, ſi religioſus extra propriam Eccleſiam, & ſepta deliquerit monaſterii) *poſſe citari, & conveniri coram ordinario, & ab eo puniri, c. volentes, de privileg. in* 6. Concilium deinde Tridentinum *ſeſſ. 7. de reform. cap.* 14. *In exemptorum* (inquit) *cauſis conſtitutio Innocentii IV. quæ incipit,* Volentes, *in generali concilio Lugdunenſi edita ſervetur, quam eamdem ſacroſancta Synodus innovandam cenſuit, & innovat.* Noſtra quoque Francica jura hoc idem confirmant, & ſanciunt in Aurelianenſibus comitiis ſub Rege Carolo IX. art. 11.

COM-

CONCIL. GENERALE XIV Lugdunenſe ſecundum ſub Gregorio X.

AB obitu Clementis IV. vacua fuit Petri ſedes tribus, & triginta menſibus, dum inter ſeſe Cardinales diſſident qui tandem in S. Bonaventuram Ordinis Minorum Generalem, etiamſi nondum Cardinalis eſſet, compromiſerunt. Hic verò nullum propoſuit Cardinalem, ſed Tibaldum Leodi Archidiaconum virum vitæ ſanctimonia inſignem, qui tum in Syria belli ſacri occaſione verſabatur. Huic nominationi cœtus Cardinalium acquievit, qui & tranſmiſſis in Orientem litteris factam de ipſo electionem eidem ſignificaverunt. Hic aſſerto ſibi Gregorii nomine omnem adhibuit ſollicitudinem, in primis ut ſubſidia nova Chriſtianis in Syria militantibus præſtarentur. Præterea ut Græci quibus Michael Palæologus excluſo Balduino imperabat, ad fidei, & communionis Apoſtolicæ ſedis unitatem revocarentur: Ad hæc ne Apoſtolica ſedes diutius poſt hac vacua eſſet; Denique ut depravati Chriſtianorum mores emendarentur. His de cauſis miſit quaqua verſum epiſtolas, ac nuncios ad Epiſcopos, & Principes ad ſacrum indicendum Concilium Lugduni poſt biennium celebrandum. Legatos etiam miſit ad Palæologum, qui ipſum cæteroſque Græcos ad concordiam cum Rom. Eccleſia reducerent, eundemque cum Græcorum Epiſcopis ad Oecumenicam Synodum invitarent.

Anno igitur Chriſti ſupra milleſimum ducenteſimo ſeptuageſimo quarto Lugdunum convenere Patriarchæ Conſtantinopolitanus, & Antiochenus, aliique ex diverſis oris Epiſcopi quingenti: In his S. Bonaventura Epiſcopus Abbanenſis eruditione, morumque ſanctitate conſpicuus, qui necdum ſoluto Concilio migravit,

in

in Cœlum. Sanctus verò Thomas dum vocatus eo proficiſcitur exiit ex mortali ad immortalem. Adfuit in Concilio Jacobus Aragoniæ Rex & cęterorum Regum, & Principum oratores.

Peracta ſeſſione tertia intromiſſi ſunt Michaelis Palæologi legati, quos honorificè Gregorius, & univerſa Synodus exceperunt. Lectæ ſunt hujus Imperatoris, & Epiſcoporum Orientis litteræ, quibus Catholicæ, & Romanæ Eccleſiæ fidem, ſimulque Spiritus Sancti à Patre, Filioque proceſſionem, primatumque Romanæ ſedis agnoſcunt. Legati verò Græci nomine Michaelis Pontifici obſervantiam, ac ſubjectionem exhibuerunt. Acceſſere præterea Tartarorum oratores ad ineundas pacis cum Chriſtianis conventiones, quorum unus fidem Chriſti ſuſcepit, & à Petro Cardinali Oſtienſi baptizatus eſt. Denique præcinente Summo Pontifice decantatum eſt à Cardinalibus reliquiſque Latinis patribus Symbolum Conſtantinopolitanum cum ſolita additione Spiritus ſancti à Patre Filioque proceſſionis. Deinde à Conſtantinopolitano Patriarcha idem Symbolum Græcis Patribus ſuccinentibus græcè, cum eadem bis repetita additione decantatum fuit.

Pro ſacræ militiæ impenſis ſicut in præcedentibus Conciliis præſtitum fuerat, Papa toto ſuffragante Concilio decimas omnium Eccleſię proventuum conſtituit & deſtinavit.

Inter alias ſacræ Synodi ſanctiones inſignis utique illa fuit de ritu in electione Papæ ſervando: de clauſura conclavis eligentium Cardinalium: de interdicta quacumque privata per litteras, ſive per internuncios communicatione: de omnimoda pactionum, conventionum, pollicitationum, juramentorum quæcumque circa futuram electionem intervenerint diremptiones: Et refertur in *cap. ubi periculum, de elect. in 6.*

Quod attinet ad electiones, antiquiſſima ſane atque

atque ab initio receptiſſima eligendorum Epiſcoporum forma hæc fuit, ut omnes Epiſcopi Provinciæ in unum convenientes novum crearent Eccleſiæ viduatæ antiſtitem, accedente plebis teſtimonio, & univerſi Cleri, aut majoris ejus partis conſenſu, ut his teſtatur verbis Cyprianus epiſtol. 68. *apud nos, & ferè per omnes Provincias tenetur, ut ad ordinationes ritè celebrandas, ad eam plebem cui præpoſitus ordinatur Epiſcopi ejuſdem Provinciæ proximi quique conveniant, & Epiſcopus delegatur plebe præſente, quæ ſingulorum vitam pleniſſimè novit, & uniuſcujuſque actum de ejus converſatione perſpexit*. Ibidemque divinis id aſtruit teſtimoniis, ſcilicet num. 10. ubi Moyſi Deus jubet, ut coronam univerſo populi cœtu conſecret Eleazarum Pontificem. Et Act. 1. ubi coronam omnibus diſcipulis Mathias in Judæ traditoris vicem eligitur. Et Act. 6. ubi Apoſtoli convocaſſe perhibentur diſcipulorum multitudinem pro diaconorum electione. Idem Cyprianus Cornelium Papam affirmat Epiſcoporum judicio, & plebis teſtimonio fuiſſe legitimè ordinatum *epiſtol.* 41. Idemque *epiſt.* 52. de Cornelio, ſic ait: *non ut quidam vim fecit ut Epiſcopus fieret, ſed ipſe vim paſſus eſt ut Epiſcopatum coactus acciperet, & factus eſt Epiſcopus à pluribus Collegis noſtris, qui tunc in urbe Romæ aderant*. Et ſubinde: *factus eſt Cornelius Epiſcopus de Dei, & Chriſti ejus judicio, de Clericorum penè omnium teſtimonio, de plebis, quæ tunc adfuit ſuffragio, & de Sacerdotum antiquorum, & bonorum virorum Collegio*. Concilium Nicænum canon. 4. & 6. *Epiſcopum decernit conſtituendum eſſe ab omnibus Provinciæ Epiſcopis, aut ſaltem aſſentiente majori eorum parte*.

Quod idem ſancitur in Concilio Antiocheno canon. 19. aliiſque innumeris Romanorum Epiſcoporum decretis. Leo quidem magnus *epiſtol.* 92. ad Ruſticum *nulla (ait) ratio fuit, ut inter Epiſcopos habeantur qui nec à Clericis ſunt electi, nec à plebibus expetiti, nec ab Epiſcopis Provincialibus cum Metropolitani judicio conſecrati*.

At-

Atque habetur in *cap. nulla ratio diſtinction. 62.*

Illo itaq. ritu Romani Epiſcopi creabantur, ut conſtat ex Cypriano præcitato. In electione verò Damaſi interponi primum cœpit Cæſaris authoritas occaſione ſchiſmatis ab Urſicinio ſuſcitati. Idem iteratum deinceps in aliis quibuſdam ortis ex ſchiſmate diſſidiis. Res quippe compoſitæ ſunt à Valentiniano inter Damaſum, & Urſicinum. Et ab Honorio inter Bonifacium, & Eulalium. Et à Theodorico Rege inter Symmachum, & Laurentium. Deinde Juſtinianus Imperator recepta de Gothis Italia noluit quemquam pro Romano Pontifice admitti, niſi poſt ſuam approbationem. Idque ita ſub eo, & qui ei ſucceſſerunt Imperatoribus uſu ſervatum eſt uſque ad Conſtantinum quartum Auguſtum, qui Benedicti II. Pontificis hortatu omnem permiſit creandi Papæ poteſtatem Romano Clero, & populo.

Sigebertus Hiſtoricus ſchiſmaticus, atque Henrici Imperatoris partes adverſus Romæ Pontifices propugnans fabulam commentus eſt Synodi Romanæ centum quinquaginta trium Epiſcoporum, in qua Hadrianus Papa Carolum Magnum ſummo decoravit privilegio non modò confirmandi novi Papæ electionem, quod jus à Juſtiniano uſurpatum in ſucceſſores Imperatores dimanarat; ſed quod hactenus fuerat inauditum, ſola & propria authoritate eligendi Pontificis pro libito: & præterea Epiſcopos per ſingulas Provincias pariter eligendi, & per inveſtituram præficiendi vacantibus Eccleſiis. Poſt Sigebertum Gratianus nimia credendi facilitate adductus commentitium illius Concilii decretum ſuæ canonum collectioni inſeruit. Quæ res multos incautos ipſumque Onuphrium decepit. Sed hanc fabulam validiſſimis argumentis Baronius refellit, quibus aliàs ſuperaddit paris roboris convictiones Joann. Morinus in ſuis lucubrationibus de origine, & progreſſu temporalis Romanorum Pontificum poteſtatis. Canon itaque incipiens Hadrianus

Papa

Papa, & *c. in Synodo diſt.* 83. dignus eſt qui expungatur, & obliteretur cum eo qui præcedit Canone hiſtorico. Itaque ex quo tempore Carolus Magnus Longobardorum Rege Deſiderio ſuis armis profligato Romanam Eccleſiam in libertatem vindicavit, Romanis deinceps liberæ fuerunt Summorum Pontificum electiones ad Leonem uſque octavum.

Igitur deinceps liberæ fuerunt Romano Clero populoq; iſtiuſmodi electiones ad Leonem uſque octavum, qui, quum depulſo Joanne duodecimo per vim ſacrilegam, fuiſſet ab Ottone Imperatore nominis hujus primo, in dejecti locum ac ſedem promotus, derivatum tandem in Imperatores Occidentis jus iſtud electionis Papæ fuit, quo deinceps uſi, quin potiùs abuſi ſunt Imperatores Germani ad Henricum uſque Tertium ex Franconiæ duce Imperatorem, quando Gregorius Papa Septimus integrum iſtud jus ab Imperatoribus Germaniæ ad Romanum Clerum revocavit: quàm latiùs hiſtoriam proſequuti ſumus ad Concilium Oecumenicum nonum, ſeu Lateranum ſub Caliſto.

Quum verò eandem eligendi Papæ poteſtatem adhibita vi ſacrilega Henricus IV. tertii filius à Paſchali II. extorſiſſet, idem Paſchalis coacta Synodo conceſſionem injuſtam revocavit. Sanctiſſimus quidem Papa Gregorius Magnus in comment. ad *Pſal.* 4. *Pœnit.* tyrannicam dicit ſæculi ſui conſuetudinem, qua vetabant Imperatores Græci injuſſu ſuo, imò nonniſi accepta pecuniæ ſumma Romanorum Epiſcopum ordinari.

Haud planè compertum eſt, quandonam ſolis fuerit Cardinalibus attributa ſummi Pontificis electio. Conſtitutio quidem de Cardinalium Conclavi procuſa eſt in hoc ſecundo Lugdunenſi Concilio. Perſpicuum autem eſt ex Petri Damiani teſtimonio, jus eligendi Papæ pertinuiſſe ipſius tempore ad ſolos Eccleſiæ Romanæ Cardinales. Veriſimile eſt ſumptum fuiſſe hujus exordium à Leonis IX. inauguratione,

quan-

quando Ildebrandi ſtudio, ac opera electus Romæ Pontifex fuit, poſtquam eumdem Imperator ipſe creaverat. An verò ante Othonem primum fuerit penes ſolos Eccleſiæ Romanæ Cardinales poteſtas eligendi Papam incompertum eſt.

De Cardinalium porrò eminentia ſic refert Petrus Damiani, & ipſe Cardinalis, qui ſub Leone IX. ejuſque ſucceſſoribus omni virtutum laude florebat lib. 1. epiſt. 20. *Romanæ Eccleſiæ Cardinales Romanum Pontificem principaliter eligunt, & quibuſdam aliis prærogativis non modo quorumlibet Epiſcoporum, ſed etiam Patriarcharum atque primatum jura tranſcendunt: ſalvo quippè univerſalis Eccleſiæ Sacramento iſti ſunt oculi unius lapidis, ipſi lucernæ unius candelabri.* Sanctus Bernardus *lib. 4. de conſider.* Cardinales vocat orbis judices. Extat reſcriptum Pontificis Eugenii Quarti ad Henricum Cantuariæ Archiepiſcopum, & Angliæ primatem, & refertur apud Jacobatium Cardinalem *libro 1. de Concilio*, ubi hæc referuntur Eugenii verba. *Ipſos præterea Cardinales pro honoris, & dignitatis eminentia partem ſui corporis Summi Pontifices appellant, ex quo ſine ulla dubitatione oſtenditur, poſt caput Eccleſiæ, quod eſt Papa, contigua ſui corporis membra, qui ſunt fratres ejus Cardinales præ cæteris Eccleſiæ membris, ac partibus honorari debere.* His etiam iſta Eugenius adjungit, *quoſcumque primates, & Epiſcopos à Cardinalibus Summo Pontifici aſſidentibus judicari, & ſingulos Epiſcopos ſingulis, ac particularibus Eccleſiis præeſſe, & providere, Cardinales autem univerſæ ſub Papa Eccleſiæ.* Profert demum Eugenius Superiorum Generalium Conciliorum exempla, præſertim duorum Lugdunenſium, in quibus Cardinales citra omnem ambiguitatem, honoratiorem præ cunctis Epiſcopis locum tenuerint, teneantque etiam nunc, in Concilio nimirum Florentino, quod tunc temporis agebatur. Inſuper Leo Papa Decimus in Concilio Lateranenſi *ſeſſio 9.* aſſerit S. R. E. Cardinales reliquos

omnes dignitate, ac honore poſt Summum Pontificem antecellere. Noviſſimè Concil. Trid. *ſeſſ.* 15. *de ref. can.* 1. ait Cardinalium Conſilio apud Sanctiſſimum Romanum Pontificem univerſalis Eccleſiæ adminiſtrationem niti.

Quin imò his longè antiquior Joannis Papæ Octavi, qui ſæculo nono vixit conſtitutio declarat. *Romanæ Eccleſiæ Cardinales eodem fungi apud Romanum Pontificem officio in ſancta Dei Eccleſia, quo ſenioris ſeptuaginta apud Moyſen in Synagoga*: Idcoque decretum confirmat Leonis Quarti prædeceſſoris ſui, ut ſcilicet bis in hebdomada Cardinales ad ſacrum Apoſtolicum palatium conveniant, ad providendum, & decernendum pro univerſarum Eccleſiarum ſolicitudine, pro Clericorum diſciplina, & pro laïcorum querimoniis auſcultandis & difiniendis. Ex quibus liquet in Cardinalibus conſtitui univerſalis Eccleſiæ ſenatum, atque ordinarium Summi Pontificis Conſilium. Nulla quippe tam præcellens ſapientia eſt, quæ conſiliorum adminiculis non egeat: adeò ut præclarè obſervet S. Chryſoſt. *Hom. ad cap.* 1. *act. Apoſtol.* Petrum Apoſtolorum Principem Sancti Spiritus donis cumulatiſſimè, ornatum, & munitum nihil per propriam authoritatem, aut imperium conſtituiſſe, ſed in rebus gravis momenti agere ſolitum ex fratrum Conſilio; ut liquet in electio ne ſucceſſoris Judæ Iſcariotis ad Apoſtolicum munus, & in diſceptatione orta circa legalium obſervationem. Ex his perſpicuum eſt S. R. E. Cardinalibus reſpectivè attribuendum eſſe, quod ipſi decernunt Imperatores *l. unica c. de præpoſ. Labar. l.* 12. *Immunitate digni ſunt quos lateris noſtri comitatus illuſtrat.* Idem enim à Papa de his proferri poteſt.

Cardinalium prima, quæ legitur mentio fit in Romano Concilio ſub Sylveſtro Primo, cujus Can. 6. refertur fuiſſe tunc in Romana Eccleſia ſeptem Diaconos Cardinales. Poſt annos verò circiter trecentos S. Gre-

gorius Papa, ſæpè numero meminit Cardinalium Sacerdotum, & Diaconorum, nec tantum Romanæ Eccleſiæ, ſed etiam remotiorum Eccleſiarum. Si quidem *lib.* 2. *ep.* 13. *indict.* 11. conſtituit in Eccleſia Terracinæ Sacerdotem Cardinalem, *& eod. lib. epiſt.* 6. *indict.* 10. Joannem conſtituit Epiſcopum pariter Cardinalem in Scyllatina Eccleſia. Et *lib.* 3. *ep.* 14. providet, ut in Syracuſanam Eccleſ. quidam coopretur Diaconus Cardinalis. Similiter *l.* 5. *epiſt.* 11. concedit Fortunato Epiſcopo Neapolitano, ut Gratianum conſtituat in Neapolitana Eccleſia Diaconum Cardinalem. Porrò addictionem hujuſmodi ad aliquam Epiſcopalem Eccleſiam vocat paſſim S. Gregorius nunc cardinationem, nunc incardinationem. In ejuſdem etiam vitæ *lib.* 3. *c.* 15. teſtatur Joannes Diaconus his verbis: *Civitatum deſolatarum Pontifices Gregorius vacantibus civitatibus incardinare curabat.* Et exemplum ſubiicit Martini Tamitanæ Eccleſiæ Epiſcopi, quem quia fuerat illa Eccleſia ab hoſtibus devaſtata, vacantis jam Aleríenſis Eccleſiæ Epiſcopum, Cardinalem conſtituit. Prætetea Meldenſis Concilii can. 54. conſtituitur, *Ut Epiſcopus titulos Cardinales in urbibus, vel ſuburbiis conſtitutos ordinet atque diſponat.* Ut fateri neceſſe ſit titulos Cardinales fuiſſe quoque aliarum à Romana Eccleſiarum, nec tantum Epiſcopalium, ſeu Cathedralium, ſed etiam inferiorum in quibus Sacramenta fidelibus conferenda ex officio erant.

Cæterùm ex Gregorii Magni præfatis litteris, & ordinationibus id ego colligo, quod cùm liberum Epiſcopis eſſet Sacerdotes, & Diaconos ſubjectis ſibi Eccleſiis præficere, & populis inſuper Epiſcopali vacante ſede novos ſibi Epiſcopos eligere, nihilominus haud licuiſſe ex alienis Eccleſiis Clericos, iiſdem addictos præficere aliis Eccleſiis, quatenus ejuſmodi translationes Epiſcoporum, Sacerdotum, & Diaconorum fieri Nicæna Synodus prorsùs interdicit canon. 15. Ideòque ut hoc fieret opus fuiſſe Apoſtolica diſpenſa-

 tio-

tione; quam præfatis locis indulget S. Gregorius ex juſta cauſa, quia nimirum priſtinæ Eccleſiæ à barbaris exciſæ.

Cap. Lugdun. 24. in uſum revocat cum pœnarum adjectione Innocentii Quarti conſtitutionem de non recipiendis in pecunia procurationibus, & muneribus etiam ſponte oblatis, tempore viſitationis Epiſcopalis. Illa porrò habetur *in c. cum Apoſtolus*, *de cenſibus*. Conc. Toletani ſeptimi canon 4. ſtatuit, ne Epiſcopus Diœceceſim viſitans ſe oneroſum Eccleſiis exhibeat, neve quinarium evectionis (id eſt) equitatus numerum excedat. Fidem certè omnem excederet, niſi Canonibus hoc teſtatum eſſet, tàm inſanam Epiſcopis aliquando inſeſſiſſe ambitionem, & faſtum, ut generali Lateranenſi ſub Alexandro III. Concilio viſum fuerit pro illa effuſa licentia rationabile moderamen, dum vetuit Archiepiſcopis quinquaginta vecturas excedere, Epiſcopis verò tranſilire triginta vecturas tempore viſitationis. Ad poſtremum Trident. Synodus *ſeſſ.* 24. *de reform. cap.* 3. ita in his providit. *Modeſto contenti comitatu famulatuque ſtudeant Epiſcopi, quam celerrimè, debita tamen diligentia, viſitationem abſolvere. Nec quidquam procurationis cauſa pro viſitatione exceptis victualibus ſuis, & ſuorum moderatis, & frugalibus accipiant.*

Can. Lugdunenſ. 25. providet Eccleſiarum venerationi, & prohibet intra eas univerſitatum, & ſocietatum quarumlibet Concilia, conciones, & publica parlamenta: vetat inſuper confabulationes quaſcumque, atque in eis necnon in cœmeteriis negotiationes, nundinas, & cujuſcumque fori tumultus, omneſque judiciorum ſæcularium ſtrepitus. Statuit demum, ut proceſſus ſæcularium judicum, & ſententiæ iiſdem in locis prolatæ careant omni robore: Legitur verò in *cap. decet de immunit. Eccleſ. in* 6. Domum quippè Domini decet ſanctitudo Pſalm. 93. Eſt namque domus orationis *Deuteron.* 14. *Iſajæ* 56. *Jerem.* 7. Ideoque etiam

ver-

verberibus de templi porticu negotiatores Chriſtus exegit. *Matt.* 21.

CONCILIUM VIENNENSE
Generale decimum quintum.

IEroſolymis verſabantur milites Religioſis votis aſtricti, qui cùm propè Templum habitarent Templarii dicti ſunt. Horum officii erat Chriſtianæ ditionis fines armis tueri, latrocinia, & incurſiones infidelium Chriſtianos peregrinantes infeſtantium inhibere. Quo in munere laudabilem initio navarunt operam. Verum immenſis opibus aucti, moribuſque in deteriora mutatis, eò nequitiæ tandem prolapſi ſunt, ut occulta cum Saracenis, & Turcis fœdera, & conſpirationes inirent, ſeque omni genere impietatis, & nefandæ libidinis flagitiis contaminarent nocturnis conventibus: in quibus cæſorum infantium nefarias victimas idolo litabant, & ſacrilegos concubitus exercebant.

1. Iſta comprobata ſunt ſcelera innumeris per diverſas Provincias editis proceſſibus ex mandato, partim Summi Pontificis, partim plerumque ſæcularium Principum, partim ex officio Prælatorum, & Magiſtratuum, quibus etiam acceſſit plurimorum reorum confeſſio. Iſtiuſmodi convictiones poſtquam ſedulo examinavit Oecumenica ſacra Synodus toto ex orbe Chriſtiano collecta, judicavit eas exploratas veras, & ita certas, ut cumulatè ſuffecerint ad tanti perque omnes Chriſtianas plagas propagati ordinis damnationem, & extinctionem; ut mihi delirare videantur, & plenè deſipere, qui poſt Concilii generalis judicium, illorum militum patrocinium haud vereantur ſuſcipere, ipſumque Concilium condemnare, & vel omnium profligatiſſimi ſceleris, vel belluinæ

ſtoliditatis incuſare. Non ſum uſque adeò imperitus, ut in rebus facti à divina ſcriptura minimè aſſerti contendere auſim Eccleſiam ipſam errare, aut falli non poſſe, aut iſtiuſmodi decreta ad fidem divinam pertinere; Verumtamen rem iſtam humanis, & moralibus rationibus excutiendo (ut venerationem, & obſervantiam ſeponam, quæ ſacris Oecumenicis, & à Summo Pontifice probatis Synodis debetur) quis credat contigiſſe, ut tanta ex tot Provinciis convocata Præſulum, Principum, Legatorum atque Doctorum multitudo, quorum haud exigua pars etiam ſanguine, vel affinitate pleriſque illius ordinis militibus conjuncta erat, in tàm immane flagitium unanimi aſſenſu conſpiraverit, atq; adeò in tanti momenti cauſa in qua de potentiſſimi, & ſæculari nobilitate illuſtriſſimi ordinis toto orbe propagati non modò abolitione, ſed etiam atrociſſima damnatione ſupplicioque agebatur? Ideòq: gravi cenſura digna eſt Tritemii in ſuo Hirſaugienſi Chronico aliorumque quorundam temeritas, qui Templarios falſis criminibus oppreſſos fuiſſe aſſerere auſi ſunt.

Cum verò neceſſe eſſet tàm exitialem peſtem extingui, ſummique momenti, & diſcriminis eſſet præpotentiſſimum ordinem funditus exterminare, ſapienter judicavit Clemens V. eſſe id negotium innumeris alioqui obtrectationibus obnoxium per Conc. generale dijudicandum.

Præterea pullulabant eo tempore in Germania Begardorum, & Beguinarum ſectæ dogmatizantes, 1. poſſe homines in hac vita mortali, tam ſublimem perfectionis gradum aſſequi, ut neque peccare ullatenus, neq; ulterius in gratia progredi poſſint. 2. neque jejunare neque aliam exercere corporis, aut animi macerationem, ac aſperitatem debere, qui verſetur in illo ſanctitatis gradu. 3. nec eumdem aſtringi humanorum mandatorum, aut Eccleſiaſticarum legum ſæculariumq; obſervatione, utpotè in ſummo libertatis filiorum Dei

apice

apice conſtitutum. 4. Ex hac ipſa vita poſſe eumdem ea potiri felicitate, qua major in Cœlo futura nulla ſit. 5. perfectam conſummatamque felicitatem ex natura, & hominis arbitrio ita pendere, ut nullo ſit opus gloriæ lumine infuſo. 6. Eſſe hominis adhuc imperfecti virtutum exercitationem, quam longè à ſe abdicat quiſquis perfectus eſt. 7. Libidinum actus ad quos natura ipſa inclinat nullatenus culpam involvere. 8. Dum elevatur, aut exponitur Chriſti corpus minimè debere perfectum hominem genua flectere, aliamve exhibere venerationem, quia ſic agens de illo ſublimi contemplationis ſuæ faſtigio ſe demitteret, ſi vel de Chriſti Sacramento, vel de vita ejuſdem, aut paſſione dignaretur cogitare. Id verò ſolemne illis, & conſuetum erat, ut omni ſe libidinum genere contaminarent. Conformes erant iſti ſectarii Meſſalianis, qui etiam Euchitæ, & Enthuſiaſtæ dicebantur, quorum Epiphanius, & Theodoritus meminerunt. Hi enim Theodorito atteſtante exiguam vim Sacramentis Eccleſiæ, virtutumque exercitationibus attribuebant, maximam verò ſuis illis fanaticis orationibus. Iidemque Epiphanio teferente fœditati promiſcuorum concubituum indulgebant.

Has ut evelleret criminum propagines Clemens, Synodum Oecumenicam Viennæ in Gallia collegit anno ſupra 1311. quo regnabat in Gallia Philippus cognomine Pulcher. Hic damnatæ ſunt impuræ Begardorum, & Beguinarum ſectæ, ſimulque Fraticellorum ſeu Dulciniſtarum ſecta, cujus author Dulcinus concubinam Margaritam à ſe imprægnatam de Spiritu ſancto concepiſſe aſſeverabat. Iſti quoq; promiſcuos concubitus in locis abditis exercebant: viſionem beatificam poſt ultimum judicium differri prædicabant: Damnati pariter hic fuere Petri Joannis errores negantis animam rationalem, qua rationalis eſt formam eſſe corporis: & gratiam ullam, aut virtutes in Baptiſmo infundi: aſſerentis autem Chriſti viventis latus fuiſſe

lancea percuſſum: nec habendam fidem contrariæ, quam Euangeliſta prodidit aſſertioni. Horum dogmatum damnatio refertur ex hac Synodo in Clementina 1. *de ſumm. Trinit. & in Clemen. ad noſtrum de hæret.* Templariorum quoq; ordo iſthic aboletur, eorumque opes hoſpitalariis S. Joannis militibus addicuntur.

Circa uſuras hic etiam ſtatuitur illum, qui pertinaciter affirmat uſuram non eſſe peccatum, eſſe hæreticis accerſendum, & procedendum contra eum eſſe ab hæreticæ pravitatis inquiſitoribus. Communitates autem, & officiales, qui ſtatuere in favorem uſurarum, aut judicare præſumpſerint, aut qui talia jam edita ſtatuta de libris, vel tabulis publicis non obliteraverint, excommunicatione aſtringi. *Clem. ex gravi de uſurp.*

Hic advertant Principes, & Magiſtratus Chriſtiani, qua ratione poterunt Dei judicium evadere, qui Judæis ſibi ſubjectis indulgent, Chriſtianas familias per contractus uſurarios apertè ſpoliare, quo pinguiores ſibi lucrentur à Judæis contributiones, ſeu potiùs à miſeris Chriſtianis, quorum ideò Judæis permittitur devoratio, ut ex horum pernicie ipſi Judæi poſſint exolvere impoſitas ſibi præſtationes. Id verò eo magis attendendum, quod uſurarum prohibitionem conſtat eſſe divini juris, cui nec ipſa poſſit Eccleſia derogare: Nec ambigendum poſt Judaiſmi factam à Deo reprobationem, non modò non licere Judæis ſpoliare Chriſtianos, qui ſoli populus Dei ſunt, ſed nec ullos paganos, ac infideles: ex quo enim Judæos reprobavit Deus, ſimul etiam omnia privilegia voluit abolita, quæ iiſdem tanquam populo ſibi ſpeciatim accepto, & dilecto contulerat.

Quia verò de Judæis incidit occaſio ex uſuris, quas exercent, hoc ſciendum prodiiſſe anno 1642. Martii 21. Pauli Papæ III. conſtit. quæ incipit, *Cupientes*, qua ſtatuitur Judæos ad fidem converſos remanere quidem indiſpenſare obligatos ad uſuras, quas ex cognitis certiſ-

que

que perſonis exegerunt, reſtituendas. Sed quoad uſuras, quæ vel ob perſonarum incertitudinem, vel ob juſtum aliud impedimentum perſolvendæ eſſent pauperibus, aut ad alias pias cauſas deſtinandæ, declarat Summus Pontifex ſe ab hujuſmodi diſpenſare, ut poſſint Judæi converſi ſibi ipſis retinere. Hoc idem iiſdem ferè verbis ſanciverat Concilium Baſilienſ. ſeſſ. 19.

Providit præterea Viennenſe Concilium circa regularium privilegia. Concilium quidem Chalcedonenſe Canon. 9. conſtituit debere Monachos Epiſcopis locorum ſubjacere, eiſque obedire: ſed temporum proceſſu maximè verò poſt mendicantium ordinum exortum multa eis conceſſa fuerunt, & ſubinde partim reciſa, partim attemperata privilegia. Conſtituerat Bonifacius Papa octavus *c. ſuper Cathedram de ſepult. in extravag. commu.* non poſſe exemptos atque mendicantes regulares prædicare, aut externorum confeſſiones ullatenus audire citra ordinariorum licentiam in quorum diœceſibus verſantur. Nonnulla etiam circa externorum ſepulturas, quæ fiunt in Eccleſiis regularium ordinaverat in gratiam Parochialium Eccleſiarum. Sed Bonifacii ſucceſſor Benedictus undecimus ex ordine Sancti Dominici aſſumptus, pietate doctrinaque commendatiſſimus, præceſſoris decretum abrogavit. *c. inter cunctas, in extrav. communibus, de privileg.* Poſtmodum hoc ipſum Viennenſe Concilium Conſtitutionem Benedicti antiquavit, ſanctionem verò Bonifacii in priſtinam reſtituit auctoritatem, ut legimus *Clement. dudum de ſepult. & Clement. I. de privileg. & exceſſ. privileg.* Viennenſi huic ſanctioni conformatur plenè Concil. Trid. *ſeſſion.* 23. *cap.* 15. *de reformat. & ſeſſ.* 25. *cap.* 4. & his poſteriora decreta Gregorii XIII. anno 1567. Gregorii XV. in Bulla *Romanus Pontifex in ſpecula*, anno 1622. ejuſdemque Bulla *inſcrutabili*, his ſimiles edidere ſanctiones Urbanus VIII. Innocentius X. in Bullis annorum 1648. & 1653. qua-

rum

rum utraque eſt Menſis Maii in cauſa Epiſcopi Agelopolitani, & regularium Societatis Jeſu. Et noviſſimè Alexander VII. in ſimili cauſa Epiſcopi Andegavenſis, & Societatis præfatæ, aliorumque regularium die 26. Februarii 1659. Huc etiam ſpectat concordatum mediatore Cardinali Armando Richelæo tranſactum inter Epiſcopos Regni Francici, & quorumvis ordinum regulares Pariſiis die Februarii 19. anno 1633. quod exactè conformatur præfatis Conciliorum, & Pontificum ſanctionibus, & inſertum legitur in Tabulis Actuum Cleri Gallicani.

Hac eadem Synodo Viennenſi expoſita explicataque fuit S. Franciſci regula, multæque circa illam elucidatæ quæſtiones, quæ leguntur in Clementinis de verborum ſignificatione.

Decretum inſuper hic fuit, ut in ſcholis, & univerſitatibus Romæ, Pariſiorum, Ozonii, Salamanticæ, & Bononiæ conſtituantur Catholici magiſtri, qui publicè doceant linguas, Hebraicam, Chaldaicam, & Arabicam, duo videlicet pro qualibet lingua. *Clement.* 1. *de Magiſtris.*

CONCIL. PISANUM XVI. Et Concilium Conſtantienſe XVII. Generale.

Ex quo Clemens V. Pontificiam Sedem Avenione collocavit, hæſerunt ibi Summi Pontifices annis pluſquam ſeptuaginta, donec Gregorius XI. Romam remeavit. Sed eo Romæ defuncto Chriſti anno milleſimo trecenteſimo ſeptuageſimo octavo. Cardinales majori ex parte Gallicani cum omnes unà conveniſſet ut conclave ingrederentur, Romanus populus ve-

veritus, ne iterum Pontificis ſedes in Galliam traduceretur, concitato tumultu petiit ab ipſis, interminatus etiam illis extremum ſi ſecus facerent exitium; ut non alium quam Italum Papam eligerent. Poſtquam verò ſe conclavi Cardinales incluſerunt, populus in urbe præeunte urbis magiſtratu effractis conclavis repagulis ſe intromiſit, incenſurum ſe minitans conclave cum Cardinalibus: tùm perterriti electores nulla habita, ut ait Diaconus diſcuſſione perſonæ feſtinanter Bartholomæum Perignanum Barii in Apulia Epiſc. eligunt, neque præſentem, neque Cardinalem. Hic autem Romam accitus, ſtatim ſe Cardinalium ſeverum animadverſorem, ac reformatorem, & verbis, & rebus ipſis profiteri cœpit: quocirca omnes ſibi reddidit infenſos, adeò ut præter unicum Cardinalem reliqui omnes diverſarum nationum per ſpeciem vitandi æſtivi caloris Anagniam primùm, deindè Fundos ſeceſſerint: ubi conventu facto electionem Bartholomæi Perignani Archiepiſcopi Barienſis in Summum Pontificem, qui nomen ſibi ſumpſerat Urbani VI. irritam, ut potè graviſſimo extortam metu declarantes, Robertum de proſapia Comitum Genevæ Cameracenſem Epiſc. & Cardinalem renunciant Pontificem, qui Clemens VII. dici voluit, promovente negotium Joanna Regina Neapolitana cum ſuo conjuge Othone. Romæ Urbanus hæſit, Clemens Avenione ſedem fixit. Urbanus Joanna diris devota, & abdicata, Neapolitanum Regnum in Carolum Dyrrachinum Joannæ conſanguineum tranſtulit, à quo illa arctiſſimè tandem obſeſſa, & ad ſui deditionem compulſa ſtrangulata fuit.

Neque verò amborum Pontif. morte ſchiſma deſiit, Urbano extincto Bonifacius IX. ſucceſſit, Bonifacium Innocentius VII. excepit, & hunc Gregorius XII. Clemens verò ſucceſſorem habuit Petrum de Luna Hiſpanum, qui Benedictus XIII. dici voluit, quippe Pontificis apud ſuos nomen ultra 30. annos retinuit vivens.

Cum

Cum igitur tàm pernicioſo diſſidio Eccleſia in duas ſcinderetur partes, & periculum urgeret, ne partium ſtudiis, & novorum ſubrogatione Pontificum ſchiſma æternum propagaretur, tandem convenere Piſis utriuſque partis Cardinales, & Principes poſtquam inaniter, & ſine ſucceſſu Gregorium, & Benedictum ſæpiùs hortati ſunt, ut ambo convenirent pro Eccleſiæ unitate, & pace, & ſi aliud remedium non occurreret, ſalutem ac dignitatem Eccleſiæ propriæ temporali gloriæ, ut par erat anteferentes, ſe ambo Pontificatu abdicarent, & ſacro Cardinalium Collegio, aut etiam generali Concilio totum conciliandæ pacis negotium dimitterent. Cùm igitur Piſis conveniſſent diverſis ex Provinciis una cum Cardinalibus Epiſcopi, & Principum legati, ambos de Papatu contendentes, & potius inter ſe mutuo colludentes ter citatos, nec prorsùs comparentes declarant Pontificio culmine indignos, & utrique Pontificatum abrogant. Cardinalibus permittunt ut conclave ingreſſi, ſoli que novum inter ſe Papam cooptent. Id ita factum, quatuor, & viginti Cardinales ſeorſim ſecedentes Pontificem renunciant virum meritiſſimum Petrum Cretenſem Cardinalem tituli Sanctorum Apoſtolorum, ex ordine Minorum S. Franciſci, Archiepiſcopum Mediolanenſem, eximia morum probitate, & ſublimi peritia Theologiæ conſpicuum, qui Alexander V. dici voluit.

Iſti Piſano Concilio tres interfuere Patriarchæ Alexandrinus, Antiochenus, & Hieroſolymitanus, cum Epiſcopis trecentis, & innumeris Abbatibus, & conſummatiſſimis Doctoribus, Sanctus quidem Antoninus in iſtud concilium iniquior fuit, hac unica ratione adductus, quod non fuerit à Papa indictum, quin potiùs à Gregorio XII. cujus ipſe cauſam ardentius tuetur, reprobatum. At fuerant enixè rogati, & interpellati ambo Pontifices, qui ambitione damnabili propriam magis quam Dei gloriam diligentes, recuſarunt Eccleſiæ cui ſe præfectos gloriabantur neceſſitati extremæ cùm

pro-

propriæ demiſſionis periculo conſulere: neque aliud ſuccurrebat tantæ, & perpetuo duraturæ perniciei remedium, quam per Oecumenicam Synodum.

Itaque univerſa Eccleſia jure merito Concilium iſtud amplexa eſt, electumque in eo Alexandrum V. inter legitimos agnoſcit, & inſequentes cognomine Pontifices reſpectu ad hunc quintum recenſet Alexandros VI. & VII. Piſani Concilii jura egregie tuetur Azorius *par.* 2. *lib.* 5. *c.* 17. ſi dum ſchiſmate divellitur Eccleſia Dei, nec aliud præſto eſt remedium quatenus de Pontificatu contendentes nolunt prorsùs ſe demittere, vel alio efficaci remedio per Concilii indictionem providere fidelium præſentium, & futurorum quieti, & ſaluti, Chriſtus ſuam Eccleſiam, tametſi ſuo ſanguine emptam, & ſibi deſponſatam neglexiſſet, gregemque ſuum infeſtantibus lupis pro derelicto habere voluiſſet, ſi iidem ipſi ad quos ſpectat Papam eligere non poſſent Synodum legitimam convocare ad providendum Eccleſiæ incolumitati. Major utique eſt Chriſti erga gregem ſuum univerſum charitas, & providentia, nec iſtis immanibus repagulis impedienda eſt in extrema neceſſitate ſalus totius Eccleſiæ in oppoſitas, & alioqui perpetuas partes miſerandum in modum diſſectæ.

Piſanum iſtud Concilium anno contigit milleſimo quadringenteſimo nono, nec tamen Eccleſiæ ſciſſuram reſarcivit propter pervicacem utriuſque ambitionem, & Gregorii duodecimi, & Benedicti, qui antea mutuo infenſi, jam ſimul conſpirabant ad tuendum ſinguli quam poſſidebant dignitatem, atque ut in communi cauſa colludebant. Nec aliud Synodus præſtitit, quam ut duobus Pontificibus tertium adjungeret. Defuncto poſtmodum Alexandro quinto ſubrogatus eſt Joannes vigeſimus tertius, æmulos, & contendentes adverſum ſe habens Gregorium; & Benedictum. Hujus tamen in dies minuebatur apud ſuos authoritas:

ab

ab hoc enim ſe jam ſubtraxerat Galliæ Rex, unde in Hiſpaniam, quæ patria illi erat, ſucceſſit, ubi Arragonum Regis Ferdinandi favore,& opibus ſuſtentabatur. Sanctus enim Vincentius Ferrerius cùm cauſam Clementis ejuſque ſucceſſoris Benedicti juſtiorem crederet, quam Urbani, & Gregorii, ſuaſerat Ferdinando, ut Benedicti cauſam tueretur.

In tanto Eccleſiæ diſcrimine Sigiſmundi Bohemiæ, & Hungariæ Regis, Romanorumque Imperatoris pietas cum prudentia conjuncta refulſit. Quippe ut pacem conciliaret Eccleſiæ, non ſolùm frequentes Legatos, & litteras in omnes partes deſtinavit. Verum etiam Galliam, Angliam, Hiſpaniam, Italiam peragrare non dubitavit. Quin etiam à Joanne primum deinde à Gregorio publicas obtinuit litteras novum Concilium indicentes,cum propriæ demiſſionis promiſſione ad ſchiſma extinguendum.

Egerat per litteras Sigiſmundus cum Ferdinando Rege, ut Nicææ (quæ civitas eſt provinciæ Narbonenſis) ambo convenirent, ſimulque Benedictus ipſe. Cùm tamen ſe Ferdinandus ob affectam valetudinem ab hoc itinere excuſaret, non dubitavit Imperator ad Arragonenſem accedere, qui tum Perpiniani verſabatur, quo etiam perurgente, & quando detrectaret defectionem comminante Ferdinando adventavit Benedictus mortalium pertinaciſſimus, accepta ſecuritatis ſuæ à Ferdinando, & Sigiſmundo ſchedula, & fide. Hic ab utroque Principe impenſiſſimè rogatus ut exemplum Collegarum ſequutus, & ſtudio tactus Eccleſiaſticæ unitatis, manus quoque porrigere vellet, ſeque judicio Synodi Conſtantienſis à Joanne Gregorioque indictæ, & tum temporis congregatæ, ex qua etiam pro hujus negotii geſtione cum ipſius Concilii mandato Sigiſmundus exceſſerat, & quo ſubindè regreſſurus erat, committeret.

Cæterum Benedictus ſua identidem jura recenſendo, multiſque verborum ambagibus amplificando, ſe præ-

præſtitit inexorabilem, quamvis Ferdinandus, qui unus ei protector ſupererat defecturum ſe ab ea cominaretur. Unde ille vim ſibi illatum iri metuens, clam dilabitur ad Colliberis portum, in quo duas habebat expeditas triremes, & ſine mora è portu ſolvens ad Peniſcolam velificavit Hiſpaniæ citerioris oppidum, quod majore ſui parte mari alluitur. Arcem ibi poſſidebat ille munitionibus, & propugnaculis militumque præſidio atque copioſo commeatu inſtructam, qua incluſus vitam reliquam exegit cum Pontificiis inſignibus. Ferdinandus eo derelicto adhæſit Conſtantienſi Concilio, quod dudum Joannes, & Gregorius indixerant cum plena in ſeipſos poteſtate, quanta opus erat ad inſtaurandam Eccleſiæ unitatem.

Id verò fœliciſſimè Synodus præſtitit abrogata tribus Pontificibus dignitate, novoque creato Pontifice Odone Columna Cardinali tituli S. Georgii in Velabro, qui ſibi Martini quinti nomen indidit. Forma verò in hac promotione ex decreto Sacri Concilii conſentientibus Cardinalibus ſervata hæc fuit, ut Cardinales non ſoli, ſed adjunctis etiam ſex Legatis ſingularum quinque nationum, quos in ipſo Concilio ſingulæ ſibi delegarunt, Itala, Gallica, Germanica, Anglica, & Hiſpanica, qui omnes pro hac ſola vice ad reſecandos omnes ſchiſmatum protextus in conclave ingreſſi ſunt, & ſimul cùm Romanæ Cardinalibus Eccleſiæ Pontificem memoratum crearunt. Cui electo univerſi unanimi conſenſu ſe ſubmiſerunt præter Benedictum, à quo nemo quidquam formidabat ab omnibus deſpecto, ſuaque arce veluti carcere concluſo: unde alterius moleſtioris carceris formidine pedem efferre auſus non eſſet. Synodus Conſtantienſis inchoata Chriſti anno milleſimo tercenteſimo decimoquarto, dirempta eſt milleſimo tercenteſimo decimo octavo anno.

Gregorius quidem duodecimus ante ſolutum Concilium interiit. Joannes autem vigeſimus tertius pri-

mis

mis quidem ſeſſionibus Synodo præſedit, at mutato poſtmodum animo clam ſubduxit, & in oppidum quoddam Ducis Auſtriæ implorata ejus ope ſe recepit. Quæ cauſa fuit Synodo in ipſum aſperius agendi. Poſtulatus itaque fuit gravium criminum reus, quorum fuit multis probationibus, & teſtimoniis ſervato juris ordine convictus, eidemque de novo lata ſententia Patres Pontificatum abrogavere. Quam etiam ſententiam proprio conſenſu Joannes ipſe approbavit, neque diſtulit Pontificio palam ſe abdicare, poſtquam Sigiſmundus eum ex fuga receptum ad Concilium reduxit.

Interea dum in cuſtodia juſſu Concilii ne quid contra Eccleſiæ quietem moliri poſſet detinetur, Joannes cuſtodibus, vel eluſis, vel corruptis dilabitur denuo, atque ad novum Pontificem Martinum Florentiæ tunc degentem confugit, & ſe abjicit ad ejus pedes, à quo perbenignè fuit exceptus, conceſſumque ipſi, ut libertate cùm Cardinalis gradu aliiſque honoribus, & Eccleſiaſticis emolumentis potiretur.

Antipapa verò Benedictus ſeptennium Concilio ſupervixit, atque in ſuis etiam latebris ad extremum ſpiritum ſe pro ſummo Pontifice geſſit. Hic ab electione ſua totos triginta annos ſuam illam umbratilem dignitatem ingenti Eccleſiæ damno produxit. Perduravit ſchiſma uſque ad Conſtantienſe Concilium annos quadraginta. Si verò annos recenſeas Petri Lunenſis quibus ſuperſtes Concilio fuit, & annos quos deinde tranſegit ſubrogatus ei ſucceſſor, pertingit ſchiſma ad quinquageſimum annum. Tres enim Benedicti Cardinales ſicut hic moriens illos adjuraverat, ſucceſſorem illi dederunt, qui ſe Clementis octavi nomine inſignivit. Alfonſus porrò Arragonum Rex Martino V. infenſus, quod eſſet in Ludovicum Andegavenſem propenſior, cum quo Alfonſus bello contendebat pro Neapolitano Regno, Clementem Antipapam ad novos Cardinales creandos impulit ejuſque

pa-

patrocinium apertè ſuſcipit. At Clemens tandem meliori conſilio poſt aliquot annos ſe Martino ſponte didit.

Alteram Conſtantiæ Synodo cauſam præbuit Huſſitarum hæreſis, quæ tota Bohemia increbuerat. Joannes enim Hus Sacerdos Joannis Vuicleffi Angli libros, & errores per Bohemiam diſſeminavit novis etiam adjunctis, quos omnes ſacra Synodus exectata eſt. Joannes Hus flammis addictus eſt.

Par quoque ſequenti anno ſupplicium tulit Hieronymus Pragenſis earundem hæreſeωn acerrimus propugnator. Inter Huſſitarum inſigniores hæreſes Conſtantiæ præſcriptas hæ recenſentur. Hoſtiam conſecratam eſſe merè materialem panem, Chriſti verò Corpus non eſſe in Euchariſtia concipiendum niſi figurativa locutione. Confeſſionem ad aurem nihil eſſe quàm hominum inventum. Papam Romanum eſſe verum Antichriſtum. Neque Regem, neque Principem ullum, neque Epiſcopum, neque Magiſtratum, neque Sacerdotem eſſe niſi nomine tenus, dum eſt in mortali peccato. Poſſe, & debere quemcumque tyrannum à quocunque ſubdito interimi. Impium inventum, & Euangelio contradicens eſſe communionem in ſolo pane excluſo calice. Eccleſiam non conſtare niſi ex ſolis prædeſtinatis.

Seſſione 13. receptam dudum conſuetudinem communicandi populum ſub ſola panis ſpecie ſic approbat Synodus Conſtantienſis, ut aliter fieri ſua excommunicatione vetet.

Quam prohibitionem innovavit Tridentinum Concilium *ſeſſione* 21. *capitul.* 2. Concilium Oecumenicum Claromontanum cui præſedit Urbanus Papa ſecundus prohibuerat ſanè communionem ſub una tantùm ſpecie Sacramenti. Canon. 28. Hic itaque ſententia verificatur Auguſtini *libr.* 2. *de Baptiſ.*

cap. 3. *ipſa* (inquit) *plenaria Concilia ſæpè priora à poſterioribus emendantur, quum aliquo experimento rerum aperitur, quod clauſum erat, & cognoſcitur quòd latebat.* Hoc tamen Auguſtini effatum non aliter intelligendum eſt quàm in rebus diſciplinæ, vel facti, ut perſonatum, non verò in definitionibus circa fidem cùm hæ ſint in Eccleſia immutabiles. Gelaſius etiam Papa *de conſecrat. diſt.* 2. comperimus, ſtatuerat *ut ſinguli ſub utraque ſpecie communicare tenerentur.* Cui decreto videntur occaſionem præbuiſſe Manichæi, quos Romæ in Gelaſio. Hi enim vinum execrabantur. Ideoq; S. Leo Papa *ſer.* 4. *in Quadrag.* obſervari præcipit in Synaxibus Manichæos, quatenus indiſcriminatim cum fidelibus in ſacro pane communicabant, ſed à vivifico ſemper Calice abſtinebant. Liberum quippe fidelibus hactenus fuerat vel ſub una, vel ſub utraque ſpecie Euchariſtiam ſumere.

Sect. 39. decernitur, ut deinceps celebrentur ad minimum ſingulis decenniis Oecumenica Concilia per papam ſub finem præcedentis Concilii indicenda. Sic verò decretum incipit, *Generalium Conciliorum celebratio agri Dominici præcipua cultura eſt, qua vepres, tribulos, & ſpinas hæreſum, & errorum, & ſchiſmatum extirpat, exceſſus corrigit, deformata reformat, & vineam Domini ad frugem uberrimæ fertilitatis adducit: illorum verò neglectus præmiſſa mala diſſeminat atque fovet.*

CON-

CONCIL. FLORENTINUM inter Generalia decimum octavum.

PRimus docuerat Neſtorius hçreſiarcha Spiritum ſanctum à ſolo Patre procedere. Huic concordat Theodoritus, dum patrocinium ſuſcipit Neſtorii in ſuis ad Cyrilli anathematiſmos cenſuris, tametſi diſceptationis caput non in hoc verſaretur, ſed in perſona Chriſti, dignitate, ac nomine Deiparæ. Ideòque viſum non fuit Patribus Epheſi congregatis, & Chalcedone, reliqua huc minimè pertinentia, & obiter tantum dicta diſcurrere. Deinde Photius poſtquam in ſedem Conſtantinopolis violenter irrupit, ideòque à Nicolao I. Pontifice rejectus de fidelium communione fuit, hanc de proceſſione Spiritus ſancti hæreſin inſtauravit in ſuis encyclicis litteris blaſphemiarum, & conviciorum plenis adversùs Apoſtolicam ſedem. Hæreſis hæc morte Photii ſopita fuit, donec eam inſtauravit Joannes Hieroſolymitanus Monachus tempore Leonis Papæ III. & Caroli magni, quam etiam tunc primum damnavit Concilium Aquiſgranenſe. Quó verò hæreſis hæc efficaciùs propagaretur, viſum eſt ad pleniorem Concilii Conſtantinopolitani declarationem vocem *Filioque* adjicere.

Quis enim negare poſſit eandem Eccleſiam, quæ novum potuit procudere ſymbolum ad novas propulſandas hæreſes, poſſe ſimiliter per unius alteriuſve vocis adjectionem, hæreſin extinguere ſeſe noviter efferentem? Græci tamen ſchiſmate ab Eccleſia divulſi adversùs Romanam Eccleſiam ſibi prorsùs inviſam anathema dicere auſi ſunt. Enim verò quod attinet ad ipſam de Spiritus proceſſione fidem, non uſquequaque poſt exortum ſchiſma à Latinis diſſidebant.

Ff 2 Leo

Leo quippè ſextus cognomine ſapiens Orientis Imperator Baſilii Macedonis filius, & Photio Pſeudo-patriarchæ σύγχρονος, & coætaneus, epiſtolam ſcripſit ad Omarum Saracenorum Regem de Chriſtianæ fidei veritate, in qua ſanctiſſimæ Trinitatis exponens fidem, Spiritum ſanctum à Patre, Filioq; ſimul procedere profitetur: unde colligit Baronius ad ann. 911. hanc doctrinam tum temporis adhuc invaluiſſe penes Græcos, tametſi Photius diſceſſionis à Romana, & Apoſtolica ſede undequaque cauſas conquirens, illam ipſam Latinorum fidem reprobaret, à qua poſteriotibus ſæculis univerſus tandem Oriens diſceſſit. Quamquam in Lugdunenſi Concilio ſub Gregorio X. cui interfuere Græci, palàm nobiſcum profeſſi eſſent Spiritum à Patre Filioque procedere, ac dimanare, quam etiam tenuit fidem tota reliqua vita ſua Michael Palæologus Imperator: ſed haud multò poſt ab ea rurſus fide Græca deſcivit.

Tandemque Eugenius Papa IV. ut accepit Joannem Palæologum Græcorum Imperatorem, & Joſephum Conſtantinopolis Patriarcham expetere Apoſtolicæ Eccleſiæ unitatem, eos miſſis litteris, & legationibus ad rem perficiendam eſt cohortatus. Ea verò de cauſa generale Occidentalium, & Orientalium Concilium Ferrariæ indixit, qui ad Baſileenſe Concilium convenerant, quorum etiam conventum ſuo ante diplomate abrogaverat. Horum pars obtemperavit, & Ferrariam conceſſit: reliqua pars Baſileæ pertinaciter hæſit: quin etiam miſſis Legatis Palæologum, & Orientales ad ſuum conciliabulum invitavit. Sed his potior Synodus fuit quæ Summi Pontificis approbatione fulciebatur. Joannes Palæologus cum ampliſſimo Epiſcoporum Orientalium comitatu honorificè, & liberaliter ab Eugenio, ſacraque Synodo exceptus eſt. Præter Patriarcham Regiæ urbis Joſephum adfuerunt Eccleſiarum Alexandrinæ, & Antiochenæ, & Jeroſolymitanæ legati.

Anno

Anno itaque ſupra milleſimum quadringenteſimo trigeſimo ſeptimo apertum eſt Ferrariæ generale Concilium, atque ab initio præcipua diſſentionum capita inter Latinos, & Græcos ventilata ſunt de proceſſione divini Spiritus, de additione verbi ad Symbolum, de ſacrificio in azymo, aut fermentato, de purgatorio, de præſenti Sanctorum in Cœlo felicitate, de primatu Romani Epiſcopi. Quibus de rebus ſigillatim ita in Concilio diſputatum eſt, ut ſenis ex Latinis, & totidem ex Græcis delectis in medio conſiſtentibus unus quidem proponeret, alius ex altera parte reſponderet. Aderat utrobique interpres, qui quæcumque ſive Græcè, ſive Latinè dicebantur alterius linguæ parti explicaret. Aderant hinc inde Græci, Latinique Notarii quæcumque hinc inde dicebantur ſinguli proprio ſermone ſcriptis excipientes. Annum integrum hæ diſceptationes Ferrariæ Concilium diſtinuerunt.

Cùm verò Ferrariam peſtilens lues inſediſſet, Florentiam demum Synodus translata eſt, ubi quatuor etiam continuis menſibus diſputatum eſt. Antiqui Patrum Sanctorum, & Conciliorum codices Græci, Latinique producti exploratique fuerunt, ſcriptæque diſputationes identidem relectæ.

His peractis Græci in Latinorum conſenſum acceſſerunt, & omnium ingenti lætitia, & gratulatione Græca Eccleſia Latinę ſe adjunxit. Joſephus Conſtantinopolitanus Patriarcha paulò ante Concilii finem obdormivit in Domino, cum vivens in ſchedula ſcripſiſſet ſe Romani præſulis primatum, Romanæque fidem Eccleſiæ agnoſcere, profiteri, & complecti. Omnium denique Latinorum, atque Græcorum (præterquam Marci Epheſini Metropolitæ) conſenſu, nonis Julii anno æræ Chriſti milleſimo quadringenteſimo trigeſimo nono, communi decreto Gręcè, Latinèque edito definitum, proclamatum fuit, Spiritum ſanctum à Patre Filioque, ut ab uno principio æterna-

liter procedere unica utriuſque ſpiratione. Atque ut hæc fides cunctis ad ſalutem proponeretur, fuiſſe convenienter ſymbolo additam Filii vocem, Et ſive in azymo, ſive infermentato pane triticeo Chriſti corpus ritè confici poſſe.

Aliquem eſſe purgatorii locum, in quo fidelium in Chriſti gratia decedentium animæ, quæ necdum dignis pœnitentiæ operibus pro culpis de integro, & ex æquo ſatisfecerunt, cruciatibus ad tempus expurgantur, eaſdemque viventium fidelium ſuffragiis adjuvari. Eorum autem animas qui nullam à ſuo baptiſmo culpam contraxerunt, vel contractas maculas condigna pœnitentia eluerunt, in cœlum mox à morte recipi, & ſine mora claro Dei conſpectu perfrui. Poſtremò Romanum Pontificem verè primarium, & univerſalem Jeſu Chriſti Domini Vicarium, & Apoſtoli Petri ſucceſſorem, totiuſque Eccleſiæ caput eſſe.

His omnibus peractis, diremptoque Concilio, Legati Armenorum Florentiam ingreſſi fidem, & ſubjectionem Romanæ Eccleſiæ profeſſi ſunt. Quibus litteras dedit Eugenius, per quas Armeni circa Sacramenta Eccleſiæ pleniùs inſtruerentur. Verùm tamen poſt Patrum in Græciam reditum, illa natio tum ingenita ſibi præſumptione, tum diuturnæ diſſenſionis conſuetudine, tum veteri Latini nominis odio ſimulata, accedentibus ad hæc Marci Epheſini querimoniis, & ſuaſionibus, in priſtino maluit ſchiſmate perſiſtere, tametſi Imperator, & quicumque una cum eo Romanam fidem Florentiæ profeſſi erant, in ſancto propoſito conſtanter perſeverarunt. At gentis perfidiam poſt paucos annos ultus eſt Deus armis, & invaſione Mahumetis II. Turcarum tyranni, qui mox ab obitu Joannis Palæologi regnante hujus fratre Conſtantino Palæologo Conſtantinopolim expugnavit, cæteroſque omnes dira ſervitute oppreſſit ipſo Spiritus ſancti die ſexto anno ſupra milleſimum quadringenteſimum quinquageſimo ter-

tio,

tio, ut ante triennium ipſis prænunciaverat Nicolaus Papa V. Eugenii ſucceſſor adducta illa Euangelica parabola de ficu ſterili triennio exculta, & juſſu tandem Domini ob ſterilitatem exciſa. Fidelis verò Joannes quaſi alter Joſias ſubtractus eſt ex hac vita, priuſquam Gentiles urbem, & Templum Dei occuparent.

Ex Græcis, qui popularium ſuorum reductioni ſtrenuam navarunt operam eximiæ laudis meritum reportarunt Joſephus Patriarcha, tum Beſſarion Nicænus Epiſcopus, tum Iſidorus Archiepiſcopus Theſſalonicenſis, qui deinde præclaris editis in lucem voluminibus libros Marci Epheſini, quibus hanc Synodum proſcindebat refellit. Quos eoſdem Marci libros alii pariter Orthodoxi Græci, contrariis libris oppugnarunt Joſephus Methonenſis Epiſcopus, & Gregorius Hieromonachus magnus proto ſyncellus, & poſtmodum Joſepho Patriarchæ Regiæ urbis defuncto ſuffectus.

A quo primùm facta fuerit illa in Symbolo tantoperè agitata additio incompertum eſt. Adeò certè antiqua eſt, ut illam Photius Pſeudo Patriarcha Latinæ Eccleſiæ vitio vertat, indeque captet criminandi occaſionem in ſua Encyclica epiſtola aliiſque ſcriptis. Leguntur fidei profeſſiones in Toletanis Conciliis, in tertio quidem ſub Pelagio II. Pontifice, & Recaredo I. Catholico Viſigottorum Rege, anno Domini quingenteſimo octogeſimo nono: deinde in quarto Toletano, cui Sanctus præſedit Iſidorus Hiſpalenſis Epiſcopus: Poſtmodum in ſexto in quibus omnibus expreſſa fidei profeſſione aſſeritur à Patre Filioque Spiritum ſanctum procedere.

CONC. BASILEENSE.

INchoatum Baſileenſe Concilium fuit paulò ante Florentinum, deinde unà cnm Florentino, ſed oppoſitis ſtudiis continuatum. Cæptum quidem fuit Baſileæ anno milleſimo quadringenteſimo trigeſimo primo, ac poſtmodum Lauſanam translatum extitit, utpotè à Martino Papa V. indictum Ex quo tamen fuit ab Eugenio revocatum, evaſit deinceps illegitimum. Perſtitere nihilominus Baſileenſes Patres ad annum uſque milleſimum quadringenteſimum quadrageſimum nonum, quo eodem crearunt Antipapam Amadæum Sabaudiæ Ducem ſub nomine Felicis V.

Quamvis autem ſanctionem pragmaticam à Synodo Baſileenſi editam Rex Francorum Carolus VII. in ſuo regno ſervari juſſerit, eo nomine quod multos reſecaret invectos per ambitionem, & avaritiam abuſus, atque diſciplinam Eccleſiaſticam ad priſtinam ſanctitatem puritatemque, ac velut ad auream Eccleſiæ primitivæ ætatem revocaret, in reliquis tamen omnibus nolit Rex Carolus Baſileenſia comitia probare, aut eorum decretis obſequi: Quinimò ad illa diſſipanda Ludovicum primogenitum ſuum cum valida manu tranſmiſit ad Baſilienſium fines, qui cruento admodum conflictu exercitum Helvetiorum fudit. Cumque Amadæus ſuos deſtinaſſet ad Franciæ Regem atque ad alios principes Legatos, hi omnes ut fidem facit Pius Papa in Europæ deſcriptione c.42. incaſſum abjerunt. Fridericus quidem III. Imp. Baſileæ aliquandiu reſedit Conciliabuli fautor ſed meliori demum conſilio inito, ſe inde clam, & intempeſta nocte ſubduxit, ne videretur idolum adoraſſe, atque pſeudo Papæ authoritatem approbaſſe. Hæc verò ſolummodo fuit à ſubjectis Sabaudo Duci populis, & ab Helvetiis, finitimiſque Germaniæ civitatibus liberis (ut ſcribit Pius) recepta, & approbata.

Ca-

Carolus demum Franciæ Rex ſe pacis honorarium arbitrum interpoſuit, atque Amadæum Nicolao Papa quinto reconciliavit Eugenii ſucceſſori, qui eidem & Cardinalis, & per omnem ipſius temporalem ditionem Legati Apoſtolici contulit dignitatem. Idemque aliqua circa rem beneficiariam decreta Baſileenſium confirmavit. Hujuſce verò Baſileæ conventus reprobatio legitur in Lateranenſi Concilio ſub Leone X. ſeſſ. 11.

Vt verò innoteſcat, quanti referat utrum quis ex bona an ex mala fide operetur, Ludovicus Alemannus Cardinalis, & Arelatenſis Archiepiſcopus, qui gravium illius temporis Theologorum, & Canoniſtarum judicio fretus altiſſimam conceperat exiſtimationem pro Concilii ſupra Pontificem authoritate, quique aliunde zelo exardebat inſtaurandæ Eccleſiaſticæ diſciplinæ, quam firma perſuaſione credebat à Romana curia dudum labefactatam, & corruptam. Connitebatur præterea Concilii Oecumenici Conſtantienſis declaratione in ſeſſ. 4. qua definitur, Concilium generale legitimè congregatum ea pollere authoritate, quæ Papam ipſum aſtringat, & cogere poſſit ad obediendum: nec poſſe ullatenus à ſummo Pontifice infringi, vel transferri, vel dirimi: inflexibili animo mandatis Eugenii obſtitit, & pro Baſileenſi conventu firmiſſimè ſtetit. Innitebatur inſuper Ludovicus Alemannus ipſemet approbationi Martini Papæ V. qua Concilium illud confirmavit quoad omnia ejus decreta conciliariter (ut ipſe loquitur) facta. Id verò Conſtantienſe decretum renovarunt Baſileenſes ſeſſionibus primis: quæ cauſa Eugenio IV. fuit revocandi Concilium: quod tamen cùm non obtemperaret, imò, & de novo creando Papa deliberaret, tum Eugenius unitati Eccleſiæ conſulens, ſuam illa revocationem abrogavit, & Legatos iterum ad Concilium miſit. Tum Baſileenſes Patres idem decretum iterarunt

ſeſſ.

ſeſſ. 18. Quam ob cauſam Legati Eugenii II. diſceſſere & Eugenius IX. Synodum Ferrariæ indixit. At Baſileenſes ſeſs. 33. eandem propoſitionem inſtaurantes declararunt eſſe divinæ fidei. Quod poſtea damnavit ſub Leone Synodus Lateranenſis ſeſſ. 11. Atque his adductus argumentis Ludovicus non ſolum minimè obtemperavit Eugenio revocanti, verùm etiam perſtitit Baſiliæ, præſedit Conciliabulo, & Antipapam obtruſit in Eccleſiam, quique idcircò (niſi bona fides, rectaque intentio ejus gravium, & piorum doctorum judiciis confirmata obſtitiſſet) judicari poſſe videbatur impius, ſchiſmaticus, & anathemate innodatus, quod in ipſum ejuſque aſſeclas fulminaverat Eugenius: quia tamen hac in re nullo ſibi adblandiebatur humano affectu, nec niſi bona intentione cum prudentum ejus temporis conſilio conjuncta ducebatur, dirempta demum Pſeudo Synodo, ita paulò poſt obiit, ut fuerit poſt obitum miraculorum gloria illuſtris, ſitque etiam nunc ejus tumulus in ſumma apud Arelatenſes veneratione. Mihi videtur vir iſte conformitatem cum Paſchaſio habere Eccleſiæ Romanæ Diacono, qui cum Laurentii ſchiſma ſincera (ut credi par eſt) fide foviſſet, miraculis poſt mortem claruit, etiamſi errorem ſuum haud impunè in purgatorio tulerit, ut Sanctus Papa Gregorius in Dialogis refert. Pius Papa Secundus qui pleroſque annos in Baſileenſi cœtu conſederat, ipſumque acriter adverſus Eugenium damnantem propugnaverat, & poſtmodum mutata ſententia ſummo ſtudio impugnaverat, ſic loquitur in libro à ſe dum ſummus eſſet Pontifex compoſito, ſcilicet in deſcriptione Europæ cap. 42. *in Arelate ad ſepulchrum Ludovici Cardinalis ſanctæ Cæciliæ ejus urbis Epiſcopi, quem Baſileæ in conſeſſu patrum præſidentem vidimus, magna miraculorum opinio orta eſt, & invalidorum frequens undique concurſus ſpe ſanitatis factus.* Hæc eadem bonæ fidei ratione non excidit priſtina ſanctitate Cyprianus, qui Africana Conci-

cilia quibus hæreticorum baptiſmus erroneè judicabatur invalidus, adverſus juſtum Stephani Papæ decretum paulò antè martyrium ſuum propugnavit, atque obſiſtentem Stephanum paulò acriùs conſcripta epiſtola perſtrinxit. Simili ratione citra jam acquiſitæ ſanctitatis detrimentum Vincentius Ferrerius, vir ſi quis alius Apoſtolici ſpiritus, Petrus Lutſemburgus ſub ſchiſmatico Papa Cardinalis bona fide ambo ducti & rationibus quas ſolidiſſimas credebant perſuaſi, nulloque ſæculi affectu abrepti, partes Petri de Luna ſectabantur, quas tamen diva Catharina Senenſis, atque alii Sancti, ut ſchiſmaticas execrabantur. Igitur etiamſi nullum apparuerit in Ludovico Alemanno publicæ retractationis aut pœnitentiæ veſtigium, poſt tam diuturnum, & Publicum quod ipſe excitarat, & foverat ſchiſma, nil tamen iſtud obſtitit quo minus Clemens Papa VII. vitæ alioqui ſanctitate, & miraculorum gloria illuſtres Cardinales Ludovicum iſtum, & Petrum Luthembergum in beatorum album retulerit, ut ſcripſere in ſuis Eccleſ. hiſtoriis Henricus Spondanus ad ann. 1438. & Odoricus Rainaldus ad 1450. & Ciaconius, qui refert ad longum ipſum Clementis diploma de vitæ utriuſque ſanctitate, & cultu ambobus deferendo.

Appendix ad Concilium Baſileenſe de Annatis.

PRælaturarum quidem annatas, quas Papa exigere conſuevit, abolere omnino conatum eſt Baſileenſe Concilium. Eam tamen conſuetudinem, ſi tamen annatarum pecuniæ collectæ non in vanos, aut ſæculares uſus, ſed in Eccleſiarum aut miſerabilium perſonarum utilitatem expendantur, nihil habere injuſti multis rationibus comprobatur.

1. Quia divino juri conformes ſunt annatæ. Etenim numer. 18. ſingulis annis decimam decimarum, & pri-

primitiarum à Levitis, & Sacerdotibus perſolvi præcipitur ſummo Sacerdotio.

2. Cunctis animarum curam gerentibus decimæ debentur divino, & naturali jure *c.* 1. *cauſæ*, 16. *q.* 7. & c. 1. de decimis, ubi præclarum Hieronymi teſtimonium profertur, & *c. cùm ſecundum de præb. Et qui altari ſervit, de altari vivere debet*. 1. Cor. 9.

3 Ex Later. Concilio ſub Innocentio III. debetur Epiſcopo à ſubditis Eccleſiis charitativum ſubſidium, & inſuper jure Cathedratici, & Synodatici, quartaque decimarum pars. *c. conquerente de offic. jud. ord.* Abſurdum ergo foret, ſi Papa univerſi gregis Dominici paſtor ſolus ab hujuſmodi juribus excluderetur. *Quis paſcit gregem & de lacte ejus non manducat?* 1. Cor. 9 Præcipuè cum ſolus Papa decimas annuas nullas percipiat.

4. Eccleſia unum conſtituitur myſticum corpus, Roman. 12. *Multi unum corpus ſumus in Chriſto ſinguli autem alter alterius membra*. Sicut autem capitis officium eſt ſingulorum membrorum incolumitati providere, ſpirituſque elaborare, & tranſmittere, quorum præſidio membra poprios ſenſus, & motus exerceant: ſic etiam convenit, ut ſubjecta membra caput viciſſim alant, & protegant.

5. Papa ſponſus eſt Eccleſiæ, atque fidelium pater. Atqui ſuis in neceſſitatibus pater compellere filios poteſt, ut alimenta ſibi ſubminiſtrent eoſque etiam ad ſui ſuſtentationem vendere, *l. qui filios, c. quæ res pign. obl. poſſ. l.* 1. & 2. *C. de patribus qui fil. diſtraxe*. Et filiæ matrem inopem alere tenentur, *l. filiæ, c. de adoptionibus*. Ad maritum quoque pro oneribus matrimonii fructus dotis pertinent, *c. per veſtras, in fin de donat. inter virum & uxorem*.

6. In recognitionem ſupremi dominii perſolvenda ſunt Principibus tributa: itaut ſubditi contra jus iſtud nulla ſe tueri præſcriptione poſſint, *l. competit C. de præſcript.* 30. *annor.* Imò jus divinum id ſanxit *Matth.* 22. *Licet*

cet cenſum dare Cæſari, an non? Reddite quæ ſunt Cæſaris, Cæſari. Et Rom. 23. *Reddite cui tributum tributum, cui vectigal vectigal.* Papa verò eſt univerſæ Eccleſiæ Dominus, & Princeps.

7. Cuilibet judici debetur ex publico ſtipendium, ac ſalarium, *authent. ut diff. jud. §. fin.* Quæ res in ratione communi fundatur ut qui multitudinis curam gerit, talibus muniendus ſit præſidiis, quibus onus regiminis valeat ſuſtinere.

8. Si poteſt Papa conferendo alicui præbendam imponere penſionem annuam in favorem pauperis alicujus Eccleſiæ, vel Clerici, cur non (quod multò minus eſt) annatam ad ſubveniendum ſuis, & Eccleſiæ toto orbe diffuſæ indigentiis? Romanam enim Eccleſiam ipſa neceſſitas excuſat, cùm non poſſit de ſuo cunctis ſibi ſubditis Eccleſiis providere. Præter enim ordinarias expenſas, quotidie ferè providendum eſt extraordinariis, tum ad fidem innumeris locis propagandam, tum ad ſuſtinendas bellorum contra infideles aut hæreticos armatos expenſam, tum ad alias innumeras pietatis cauſas.

9. Valet titulus præſcriptionis immemorabilis, & conſuetudinis, cujus initii memoria non extet: quo fit ut res olim voluntaria evadat neceſſaria, *cap. ad Apoſtolica de Simon.* At jus iſtud annatarum conſuetudine plurium ſæculorum invaluit, nec certum aut compertum eſt earum initium. Quamvis enim non legatur aperta illarum in jure mentio ante *c. cum nonnullæ, in extrav. com. tit. de preben.* illa tamen Joannis Papæ vigeſimi ſecundi conſtitutio nihil docet fuiſſe tum primum inſtitutas annatas. Deinde Bonifacius nonus annatas beneficiorum conſiſtorialium, hoc eſt Epiſcopatuum, & Abbatiarum, quæ olim continebant integrum annui proventus valorem, tribus annis per tertias partes ſolvendum, reduxit ad mediam unius anni fructuum partem, ſed quæ integrè perſolvatur ad litterarum collationis, ſeu proviſionis

ex

expeditionem. Atque iſta ipſa nunc viget annata, quæ idcirco dicitur Bonifaciana.

Joannes quidem Gerſon Pariſiorum Univerſitatis Cancellarius pietatis inſignis ac ſapientiæ doctor *tract. de Simon.* annatas Simoniæ coarguit, applicans illud Euangelicum: *gratis accepiſtis gratis date*. *Matt.* 19. At ipſe fallitur, quatenus exiſtimat annatas exigi pro ipſa beneficii collatione. Cum ergo omnis ejus ratio in hoc fundetur, non poteſt eſſe niſi ruinoſa ejus omnis ſuperſtructio quæ falſo nititur fundamento. Supponendum quippe eſt cum Proſpero Fagnano tria in quovis beneficio ſpectari 1. ipſum beneficium. 2. proviſionem, ſeu collationem beneficii, 3. fructus beneficii. Si itaque propter beneficium, aut propter hujus collationem annatæ onus imponeretur, interveniret eo caſu manifeſta ſimonia juxta *c. ſi quis Epiſcopus* 1. *q.* 3. At annata ſolis fructibus imponitur. Porrò in fructibus poteſt diverſo reſpectu eſſe vel non eſſe Simonia. Spectati enim fructus prout connexionem habent cum beneficio, aut clericatu non poſſunt abſque Simonia pretio diſtrahi, & uno vendito alterum non relinquitur invenditum, ut docet *c. ſi quis objecerit*, & *c. Saluator*, 1. *q.* 3. At connexio iſta non eſt in annatis, quatenus hæ nihil ſunt, quàm deductio ex fructibus beneficii ſub tit. æris alieni, quod Summo Pontifici debetur, quod eidem acquiritur in illa ſive vocationis, ſive proviſionis circumſtantia: quemadmodum pariter poſſunt citra Simoniæ labem fructus beneficii pro quocumque debito hypothecari, aut vendicari, ipſeque beneficii poſſeſſor poteſt fructus vendere, aut locare certo pretio. His enim caſibus ceſſat illa rei ſpiritualis cum temporali connexio, eoq; modo ſpectati fructus ſunt merè temporales. Itaque annata neque beneficii, neque collationis pretium eſt, qua ratione foret Simoniaca: ſed eſt dumtaxat deductio, ac reſervatio æris alieni Pontifici debiti pro ſuis, & Eccleſiæ neceſſitatibus, aut etiam de-

bitı

biti pro recognitione ſupremi, quod habet in omnem Eccleſiam dominii. Atque ita collatio beneficii non habet hic rationem cauſæ, ſed tantùm circumſtantiæ.

CONC. LATERANENSE V. Sub Leone X. & inter generalia decimum nonum.

Ndictum iſtud à Papa Julio II. fuit, & auſpicatum anno ſupra milleſimum quingenteſimo duodecimo, ut ſchiſmati occurreret quod Piſanum Concilium invexerat, provideretque orbis Chriſtiani ſtatui tum temporis turbulentiſſimo propter bellorum incendia. Sed mox ab inchoato Concilio moritur, & ad Dei judicium evocatur Julius. Qui verò in ejus locum ſuffectus eſt Leo Decimus Concilium proſequitur, in quo etiam initam cum Franciſco Francorum Rege conventionem in locum ejuratæ ab eodem pragmaticæ ſanctionis ſubrogatam approbavit ſub nomine Concordati, quo cætera electionum jura circa Epiſcopatus, & Abbatias antiquantur, & abrogantur, & Franciſcis Regibus ad iſta quæ vocantur conſiſtorialia beneficia nominatio indulgetur, cum aliis juribus quæ Regalia nuncupantur: & viciſſim annatarum jure fiſco Apoſtolico reſtituuntur.

Hoc verò minimè reticendum eſt, Ludovicum nomine duodecimum Francorum Reges, miſiſſe ad iſtam Lateranenſem Synodum, cui tum Leo Pontifex præſidebat, tres Legatos Fridericum à Sancto Severino Cardinalem titul ſancti Angeli, Claudium Seiſſel electum Maſſiliæ Epiſcopum, & Ludovicum Forbin Dynaſtam Solerii, qui Regis nomine Piſano conventui adverſus Julium collecto abrenunciarunt. Leoni ve-

rò,

to, & Later. Concil. fidem, & obſequium polliciti ſunt, ut refertur in hujus Concilii ſeſſ. 8. deinde Franciſcus Rex Ludovici gener, & Regni ſucceſſor ſimilem eidem Concilio, necdum ſoluto præſtitit obſervantiam.

Seſſ. 5. omnium aſſenſione Patrum probata receptaque fuit Julii Papæ conſtitutio declarans Rom. Pontificis electionem quæcumque per Simoniam fiet nullam prorsùs, & invalidam fore, nullumque jus vel authoritatem electo collaturam. Cardinales verò ſic eligentes Canonicæ depoſitionis, & irregularitatis pœnas eo ipſo facto incurrere. Cæterum quamvis bonæ intentionis laudem meretur iſta ſanctio, ſi caſus tamen cui proviſum voluit accideret, pernicioſiſſimo ſchiſmati viam aperiret. Si enim electus Papa, & Cardinales electores Simoniæ rei eſſent, quiſnam exurgeret contra illos actor? & quiſnam ſederet judex? Et ſi pars Cardinalium rea quidem eſſet, cæteri verò Cardinales litem contra priores intentarent, novumque inter ſe Pontificem eligerent, quis poſſet natam exindè diſcordiam conſopire, præſertim ſi pars Simoniæ rea vellet pervicaciter hanc inficiandam à ſe infamiam amoliri? Periculoſæ itaque plenum opus aleæ ſuſciperetur. Eo ſanè caſu ſatius videretur qualemcumque promotum, & ſemel admiſſum tolerare pari prudentia, & cautione, qua olim Eccleſia Felicem, & Vigilium toleravit, qui nefariis artibus ſacram Petri aliquando Cathedram invaſerant, ne hac occaſione ſchiſma prorumperet; Eo namque fine graviſſimam perniciem antevertendi multa facta tenent juxta juris prudentiæ regulam, quæ fieri prohibentur.

Seſſ. 8. cœpit aliquando ſubnaſci diſſidium inter Concilium, & ſupremum Aquenſem Senatum, cui tum præſidebat Gervaſius Bellomontium, ſacri namque Concilii procurator Marius Senatum uſurpatæ Eccleſiaſticæ Juriſdictionis incuſavit apud Lateranenſes Patres, ſed prudentia, & Religione Senatus ſimultas omnis, & diſſenſio extincta eſt.

Seſſ.

Seſſ. 9. multa decernuntur circa ordinem, & diſcipli-nam. *In his ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales (quos declarat S. Synodus cæteris omnibus Eccleſiæ dignitatibus, poſt Summum Pontificem antecellere) famulitio menſa, ac ſuppellectili non faſtum, ac pompam, ſed modeſtiam, & frugalitatem ſtudeant exhibere. Deinde ita ſubjungitur. Domus Cardinalis patens hoſpitium portuſque, ac refugium proborum maximè & doctorum virorum, & pauperum nobilium, honeſtarumque perſonarum eſſe debet*. Similiter ordinavit olim Carth. Concilium quartum Can. 15. *Ut Epiſc. ſupellectili paupere, menſaque & victu vili, & frugali utantur*. Et poſtremò Trid. Concilium plenius hæc præſcribit *ſeſſ.* 25. *c.* 1. in decreto de refor.

Providetur hac eadem ſeſſ. 9. ut quæ circa ſuppellectilis, & menſę famulitiique modeſtiam præſcripſit Cardinalibus, locum etiam habeant in ædibus famulitioque Summi Pontificis. *Quæ omnia* (inquit) *& ſingula in noſtris, & cujuſcumque Romani Pontificis pro tempore exiſtentis familiaribus, ac etiam curialibus locum habere volumus; Hoc uno tantum excepto, quod dicti noſtri, & Romanorum Pontificum familiares, rubri coloris veſtimenta geſtare poſſint, pro decentia, & conſuetudine dignitatis Pontificalis*.

Hic aliquis demiretur à Leone Papa, & Concilio legem futuris Summis Pontificibus imponi, cùm tamen par in parem non habeat imperium. Verumtamen duplex eſt diſtinguenda poteſtas, coactiva ſcilicet, & directiva. Harum prima connotat imperium, & ex parte decernentis requirit juriſdictionem, atque authoritatem: ſecunda verò circa bonos mores, & congruentem diſciplinæ ordinem, habet locum etiam inter pares: imò & congruit nonnumquam inferiori erga ſuperiorem prudens admonitio, & fraterna diſcretaque correctio. Itaque poteſtate directiva poteſt uti erga ſummos Pontifices legitima Synodus, & Pontifex præſens erga ſucceſſores, non verò poteſtate coactiva, qualem aliquando

volunt indebitè ſibi aſſumere Concilium Baſileenſe.

Præter iſtud Lateranenſe decretum circa Summi Pontificis officium alia ſimilia proferri poſſunt, & antiquiora, & recentiora. Nam tertia Romana ſub Symmacho Pontifice Synodus ſic decernit: non liceat Papæ prædium Eccleſiæ alienare aliquo modo pro aliqua neceſſitate, nec in uſumfructum prædia dare, niſi tantummodo domos, quæ in quibuslibet urbibus non modica impenſa ſuſtentantur. Liceat etiam quibuslibet Eccleſiaſticis perſonis contradicere, & cum fructibus alienata repoſcere. Quod non modò in Apoſtolica ſervandum eſt Eccleſia, verùm etiam univerſis Eccleſiis per Provincias. Idque habetur in *cap. non liceat Papæ* 12. *quæſt.* 2. Sanctus etiam Gregorius Papa in alio Romano concilio quod ipſe commemorat *lib.* 4. *epiſt.* 88. Statuit ne impoſterum Romani Epiſcopi pueros ſæculares ad miniſteria cubiculi, ſed ſolum Clericos electos, aut Monachos admittant. Item generale Concilium Lateranenſe ſub Innocentio Papa III. Canon. 37. ſanxit per litteras Apoſtolicas non poſſe quemquam trahi ultra duas diætas extra ſuam Diœceſim ad aliquod judicium: Habetur *cap. nonnullis de reſcriptis*: Id confirmatur per Honorium tertium *cap. olim de except.* Quin etiam Bonifacius Papa Octavus ejuſmodi litteras Apoſtolicas reſtringi deinceps edixit ad unicam diætam extra fines Diœceſis *cap. ſtatutum. cùm verò de reſcript. in 6.* Et Tridentina Synodus *ſeſſione decimaquarta*, *capit.* 19. uſum abolet mandatorum Apoſtolicorum de providendo, & expectativarum à ſuprema ſede manantium. Seſſione quoque 25. *cap.* 9. §. *inſuper*, prohibet fieri authoritate Apoſtolica uniones beneficiorum liberorum ad beneficia jurispatronatus. Vetatque hujuſmodi conceſſionum executiones, ſi poſt hac ab Apoſtolica ſede indulgeantur etiam cum expreſſa clauſula hujus conſtitutionis derogatoria. Et ibid. c. 11 reprobat fierique prohibet etiam

Apo-

Apoſtolicæ authoritate ſedis alia tria conceſſionum ibi expreſſarum genera. Licet enim princeps ſit ſolutus legibus civilibus, debet tamen ſecundum leges vivere. *l. princeps ff. de legib.* Et ſapienter præfatus S. Gregorius Papa *lib. 5. epiſt. 112. Juſtitiæ* (inquit) *& rationibus ordo ſuadet, ut qui à ſuis ſucceſſoribus deſiderat mandata ſervari, deceſſoris* ſui procul *dubio voluntatem, & ſtatuta cuſtodiat.* Idemque *lib. 13. epiſt. 31. Si ea deſtruerem, quæ anteceſſores noſtri ſtatuerunt, non conſtructor ſed everſor eſſe juſtè comprobarer.* Summa vero horum ratio ducitur ex primario Summi Pontificis officio, quod verſatur circa exactum Eccleſiæ ſibi commiſſæ regimen, perfectionem, & diſciplinam, cujus rationem apud cœleſtem judicem reddet exactiſſimam. Atque utinam, & Pontificum, & quorumcumque principum auribus hæc ſalubria monita potius ingerantur, quam aſſentationes quibus inducuntur ad commiſſæ ſibi divinitus authoritatis abuſum, & ad propriarum animarum æternum exitium.

Eadem Later. ſeſſ. 9. ut major vigeat in ſacro Senatu votorum libertas, prohibentur quævis votorum conſiſtorii revelationes, necnon quorumcumque ibi dictorum aut factorum, quæ in odium cujuſquam aut præjudicium aut ſcandalum verti poſſint. Et infligitur latæ ſententiæ excommunicatio à quo ſolus Papa ſolvere poſſit, illis, qui ſecretum conſiſtorii à Papa injunctum violaverint.

Statuitur præterea eadem ſeſſ. 9. *Ut quilibet habens beneficium cum cura, vel ſine cura, ſi intra ſex ab obtento beneficio Menſes divinum officium ceſſante omni legitimo impedimento non dixerit, beneficii fructus non faciat ſuos pro rata omiſſionis, & temporis, ſed illos tanquam injuſtè acceptos vel in fabricas beneficii, vel in pauperum eleemoſynas erogare teneatur. Si vero in ea officii omiſſione poſt legitimam admonitionem perſeveraverit, ipſo privetur beneficio, cum detur beneficium propter officium.* Cui ſanctioni Lateranenſi altera adjungenda eſt Pii Papæ V. ſtatuens in primis

eum qui tempore priorum ſex menſium officium non recitaverit ab incepta beneficii poſſeſſione tametſi oneri reſtituendi non ſit obnoxius, lethalis tamen culpæ reum factum quoties officium prætermiſit. Qui verò deinceps aliquo die unam aliquam, aut omnes officii horas omiſerit, ſi omnes quidem horas, teneri omnes beneficii fructus huic diei reſpondentes reſtituere, partitis videlicet omnibus anni fructibus in totidem æquales partes, quot fuit in anno dies. Qui matutinum ſolum omiſerit, teneri ad dimidium fructuum ejus diei reſtituendum; qui reliquas omnes partes ad alterum dimidium. Qui harum horarum unam, teneri ſextam fructuum partem reſtituere. Addit inſuper quod ſi beneficiarius choro addictus interfuerit choro, nec tamen recitaverit, quamvis ſtatuta loci, vel fundatio, vel conſuetudo id indulgeret, ſolamque requireret corporis præſentiam, declarat nihilofecius eum qui præſens in choro non recitaverit, & mortalis delicti reum, & obligationi aſtrictum fructus, atque diſtributionis reſtituendi. Decernit poſtremò quemcumque penſiones aut alia Eccleſiaſtica emolumenta titulo Clerici percipientem obligari ſimiliter ad recitandum B. M. V. officium, & ſi non recitet, obnoxium eſſe penſionis, ac ejuſmodi fructuum reſtitutioni.

Seſſ. 10. declaratur montes pietatis inſtitutos, ut poſſit miſerorum egeſtati per pecuniam illis mutuatam ſubveniri, hac tamen lege, ut mutuum ſumentes aſtringuntur præter mutuatam ſortem aliud quid exolvere pro ejuſmodi fundationum conſervatione, ac neceſſariis ad hoc impenſis, eſſe licitos, nec ullatenus uſurarios, quatenus qui ſentit commodum, debet ſentire, & onus neceſſarium illi commodo annexum, dum nullum intendatur ex tali mutuo lucrum. Decernit autem ex communicationis latæ ſententiæ pœnam in eos, qui adverſus hanc declarationem prædicare, aut verbis ſcriptiſque refragari auſi fuerint. Addit tamen ſatius fore,

re, ſi cenſus aliqui aſſignentur adhoc, ut miniſtrorum hujuſmodi montium ſatisfiat impenſis, & ſic fiat ut pauperes ab his impenſis vel in totum, vel in partem releventur.

Seſſ. 11. notantur, & prohibentur multi defectus in quos diverſi concionatores officii ſui immemores prolabuntur, & cum ipſis incumbat populum edificare, virtutes inſerere, vitia evellere, Deumque & non ſeipſos prædicare, & Chriſti gloriam promovere, prædicant tamen imprimis ad propriam oſtentationem. 2. errores contra Sacram Doctrinam ferunt. 3. Scripturas depravant, & detorquent ad vanas interpretationes à ſanctis Patribus, & probata Eccleſiæ intelligentia alienas, aut etiam iiſdem prorſus contraria. 3. mala propediem eventura, vel comminiſcuntur, vel ab aliis accepta populo prænunciant ad vanos terrores excitandos, qui mox vertuntur in ſcandalum, & deriſum verbique Dei contemptum. 4. conficta miracula enunciant. 5. in ſacros Pontifices, & Eccleſiarum prælatos audaciter, & temere invehuntur. Hæc igitur omnia diſtrictè prohibet, & eos qui contravenient, aut qui non obtenta prælatorum licentia, ſe ingerent ad concionandum excommunicationis ſententia percellit, à qua ſolvi non niſi à ſummo Pontifice extra mortis articulum poterunt, S. Gregorius Nazianzenus aliam concionatoribus præfigit legem, ut in perſonas invectivis peræque, atque adulationibus abſtineant. Sic verò ſancit orat. 32. νόμον τίθημι πᾶσι τῶν ψυχῶν οἰκονόμοις καὶ τοῦ λογου ταμίαις μήτε τῷ σκληρῷ τραχύνειν, μήτε τῷ ὑπεσαλμένῳ κατεπαίρειν, ἀλλ' εὐλόγους εἶναι περὶ τὸν λόγον, μηδ' ἑτέρῳ τὸ μέτρον ὑπερβαίνοντας. *Legem ſtatuo cunctis animarum rectoribus, & verbi divini concionatoribus, ut nec per duritiam homines exaſperent, neque per demiſſionem elatos, ac inſolentes efficiant, ſed prudenter, & conſultè verbum diſpenſent, nec in alterutro iſtorum à mediocritate devient.*

Eademque ſeſſion. 11. approbantur concordata cum

Francorum Rege: ut poſſit ad regni dignitates conſiſtoriales nominare providendos. Atque ut graduati Clerici reliquis omnibus in collationibus præbendarum præferantur, quæ certis ac deſignatis menſibus vacaverint in eodem regno. Ipſa verò pragmatica ſanctio prorſùs abrogatur, cujus loco ſufficitur concordatum. Damnantur etiam Baſileenſia decreta Romani Pontificis poteſtati adverſantia:

Denique ſeſſ. 12. decernitur expeditio contra Turcas, pro qua decimæ ad triennium imponuntur fructibus Eccleſiarum, Monaſteriorum, & beneficiorum toto orbe conſiſtentium. Sed hanc expeditionem, qui ſubindè prodierunt Luterani, non ſiverunt proſperum exitum nanciſci.

Poſtremò cum gratiarum actionibus Concilium dirimitur.

CONCIL. TRIDENTINUM
inter generalia Vigeſimum.

CONvocandi hujuſce ſaluberrimi Concilii cauſas fusè proſequitur in Bulla indictionis ipſius Paulus Tertius Pontifex. Inchoatum verò ſub eodem Papa fuit anno 1545. Sed deinde bellorum inter Chriſtianos Principes occaſione identidem interruptum, & demum ſub Pio IV. finem accepit anno 1563. Decurrerant itaque ab ipſius exordio, donec finitum eſt, anni duodeviginti. Hujus indicendæ Synodi præcipuæ cauſæ fuerunt ingruentes, tùm Luteranorum, tùm Sacramentariorum hæreſes, & morum in Clero pravitas, diſciplinæque ſacræ omnimoda relaxatio. Quibus exitialibus malis, ut remedium efficax adhiberetur, ſacra Synodus quanta deſiderari poterat cura, & ſollicitudine providit multiplicibus, & ſapientiſſimis decretis,

adeò

adeò, ut pluſquam reliqua omnia, quæ præceſſerunt Concilia dici meritò poſſit Tridentinum copioſiſſima penus, promptuarium uberrimum, & ditiſſimus theſaurus totius Eccleſiæ tùm ad fidei circa omnes ferè articulos elucidationem, tùm ad morum culturam, tùm ad ſacræ diſciplinæ plenam inſtaurationem.

Seſſ. 4. recenſentur ſinguli ſacræ Scripturæ libri. De Canone ſcripturarum ſuperius requirenda ſunt, quæ uberrim pertractavi ad Laodicænum Can. 59. deinde authoritatem aſſerunt Trid. patres iiſdem ſacris libris cum ſuis omnibus partibus, prout in veteri vulgata editione habentur, & in Eccleſia Catholica legi conſueverunt. Quonam verò ſenſu verba iſta (cum ſuis omnibus) ſunt intelligenda, ne longiore tractatione his immorando Trident. Can. proſequutionem interrumpam, uberrimam quam olìm contexui diſputationem poſt finem Conc. remitto, cui hac de re diatribam ſubnectam.

Seſſ. 5. cap. primo, de refor. providetur, ut Epiſcopi aliiq; locorum ordinarii ſacram Scripturam per ſeipſos in ſuis Eccleſiis interpretentur ac exponant ſi fuerint idonei, ſin minus per idoneum ſubſtitutum cum debitis ſtipendiis proviſum, ac præbendatum. In Eccleſiis verò tenues proventus habentibus provideatur ſaltem ex Conc. Epiſcopi, & Capituli magiſter qui Clericos, & pauperes ſcholares gratis grammaticam doceat. In Monaſteriis quoq; ubi commodè fieri queat, lectio ſacræ Scripturæ habeatur; qua in re ſi Abbates negligentes fuerunt, illos opportunis remediis compellant Epiſcopi tamquam Sedis Apoſtolicæ delegati. Iſtud idem circa præceptorias præbendas conſtituerat Concil. Lateranum ſub Alexandro III. Can. 18. de Theologo autem qui ſacras litteras exponat alterum Lateranum Conc. ſub Innoc. III. Can. 11. Huc ſpecta t Gallicana edicta Caroli Noni in comitiis Aurelianenſibus c. 1. art 8. & 9. & Henrici III. in Comitiis Bleſenſibus art. 33.

Eadem ſeſſione quinta, capite ſecundo, definitur *verbi Dei prædicationem eſſe præcipuum Epiſcoporum munus*. Sanctus Gregorius Nazianzenus Sermon. primo, hoc idem confirmat dicens, αὐτὴν τοῦ λόγου διανομὴν λέγω τὸ πρῶτον τῶν ἡμετέρων : *ipſam verbi diſtributionem dico noſtrum omnium primum officium*. Idemque capite ſecundo, ſic proſequitur : *Archipresbyteri quoque plebani, & quicumque Parochiales vel aliàs curam animarum habentes, per ſe, vel per alios idoneos homines ſi legitimè impediti fuerint, diebus ſaltem Dominicis, & feſtis ſolemnibus plebes ſibi commiſſas pro ſua, & earum capacitate paſcant ſalutaribus verbis, docendo quæ ſcire omnibus neceſſarium eſt ad ſalutem, annunciandoque eis cum brevitate, & facilitate ſermonis vitia, quæ eos declinare, & virtutes quas ſectari oporteat, ut pœnam æternam evadere, & cæleſtem gloriam conſequi valeant*. Additque, *ſi ab Epiſcopo præmoniti hanc nihilominus functionem abjecerint, poſſe Epiſcopum ex beneficii Parochialis fructibus alteri, qui munus hoc præſtet, honeſta ſtipendia aſſignare*.

Ibidem ſtatuit : *Regulares in Eccleſiis, quæ ſuorum ordinum non ſunt, non poſſe ſine ordinariorum licentia prædicare : Si verò contingeret ſæculares, aut regulares diſſeminare errores, aut ſcandala in populum, etiamſi in Eccleſiis ſui, vel alterius ordinis prædicarent, debere illis omnino prædicationem per Epiſcopum interdici. Quod ſi quantumlibet exemptus hæreſes prædicaverit, debere Epiſcopum tanquam Sedis Apoſtolicæ delegatum adverſus eum ſecundùm juris diſpoſitionem procedere*.

Seſſion. ſexta, cap. primo, de reform. aſtringit Epiſcopos ad reſidentiam, ut ſi per ſex continuos menſes (legitimis impedimentis, ſeu juſtis, & rationabilibus cauſis ceſſantibus) à ſuis Eccleſiis ab-

abſuerint, quarta fructuúm unius anni parte Eccleſiæ, & pauperibus loci applicandæ mulctentur. Hoc idem tamen Concilium poſtmodum ſeſſione vigeſima tertia, cap. primo, hanc obligationem amplificat cum pœnæ additamento, *Ut qui ad ſummum tres menſes in uno anno ſine legitima, & valde urgente cauſa ſive continuos, ſive interpolatos, Epiſcopus etiam Cardinalis non reſederit in ſua Diœceſi, prӕter peccati mortalis reatum, quo aſtringitur, nullatenus poſſit fructus ſuos pro rata abſentiæ ſuæ facere, ſed teneatur eos fabricæ Eccleſiarum, aut pauperibus loci erogare.*

Ejuſdem ſeſſione ſexta, cap. ſecundo, injungitur Epiſcopis, ut legitimis remediis compellant beneficiarios ad Eccleſiarum reſidentiam, ſi eam ipſa beneficia requirant.

Sed ut paulò ante monui, poſtmodum ſeſſione vigeſima tertia cap. primo, de reform. reducit abſentiæ tempus, tàm in Epiſcopis, quam in Paſtoribus inferioribus ad tres ad ſummum menſes, idque cum juſta, & approbata ejus abſentiæ cauſa: Alioqui declarat peccari mortaliter, cum obligatione pro rata parte anni abſque alia declaratione, vel ſententia, ad fructuum reſtitutionem, in favorem Eccleſiarum, vel pauperum loci.

Capite 3. ejuſdem ſeſſione 6. *Regulares ordinum quantumvis exemptorum, aut privilegiatorum extra Monaſterium degentes ſi deliquerint, jubet à locorum ordinariis tamquam ſedis Apoſtolicӕ legatis viſitari, inquiri, corrigi, & puniri*. Concilium Lugdunenſe ſub Innocentio Quarto, quod citatur in *cap. volentes, de priuileg. in 6.* ſubjicit regulares ratione delicti extra clauſuram commiſſi juriſdictioni ordinariorum: Prætereà ſtatuitur cap. quanto de offic. judic. ordin. ut ordinarius ſuppleat per ſe Abbatis negligentiam circa vagos, & errantes Monachos. Quod idem confirmatur

matur Gallicano jure in comitiis Aurelianenſibus ſub Carolo Nono art. 11. Et hoc ipſum Concilium Trident. *ſeſſ*. 21. *cap*. 8. ſancit, *ut quando regularium exemptorum prælati ſuo deſunt officio circa ipſorum correctionem, ſi admoniti intra ſex menſes non correxerint ſubditos, tunc Epiſcopi, ut ſedis Apoſtolicæ delegati corrigere poſſint ac viſitare, prout poſſent prælati regulares juxta eorum inſtituta, quibuſcumque appellationibus, aut exceptionibus remotis*.

Seſſ. cap. 8. de reform. ſtatuitur, *ut locorum ordinarii Eccleſias etiam quomodolibet exemptas viſitent ſingulis annis, & ordinent, ac provideant tùm Eccleſiarum reparationi, tùm animarum curæ, ſi qua talibus Eccleſiis incumbat, nihil obſtantibus privilegiis, aut appellationibus*.

Ibid. cap. 10. decernitur, *non licere capitulis Eccleſiarum ſede vacante infra annum à die vacationis concedere litteras ad ordines dimiſſorias, præterquam illis qui beneficii ſive recepti, ſive jam recipiendi nomine arctantur*.

Cap. 15. ejuſdem ſeſſ. 7. cura demandatur ordinariis, ut ab adminiſtratoribus quibuſcumque, & quomodolibet exemptis Hoſpitalia quam fideliſſimè gubernentur, & innovatur decretum Concilii Viennenſis quod eſt in Clementina *c. quia contingit. de religio. dom.* Huc etiam ſpectat placitum Tridentini *ſeſſion*. 22. *cap*. 8. ut Epiſcopi ſint executores piarum omnium diſpoſitionum tàm inter vivos, quàm ultimarum voluntatum: Et ut jus habeant viſitandi hoſpitalia, collegia, confraternitates, & ſcholas (exceptis ſcholis, quæ ſub Regum immediata protectione ſunt, niſi de ipſorum licentia) montes etiam pietatis, & omnia pia loca, etſi prædictorum cura ad laicos pertineret, aut exemptionis privilegio munita eſſent: atque ut in his Epiſcopi tanquam ſedis Apoſtolicæ delegati ordinent, & exequantur. Huc quoque ſpectat *c. de Xenodoch. & relig. dom.* necnon *lex* 45. *de Epiſc. & cler.*

Seſſ. 13.

Seſſ. 13. c. 7. declaratur, probationem requiſitam ad ſacræ Eucharistiæ communionem hanc eſſe, ut nullus peccati mortalis ſibi conſcius ad eam audeat accedere, quantumvis ſibi contritus videatur, niſi præmiſſa confeſſione Sacramentali. Si tamen Sacerdos urgeatur neceſſitate celebrandi miſſam, & deſit ei copia confeſſoris, quamprimùm poſt ſacrificium poterit, tenetur confiteri. Porrò conſcius ſibi peccati mortalis intelligendus eſt hoc loco is, qui credit, ſe illud commiſiſſe nec eſſe confeſſum, adeò ut qui præmiſerit confeſſionem, in qua fuerit oblitus peccati mortalis, tametſi per virtutem Sacramenti pœnitentiæ credatur obliteratum, teneatur nihilominus oblitum peccatum confiteri, antequam communicet, Ita communiter Theologi docent. Iidemque affirmant, Sacerdotem poſſe nihilominus ſi peccati mortalis conſcientiam habeat, adminiſtrare aliis Euchariſtiam, aliaq; Sacramenta, dummodò prius conteratur, credatq; probabiliter, ac moraliter ſe eſſe contritum: ita ut neceſſe non ſit, ut prius confiteatur, niſi quum eſt celebraturus. Ita Navarra. *Enchiridii c.* 22. *n.* 3. Ægidius Coninch. *de Sacramentis quæſt.* 64. *art.* 6. cæteriq; communiter doctores.

Eadem ſeſſ. 13. cap. 3. de ref. *Statuitur, non poſſe ab ordinarii ſententia interloquutoria appellari, niſi tale ſit gravamen, ut nequeat per ejuſdem ordinarii definitivam reparari*. Simile ſtatuerat *cap. ut debitus de appellat.* Idemque cautum fuerat in concordato inter Leonem Decimum, & Franciſcum Regem. Idem hoc iterat Trident. *ſeſſ.* 24. *cap.* 20. *de ref.*

Obſervandum quoque à correctione legitima non poſſe appellari, niſi excedatur modus, *cap. ad noſtram. de appellat. & cap. reprehenſibilis §. fin. eod.* His jura Gallicana conſentiunt. Edixit namque Rex Franciſcus anno 1539. art. 5. appellationes à judicum Eccleſiaſticorum ſententiis per Eccleſiaſticas perſonas in materia correctionis, diſciplinæ, aliiſve perſona-

ſonalibus cauſis, nullum habere ſuſpenſivum effectum, ſed ſolum devolutivum; adeò ut his non obſtantibus, & circa præjudicium tamen ipſarum, poſſint judices Eccleſiaſtici ſua ulterius judicia proſequi. Et in comitiis Bleſenſibus art. 5. Henricus Tertius ſtatuit ejuſmodi appellationes in cauſa correctionis morum, aut Eccleſiaſticæ diſciplinæ non habere ſuſpenſivum, ſed tantùm devolutivum effectum. Similiter etiam in jure communi appellatio non ſuſpendit excommunicationem, ſuſpenſionem, vel interdictum latæ ſententiæ, ſed devolvit ſolummodò ad ſuperius tribunal. *c. cum ad hæc de appell.*

Communis ſententia eſt incarcerationem cenſendam eſſe inter illa, quæ damnum irreparabile inferunt, ideòque valere appellationem ab interloquutoria ſententia, qua decernitur captura, ſeù incarceratio: Et ordinarium teneri huic appellationi deferre, atq; proceſſum ad judicem appellationis transferre, ſine tamen ulla ſententiæ ſuæ ſuſpenſione: quia reus interea carcere includendus eſt, donec appellationis judex cauſa cognita aliud juſſerit. Ita decrevit ſacra Cardinalium Congr. Conc. cujus decretum Papa approbavit, ut fertur in declarationibus, & remiſſionibus ad *d. c.* 20. *ſeſſ.* 24. *Trid.* Idemq; docent Mainard. Juriſconſ. Gallic. *lib.* 2. *dec.* 23. & Bard. in *l.* 2. *ff. ſol. matr. in princ. p.* 2. *n.* 33.

Quoad viſitationem quoque Congregatio Conc. 7. Martii 1596. declaravit non poſſe Epiſcopum in viſitatione recuſari, ut ſuſpectum, dum tamen in ea proceſſum non involvat, ſeq; intra viſitationis terminos contineat. Eademq; Congr. 25. Maii 1601. cenſuit Epiſcopum viſitationem aggredientem, atque etiam in præparatoria inquiſitione, non poſſe ut ſuſpectum recuſari, nec probatione ſuſpicionis præpediri, quominus pæna extraordinaria, quæ morum correctionem, & emendationem reſpiciat, viſitatos punire queat, ut legitur in collect. declarationum ad Trid. *ſeſſ.* 13. *c.* 1.

Ejuſ-

Ejuſdem ſeſſionis 13. cap. 6. de reform. *Cùm inquit non raro contingat ſubditos ab Epiſcopo pro ipſius officio correptos, illi ex malevolentia cauſam criminis intentare, cujus moleſtiæ metu ſegniores in officio redduntur Epiſcopi, aut ab Eccleſiis ſuis abeſſe, & vagari pro ſui defenſione cum magno Eccleſiarum detrimento, & Epiſcopalis dignitatis diminutione coguntur; ſtatuitur Epiſcopum, niſi ex cauſa ob quam dignitate propria deponendus foret, etiamſi contra ipſum ex officio, aut per inquiſitionem, ſeu denunciationem, aut accuſationem, ſive alio quovis modo procedatur, nequaquam eſſe citandum, aut monendum, ut perſonaliter compareat.* Provida, & notabilis eſt iſta conſtitutio, qua & Epiſcoporum dignitati, & Eccleſiarum utilitati conſulitur. Summi Pontifices Liberius, & Nicolaus olim reſcripſerunt, inconveniens eſſe, ſi Epiſcopus ex cauſa infeſtationum, & adverſitatum, quas ab aliis patitur, gregem ſuum relinquat; *cap. ſuggeſtum, & c. ſciſcitaris 17. q. 1.* Quando verò fas Epiſcopo ſit à propria Eccleſia diſcedere, præclarè diſſerit S. Auguſtinus ſcribens ad Honoratum Epiſcopum *epiſt.* 180.

Seſſ. 14. cap. 4. definit, *contritionem eſſe animi dolorem, ac deteſtationem de peccato commiſſo, cum propoſito non peccandi de cętero: & hanc eſſe neceſſariam ad impetrandam peccatorum veniam in homine poſt baptiſmum lapſo. Docet prętereà contritionem, ſi perfecta ſit, hominem Deo per charitatem reconciliare etiam ante pęnitentię Sacramentum ſuſceptum, eo quod in ea contineatur cum dolore, & amore infuſo votum ipſius Sacramenti. At verò contritionem imperfectam, quę dicitur attritio, quę ex turpitudinis peccati conſideratione, vel ex gehemnę metu concipitur, eſſe donum Dei, & impulſum Spiritus ſancti non adhuc quidem inhabitantis, ſed tantum moventis, quo pęnitens adiutus viam ſibi ad juſtitiam parat. Et quamvis ſine pęnitentię Sacramento per ſe non juſtificet peccatorem; attamen eum ad Dei gratiam in Sacramento pęnitentię in-*

interpretandam diſponere. Hoc enim timore utiliter concuſſos Ninivitas ad Jonæ prædicationem miſericordiam à Domino impetraſſe. Tu hic obſerva contritionem, quę juſtificat eſſe quidem anteriorem juſtitia, & gratia ad quam diſponit, neceſſe eſt enim diſpoſitionem, & cauſam præcedere, ſequi deinde formam, & effectum. Cæterum iſta omnia unico temporis inſtanti perficiuntur, licèt diverſa ibidem concipiantur ordinis, ſeu rationis, ac naturæ inſtantia. Verum eodem temporis inſtanti, quo exiſtit contritio, coexiſtit pariter ipſa gratia.

Ejuſdem ſeſſione 14. cap. 5. docet neceſſariam ad ſalutem eſſe omnium peccatorum mortalium confeſſionem, quorum pœnitens poſt diligentem ſui diſcuſſionem recordatur, cum circumſtantiarum expreſſione, quæ ſpeciem peccatorum mutant. Circumſtantiæ neceſſario confitendæ, quæ ſpeciem mutant peccatorum, ſunt triplici differentia, quædam enim circumſtantiæ adjungunt mortalem alterius ſpeciei malitiam, ut ſi quis Sacerdotem occidit, aut ſi laicum interfecit intra Eccleſiam: illa enim perſonæ, vel loci circumſtantia ad crimen homicidii adjungit ſacrilegium. Aliæ quædam circumſtantiæ id præſtant, ut peccatum alioqui veniale ſit mortale, ut ſi quis famæ alterius leviter detrahat ſimul advertens grave damnum ex hoc illi naſciturum ex malitia proximi. Tertiò demum aliæ circumſtantiæ ex oppoſito peccatum ita minuunt, ut faciant veniale, quod eſſet alioqui mortale, cujuſmodi eſt ſubreptio, defectus ſufficientis deliberationis, advertentiæ, vel judicii, ignorantia leviter culpabilis. Trium horum generum circumſtantias conveniunt Theologi omnes eſſe in confeſſione exprimendas: quia his non expreſſis ſtatus pœnitentis haud poteſt ſufficienter dignoſci. Quæ tamen tertii generis ſunt, ſi poſt factam bona fide confeſſionem menti occurrant, non eſt neceſſe in altera confeſſione exprimi.

Seſſ.

Seſſ. ejuſdem 14. c. 6. de reform. ſtatuitur, ut Clerici qui in ſacris ſunt, aut qui beneficium Eccleſiaſticum poſſident, habitum deferant Eccleſiaſticum. Et ſi poſtquam ab Epiſcopo moniti ſunt habitum adhuc deferre recuſent, per ſuſpenſionem ab ordinibus, aut beneficio, ejuſque fructuum privatione puniantur ab ordinario, quantumvis exempti forent. Si verò correpti adhuc neglexerint per officiorum, aut beneficiorum privationem coerceantur. Idem antea conſtituerat Concilium Viennenſe *Clement. c. quoniam innovando, de vita, & honeſt. Cleric.*

Seſſion. 21. cap. 3. de reformat *in Eccleſiis* (inquit) *Parochialibus in quibus populus ita numeroſus eſt, ut unus, & alter Præsbyter non ſufficiat Sacramentorum adminiſtrationi, & divinis officiis, poteſt Epiſcopus compellere rectores ad augumentum Clericorum, aut Sacerdotum, qui ad hæc obeunda ſufficiant. Ubi verò ob nimiam diſtantiam non poteſt Parochianorum pars niſi ſub gravibus incommodis ad Eccleſiam accedere, & Sacramenta ſuſcipere, Epiſcopus poteſt novas erigere Parochias etiam rectoribus invitis, juxta formam conſtitutionis Alexandri Tertii in cap. ad audientiam 3. de Eccleſ. ædif. Et Clericis quibus Miniſterium incumbet novæ Parochiæ, congruentem aſſignare portionem ex fructibus matricis Eccleſię, & (ſi neceſſe fuerit) compellere populum ad contribuendum, quę ſufficiant ad eorum ſuſtentationem.*

In eadem ſeſſ. cap. 5. *Poſſunt* (ait) *pariter Epiſcopi ſine prejudicio tamen obtinentium facere uniones perpetuas Eccleſiarum Parochialium, & aliorum beneficiorum tam curatorum, quam ſimplicium cum aliis Eccleſiis, ac beneficiis curatis, ex cauſa paupertatis, aut aliis juſtis cauſis; etſi dictæ Eccleſię, aut beneficia eſſent ſpecialiter reſervata.* Hoc idem ſtatuerat *cap. unio. 10. queſt. 3. & cap. expoſuiſti, de prębend.* Idemque ſimiliter cavetur edicto Gallicano Bleſenſium comitiorum artic. 22. 23. 24. ſive illa, quæ uniuntur beneficia tempore unio-

unionis vacent. Licet enim beneficium ante vacationem impetrari non poſſit *cap.* 1. & 2. *de conceſſ. præb.* uniri tamen poteſt, ſine præjudicio poſſeſſoris, ut providet hoc capite Tridentinum: ſed executio unionis differtur in ipſum vacationis tempus, niſi poſſeſſor ipſe conſentiat, & cedat reſervando ſibi annuam penſionem. Hæc docet Petrus Rebuffus *ad regul. de reprob. benef. viven. impetr. n.* 56.

Deinde hujus ſeſſ. cap. 7. *Vbi Eccleſiæ vetuſtate collapſæ ſunt, nec inopiam inſtaurari valent, Epiſcopi poſſunt vocatis illis quorum intereſt in matrices Eccleſias locorum eorumdem, aut vicinorum, illas cum emolumentis ſimul, & oneribus annexis transferre, erigendo in prædictis matricibus capellas vel altaria ſub eiſdem invocationibus.* Parochiales autem Eccleſias etſi juriſpatronatus ſint, ita collapſas refici, & inſtaurari curent ex proventibus earundem: qui ſi non ſufficiant patronos alioſve, qui fructum aliquem ex earundem proventibus percipiunt, aut his deficientibus Parochianos ipſos omnibus opportunis remediis compellant, quacumque appellatione, exceptione, aut exemptione remota. Quòd ſi omnes nimia egeſtate laborent, ad matrices, ſeu viciniores Eccleſias Epiſcopi transferant, cum facultate convertendi in profanos non tamen ſordidos uſus dirutas Eccleſias, erecta ibi cruce.

Seſſ. 22. cap. 4. de ref. *ut nemo de Eccleſia ſive ſæculari, ſive regulari vocem habeat in capitulo etiamſi id ei ab aliis liberè conceſſum fuerit, niſi in ſubdiaconatus ſaltem ordine conſtitutus ſit.* Hoc idem dudum ſtatuerat Concilium Viennenſe. *Clement. ut ii, qui in divinis, de ætat. & qual. & ord. præfic.*

Vetatur hoc eodem capite 4. ne aliis deinceps de beneficio provideatur, quam illis qui ætatem, & cæteras omnes qualitates, & habilitates habent, ut ſtatim actu omnia beneficii onera per ſe exequi poſſint: alioquin irritam declarat proviſionem. Huc pariter

ſpe-

ſpectat dicta *Clement. ut ii qui*. Verumtamen uſus obtinet, ut beneficio Sacerdotali, cui etiam cura incumbat animarum, ſufficiat ſi proviſus ſit in eo ſtatu, & aptitudine, ut poſſit intra annum ordinem ſuſcipere Sacerdotalem, *c. cùm in cunctis*, *& c. liceat Canon de elect. in 6.* Si verò non fuerit intra annum promotus (niſi ex juſta, & legitima cauſa fuerit ortum impedimentum) vacet ipſo jure prebenda. Cæterum ubi ex lege fundationis, vel ſtatuto, vel conſuetudine, Sacerdotalis ordo actu deſideraretur in impetrante, tunc non ſufficeret aptitudo præfata. In univerſum edicit Tridentina Synodus hoc ipſo cap. 4. & inſuper *ſeſſ.* 24. *de ref. c.* 12. *§. neminem*, ut nemo quodcumque beneficium, cui ſit aliquod annexum onus poſſit obtinere, niſi aptus ſit ut intra ipſum annum ſuſcipiat ordinem ad illud onus requiſitum. Id autem veteri juri conformatur *c. cum in cunctis §. inferiora de elect. cap.* 1. *de ætat. & qual. & ord. & d. Clem. ut ii qui*.

Poteſt igitur aliquis provideri de curato beneficio nondum Sacerdos modò annum vigeſimum tertium ſic expleverit, ut exacto inde anno Sacerdotio promoveatur, expleto qui ad hoc requiritur anno ætatis vigeſimo quarto, & ita inchoato vigeſimo quinto juxta Trid. *ſeſſ.* 23. *c.* 12. *de reform.* Cùm enim ex hoc Concilio duo iſta conſtent, & anno 25. inchoato poſſe quem fieri Sacerdotem, & inſuper beneficium curatum poſſe illi conferri, qui Sacerdotio poſſit intra annum promoveri, ſequitur ut tale poſſit conferri beneficium illi, qui vigeſimum tertium annum expleverit; hiſce enim verbis Concilium ſe enunciat in *d. cap.* 12. *§. neminem ſeſſ.* 24. aut in tali ætate ſit, ut infra tempus à jure, & ab hac ſancta Synodo ſtatutum initiari valeat. Hæc docet Proſper Fagnanus in *cap. cùm in cunctis*, *de elect.* talemque eſſe receptam praxin, atque judiciis ſacræ Cardinalium congregationis confirmata aſſerit num. 63. & 64. Porrò indultum jure communi promotionis

Hh an-

annum approbant juxta pariter Gallicana edicto Bleſenſium comitiorum, art. 9. Cui accedit conſtitutio Henrici IV. an. 1606. art. 1. Rebuffus *in praxi tit. de non promotis intra annum n.* 44. Papo *lib.* 3. *deciſ.* 13. Bouchellus *in praxi benef. verbo an. de promotion.* Melchio Paſtor *lib.* 3. *de benef. tit.* 6.

Seſſ. 23. c. 2. Epiſcopos electos etiamſi Cardinales ſint, ſi intra tres menſes conſecrati non fuerint (legitimis tamen ſeclusis impedimenti cauſis) ad fructum reſtitutionem aſtringit, ſed ſi aliis tribus menſibus id neglexerint, Eccleſiis ſuis ipſo jure privatos eſſe declarat. Concil. Chalcedonenſe can. 25. Epiſcopos præcipit intra trimeſtre ab electione conſecrari citra neceſſitatis inevitabilis caſum; Conc. verò Antiochenum ſub Julio Papa can. 17. de cõmunione fidelium repellit Epiſcopum, jam conſecratum, quandiù ad creditam ſibi Eccleſiam progredi negligit. Quo etiam ſpectat *c. quoniam, diſt.* 75. *&c.* 1. *diſt.* 100. Quæ autem Tridentinum ſanxit de Epiſcopis, vim quoque habere decernit circa inferiores animarum Paſtores, ut in ſuis reſideant Eccleſiis, nec eis toto anni decurſu abeſſe liceat pluſquam duos, aut tres menſes, ſeu continuos, ſeu interruptos, *ſeſſ.* 25 *c.* 1. ſed iſtam reſidentiæ materiam ſuperius excuſſi ad *ſeſſ.* 6. *c.* 1.

Eadem ſeſſ. 23. c. 4. de reform. vetat tonſura initiari, niſi qui confirmationis Sacramentum ante ſuſceperint, quique legere, & ſcribere ſciant, & de quibus probabilis ſit conjectura, eos hoc intuitu ſtatum eligere clericalem, ut perfectiùs Deo deſerviant. Tum c. 5. ſtatuitur, *ut qui ſunt ad ſingulos majorum ordinum promovendi bonum habeant à Parocho, & ſcholę magiſtro teſtimonium, atque uno ſaltem menſe ante ordinationis expetitæ tempus conveniant Epiſcopum, qui Parocho, aut alii cui viſum fuerit committat, ut nominibus ipſorum publicè in Eccleſia propoſitis, de natalibus, de ętate, de moribus, & vita eorum diligenter à fide dignis inquirant, & litteras teſtimoniales inquiſitionis iſtius fidem facientes ad Epiſcopum tranſmittant.*

Poſt-

Poſtmodum cap. 12. annum inchoatum ætatis requirit vigeſimum ſecundum ad Subdiaconatum, & vigeſimum tertium ad Diaconatum, atque ad Sacerdotium vigeſimum quintum. Ad minores autem ordines jam requiſierat cap. 11. Latinæ linguæ peritiam. A minoribus porrò ad ſubdiaconatum exigit anni Interſtitium: à Subdiaconatu ad Diaconatum alterius anni: & alterius ſimiliter à Diaconatu ad Sacerdotium. Poteſt tamen proprius Epiſcopus non tamen citra juſtam, & urgentem cauſam diſpenſare in interſtitiis, c. 11. 12. 13. & 14.

Dictæ ſeſſionis c. 9. concedit, *ut poſſit Epiſcopus familiarem ſuum non ſubditum abſque dimiſſoriis ordinare, modo fuerit triennio ſecum commoratus, eique quamprimum conferat beneficium.*

Ejuſdem ſeſſ. cap. 15. ſic ſtatuitur: *Quamvis Presbyteri in ſua ordinatione abſolvendi à peccatis poteſtatem accipiant: decernit tamen ſacra Synodus, nullum etſi regularem poſſe confeſſiones ſecularium audire etiam Sacerdotum, nec ad id idoneum reputari, niſi aut Parochiale beneficium, aut ab Epiſcopis per examen (ſi illis videbitur eſſe neceſſarium) aut aliàs idoneus judicetur, & approbationem obtineat, non obſtantibus quibuſcumque priuilegiis, aut contraria conſuetudine.* Conſulito ſuperius, quæ ſupra hujuſmodi pertractavi ad Concilium Viennenſe.

Seſſionis ejuſdem 23. cap. 18. injungitur, ut in ſingulis Diœceſibus collegia Eccleſiaſtica, ſeu Seminaria inſtituantur, in quibus juvenes Eccleſiæ ſervitio deſtinati educentur, atque ſcientiis, functionibus, & ritibus Eccleſiaſticis, cantu, diſciplina clericali, & ſanctis moribus informentur. Hæc eadem fuerant antiquioribus Conciliis præſcripta, quæ ſupra commemoravi ad Toletani Concilii quarti Can. 24.

Tanti porrò momenti Seminariorum erectiones eſſe duxerunt Tridentini patres, ut ad hunc finem Epiſcopis jus, & poteſtatem tribuant obligandi ad annuas

Hh 2 pro-

pro ſeminario contributiones quoſcumque beneficia poſſidentes; atque etiam ut poſſint valeantque ad ſeminariorum fundationem aliqua beneficia ſimplicia cujuſcumque dignitatis, vel qualitatis fuerint, etiam ante vocationem, ſine cultus divini, & illa obtinentium præjudicio, huic collegio applicare, unire & incorporare: nec hujuſmodi uniones, vel applicationes poſſint ulla appellatione ſuſpendi, aut impediri. Hæc Tridentina Conſtitutio validitatem plenam habet in hoc regno Galliæ, quippè quę regiis etiam edictis firmatur. Sanctio namque Melodunenſis art 1. Epiſcopis injungit, ut provideant reſtitutioni ſacrę diſciplinæ, *& à l'inſtitution des Seminaires ſuivant les ſaint Decrets*. Quæ ultima verba reſpiciunt Trid. Decretum. Subſequutum eſt Bleſenſibus comitiis alterum procuſum edictum art. 24. admonens Epiſcopos, ut erigant in ſuis Diœceſibus Eccleſiaſtica Seminaria, etiam *par l'union de benefices, ainſi qu'ils aviſeront bon eſtre*: quibus verbis indulgetur illis circa iſtiuſmodi Collegiorum erectiones plena poteſtas, qualis conceditur per Tridentinum.

Seſſ. 24. in decreto reform. matrim. pleraque de novo conſtituuntur circa fidelium matrimonia. In primis c. 1. *declarat deinceps nulla, & irrita connubia, in quibus non intervenerint teſtes duo, & proprii Parochi præſentia*, cùm fuiſſent pridem validæ nuptiæ clandeſtinæ. Saluberrimum utique decretum, quo innumeræ lites, inextricabiles ambages, & nuptiarum incertitudines, & innumerabiles polygamiæ ſimul extirpantur.

Hic jam quæritur, utrum valeat matrimonium in præſentia Parochi inviti contractum? Reſpondetur valere; non enim exigit ſacra Synodus conſenſum, ſed ſolam pręſentiam Parochi, & teſtium, ut per hæc obvietur matrimoniis furtivis, & clandeſtinis. Id confirmatur per *l. coram Titio ff. de verb. ſignif.* ubi juſſus aliquid facere coram Titio declaratur conditionem adimpleviſſe, ſi Titio præſente, & ſciente fecerit, licet in-

invito, & diſſentiente. Et in hoc ſummiſtæ conſentiunt Sanchez *de matrim. diſp.* 39. Filliuc. *tract.* 10. *c.* 6. *n.* 225. *&* 226. Coninch. *diſp.* 27. *dub.* 4. *concl.* 3. addens hanc eſſe communem doctorum ſententiam. Fagnanus quoque *in cap. quod nobis de clandeſt. deſponſ. n.* 48. & ſequentibus: iſtud idem alia ratione confirmat, eo quod Parochus non ſit hujus Sacramenti miniſter quo caſu ejus requireretur conſenſus, ſed ſolùm teſtis præcipuus, ac neceſſarius, ad quod ſufficit ſola per ſui præſentiam notitia: citatque his conformem congregationis Cardinalium deciſionem. Ita judicari vidimus in Gallicanorum Epiſcoporum diverſis Tribunalibus. Ille tamen, qui ſic matrimonium iniret graviter delinqueret, niſi quando injuſtè Parochus refragaretur.

Quid ſi ordinarius ipſe Parocho interdixerit ne matrimonii celebrationi interveniret? quid etiam cenſendum, ſi Parochum quoad hoc ſuſpenderit, aut interdixerit? Rectè idem reſpondet Proſper Fagnanus ad *cap. litteræ quas, de matrim. contract. contra interdictum Eccleſ.* tale quoque fore validum conjugium, ſicque à ſacra Congregatione judicatum Romæ. Et ratio eſt, quia non deſinit per interdictum, vel ſuſpenſionem eſſe Parochus, & licet ex parte Parochi inhibiti, vel ſuſpenſi poſſit eſſe interventus ipſius illicitus, non tamen irritus, & invalidus. Quamvis enim Parochus Epiſcopo ſubalternetur, quoad juriſdictionem, quam poteſt Epiſcopus tollere, vel limitare, ac reſtringere; iſte tamen interventus non eſt juriſdictionis actus, cùm nihil hic decernat, aut judicet Parochus, ſed ſolam præſentiam præſtet, ut teſtis. Et quamvis Concilium Tridentinum ſeſſion. 24. capite 7. prohibeat Parochis ne vagantium matrimoniis interſint, ſi tamen interſint, matrimonia iſta valorem ſortientur, ut idem aſſerit Fagnanus. Et matrimonium contractum contra interdictum Papæ ſit quidem illicitè, ſed nihilominus valet, ut docent gloſſa

& Innocentius in *cap. ad diſſolvendum de deſponſ. impub.*

Dictæ ſeſſ. 24. cap. 2. gradus affinitatis longius olim productos, & irritum facientes matrimonium reſtringit primum quoad ſpiritualem affinitatem inter baptizatum, & ſponſores, ſeu ſuſcipientes de fonte baptiſmi: atque inter patrem, matremque baptizati & ſuſcipientes: atque inter baptizatum, & baptizantem: necnon inter baptizantem, & baptizati patrem, & matrem. Similiter inter confirmatum, & ſponſorem, necnon inter ſponſorem, & confirmati genitores.

Olim prohibebantur quidem, & irritabantur nuptiæ, uſque ad ſeptimum cognationis inter collaterales gradum, computando etiam gradus pro numero perſonarum dempto communi ſtipite, in Eccleſia ſaltem Latina, ut perſpicuè docent teſtimonia, tum S. Gregorii Papæ epiſt. ad Felicem Meſſanæ Epiſcopum, tum Iſidori, tum Alexandri Papæ II. quæ congeruntur in Gratiani decreto *cauſa* 45. *q.* 5. Quæ ſeges proculdubio erat innumerabilium ambiguitatum, & inceſtuoſarum nuptiarum, & laqueorum animas intricantium, ideòque Lateranenſe ſub Innocentio Concilium providè omnia impedimenta reduxit ad quartum gradum, & refertur *c. non debet de conſang.* Jure autem Romanorum civili etiam fratrum, & ſororum liberi matrimonio jungebantur, *inſtit. de nupt. §. duorum & l. 3. ff. de ritu nupt.* Concilium verò Trid. circa carnalis cognationis, & affinitatis gradus quatuor, ſanctionem ſequitur commemorati Lateranenſis Concilii. Porrò jus illud Romanarum legum circa fratrum ſororumve liberos invaluit olim etjam inter Chriſtianos. Filiæ namque Conſtantini Magni Conſtantina, & Helena nuptui datæ ſunt, Conſtantina quidem Annibaliano primum filio Dalmatii fratris ipſius Conſtantini: deinde Gallo Cæſari filio Conſtantii alterius fratris Conſtantini: Helena verò nupſit Juliano alteri filio memorati Conſtantii.

Ca-

Cap. 3. publicæ honeſtatis impedimentum reſtringit ad primum gradum in ſponſalibus validis. Antea namque protendebatur ad quartum. Cæterum ſi ſponſalia ipſa invalida fuerant nullum inde impedimentum conſurget. At verò ex matrimonio rato, ſed non conſummato naſcitur impedimentum dirimens ad quartum uſque gradum, ut declaravit Pius Papa V. in Conſtitutione incipiente *Ad Romanum*, ex cujus inadvertentia Toletus, & Lopez hoc impedimentum ſcripſerunt eſſe publicæ, honeſtatis, & deſinere poſt primum gradum.

Jam hic quæritur, utrum ex ſponſalibus de futuro, non quidem morte, ſed mutuo partium conſenſu ſolutis, exurgat quoque publicæ honeſtatis impedimentum? hanc agitat quæſtionem Thomas Sanchez *lib. 7. de matrim. diſp. 68. n. 21.* noviſſimè Proſper Fagnanus Apoſtolicus Referendarius *comment. ad c. ad audientiam, de ſponſal.* refert Romæ à Sacra Congregatione judicatum die Julii 6. ann. 1658. quod hic quoque ſubſiſtat impedimentum iſtud. Et facta relatione ad Alexandrum Papam VII. qui hanc examinari quæſtionem juſſerat, fuiſſe ab ipſo approbatum Congregationis judicium die 6. Julii juſſumque, ut poſthac ita ſervaretur ubique à cunctis fidelibus.

Cap. 4. Impedimentum affinitatis, ex illicita conjunctione contractum limitat ad ſecundum gradum, cum olim quartum etiam gradum complecteretur, quę occaſio erat plurimorum inceſtuum.

Cap. 6. inducit dirimens impedimentum inter raptorem, & raptam, quamdiu hæc in raptoris manſerit poteſtate.

Eadem ſeſſ. 24. de reformat. cap. 1. decernit vacantibus Eccleſiis præficiendorum Epiſcoporum vitam, & doctrinam in ipſis locis examinari, & inquiri, actaque & proceſſus inquiſitionis, ad Summum Pontificem traſmitti. Præficiendos autem eſſe Prælatos non precibus, neque humano affectu, aut ambientium ſugge-

ſtione, ſed eorum exigentibus meritis. Certè hoc ipſo, quod quis prælaturam, ac dignitatem ambit ſe illa indignum prodit, ut dixerit Chryſoſtomus *lib.* 3. *de Sacerdotio cap.* 10. Hujuſce rei legimus documentum in judicum libro, ubi refertur olivam, ficum, & vitem detrectaſſe delatum ſibi ab arboribus in ſeipſas imperium, ſed rhamnum inutile ſpinoſumque arbuſtum hanc præfecturam à maximè fructiferis plantis recuſatam ultrò acceptaſſe. Imperatores Theodoſius, & Valentinianus *l. ſancimus, c. ad leg. Jul. repetun.*, prohibent; illis conferri magiſtratus, qui ad eos ambitu, vel pretio contenderint. Quę lex tanti habita in Eccleſia fuit, ut in decreto ſacrorum Canonum inſerta fuerit *cap ſancimus* 1. *q.* 7. Beatus quoque Hieronymus *comment. in cap.* 1. *epiſtolæ ad Titum* ſic de Epiſcopatu loquitur. *Unuſquiſque ſe conſiderans, & ſciens quia potentes potenter tormenta patientur, retrahet ſe ab hoc non tam honore, quam onore, & aliorum locum, qui magis digni ſunt non ambiet occupare.* Præſertim verò illorum ſordida damnatur ambitio, quo officia, procurationes, & munia ſive ad Eccleſiæ curam, ſive ad piorum locorum, vel miſerabilium perſonarum inſtituta, pretio ambiunt, ac mercantur *c. ſalvator* 1. *q.* 3. *& l. omnes* 42. §. 9. *de Epiſcopis & Cler.* Primi etiam Oecumenici Niceni Concilii Canon Arabicus 75. ita pręſcribit: *Si congregatio elegerit aliquem in cognitione fidei eruditum, & probatum ex his, qui altari adminiſtrant; aut ex Monaſteriis, ut ſit Epiſcopus, aut Archidiaconus, aut Chorepiſcopus, aut præfectus hoſpitalis; non debet ambire ille, qui eligitur alioqui ejiciatur ex Congregatione.* Denique octavę Synodi (quę eſt Conſtantinopolitana quarta) Canon 4. poſtquam Photium occupato per ambitionem ſolio dejecit, cauſam ejus depoſitionis prętendit ipſam ejus ambitionem, & hoc jungit φιλαρχίαν πονηρὰν ῥίζαν τῶν κακῶν ἁπάντων, *ambitionem eſſe radicem exitialem malorum omnium.*

Sub

Sub eadem ſeſſ. 24. de reform. cap. 6. *Conceditur Epiſcopis abſolvendi, & diſpenſandi facultas in omnibus cenſuris, atque irregularitatibus ex occulto delicto procedentibus, ſolis exceptis quæ ſunt ex homicidio voluntario, aut quæ ſunt ex delicto quocumque ad forum contentioſum deducto.*

Cap. 19. abolentur deinceps mandata de providendo, ſimulque gratiæ expectativæ.

Seſſ. 25. cap. 5. de regular. decernitur, ut clauſuræ Sanctimonialium curam gerant Epiſcopi, in Monaſteriis quidem ſibi ſubditis ex jure ordinario: in aliis verò tamquam Apoſtolicæ Sedis delegati. Et ut nemine obſiſtere auſo decernant, atque inobedientes per cenſuras Eccleſiaſticas aliaſque pœnas compellant, quacumque oppoſitione, & appellatione poſtpoſita, & ubi opus erit invocato brachii ſæcularis auxilio.

Caput 15. declaratur invalida, & irrita omnis religioſa profeſſio facta, nondum expleto ætatis decimoſexto anno. Ante Synodum Tridentinam ætas ad profeſſionem requiſita fuerat quæ ad ineundas nuptias requirebatur, in fœminis quidem expletorum duodecim annorum, & in maſculis quatuordecim; *cap. ſignificatum, & c. cum virum, de regul.* Plura ſuperius requirito, quæ congeſſi ad Canon 22. Vormatienſis Concilii.

Cap. 19. *Quicumque regularis prætendat ſe per vim, & metum ingreſſum eſſe religionem, aut etiam dicat ante ætatem debitam profeſſum eſſe, aut quid ſimile, velitque habitum dimittere quacunque ex cauſa, aut etiam cum habitu ſine licentia Superiorum diſcedere, non audiatur niſi intra quinquennium tantùm à die profeſſionis, & tunc non aliter niſi cauſas quas prætendit deduxerit coram ſuperiore ſuo, & ordinario. Quod ſi antea habitum ſponte dimiſerat, nullatenus audiatur, nec ad allegandam quamcumque cauſam admittatur, ſed ad Monaſterium redire cogatur, & tamquam apoſtata puniatur.* Praxim tamen ſtatim ab ipſo Concilio

ubi-

ubique ferè invaluit, ut ejuſmodi religioſus reclamans admittatur, etiamſi habitum dimiſerit, quia hoc plerumque neceſſarium eſt, ut ſuæ reclamandum libertati proſpiciat, qui ſtatim ex habitu dignoſceretur, & à fratribus receptus carcere perpetuò concluderetur, ut pluries factum eſt; tum quia ſic occurritur gravi hominum ſcandalo, dum conſpicitur quis in habitu religioſo ſine comite per devia fugiens, aut in diverſoriis, degens moribus fortaſſe inconditis, & diſſolutis. Hunc igitur etjam in habitu ſæculari audiendum admonent Martinus Navarra *comment. 4. de regular. num. 77. & 78.* Azorius *tom. 1. lib. 12. cap. 4. in fine* Leſſius *lib. 2. de juſt. c. 41. n. 64.* Bonacina *tract. de clauſuris q. 2. p. 10. difficul. 3.* cæterique communiter.

Juriſdictionis, ac poteſtatis Epiſcoporum circa regulares capita præcipua Concilium aſtruit Trident. *ſeſſ. 25. de regular.* primò circa clauſuræ monialium etiam extra exemptarum, aut exemptis ſubditarum infractionem. Talium quippe Monaſteriorum clauſuræ cura Epiſcopis incumbit, c. 5. hujus ſeſſ. adeò ut inobedientes, aut contradicentes poſſint per cenſuras Eccleſiaſticas, aliaſque pœnas quacumque oppoſitione rejecta compeſcere invocato ad hoc etiam brachii ſæcularis auxilio. Hæc eadem ante conſtituerat Bonifacius Papa VIII. *cap. unico de ſtatu regular. 6.*

Monaſteriis etiam ſanctimonialium, quæ regularibus, ac exemptis ſubſunt, poteſt Epiſcopus bis, aut ter in anno extraordinarium confeſſorem offerre; præſertim ſi Moniales, vel omnes, vel aliquæ id requirant. Caput 10. Gregorius Papa XV. in Bulla incipiente *Inſcrutabili*, addit ad declarationem, & executionem Tridentini decreti, Epiſcopis tamquam Sedis Apoſtolicæ Legatis competere juriſdictionem, puniendique, ac corrigendi poteſtatem in regulares, exemptos ratione Monialium ipſis exemptis ſubditarum, 11. ſi deliquerunt circa perſonas intra Monia-

lium

lium clauſura degentes. 2. ſi circa earumdem clauſuram 3. ſi circa bonorum earumdem adminiſtrationem.

Secundò juriſdictionem Epiſcopis tradit Synodus Trident. hac ſeſſ. 25. c. 11. erga regulares habentes Parochiales Eccleſias, ut his non præficiantur niſi illi quos Epiſcopus prævio, ſi ei viſum fuerit, examine approbaverit: atque iſtos circa miniſterium animarum, & ſacram Eccleſiæ diſciplinam delinquentes corrigere, & punire valeat. Id verò conformatur juribus antiquis *cap. qui religioſis* 18. *quæſt.* 2. *& tom. tit. de capellis Monach. & c. ex ore, de privil. & cap.* 1. §. *in eos, de privil. in* 6. maxime autem memorabile Urbani Papæ III. edictum *cap.* 1. *de capel. Monach. in Eccleſiis* (ait) *ubi Monachi habitant, populus per Monachum non regatur; ſed Capellanus, qui populum regat, ab Epiſcopo per Concilium Monachorum inſtituatur. Ita ut ex ſolius Epiſcopi arbitrio, am ordinatio ejus, quàm diſpoſitio, & totius vitæ pendeat converſatio.*

Tertiò ſi regularis etiam in propria exemptaque Eccleſia prædicet hæreſes, Epiſcopus, ut ſedis Apoſtolicæ delegatus debet contra eum procedere *ſeſſ.* 5. *de reformat. cap.* 2. Quærat aliquis fortaſſe an ordinariis eadem competat poteſtas erga Parochiales Eccleſias, quæ unitæ ſunt ordini militari S. Joannis Jeroſolimitani, & erga illarum Parochos, qualis conceditur ab iſto Tridentino decreto in Eccleſias regularium Parochiales, & Parochos earum. Et competere quidem decernit Pius Papa V. in ſanctione diei vigeſimæ ſecundæ Decembris anni 1571. quæ incipit, *Expoſcit*, cujus tenorem refert Paulus Piaſecius in praxi Epiſcopali *par.* 2. *cap.* 3. *num.* 28.

Quartò quandocumque regularis exemptus extra clauſuram notoriè deliquerit, ita ut populo ſcandalum faciat, ad Epiſcopi inſtantiam tenetur ſuperior regularis illum ſeverè punire intra tempus quod ei præfixe-

xerit Epiſcopus, eumque de irrogata pœna certum facere. Si minus poterit regularis ab Epiſcopo pro ſuo delicto puniri *ſeſſ.* 25. *cap.* 14. Et ſuperius *ſeſſion.* 7. *cap.* 14. *de reformat.* renovant Tridentini Patres Innocentii IV. in Concilio Lugdunenſi Conſtitutionem, quæ legitur *in cap. volentes de privileg. in* 6. hiſce verbis. *Definimus, quod quantumcumque ſic exempti gaudeant libertate, nihilominus tamen ratione delicti, vel contractus, vel rei de qua contra ipſos agitur poſſunt coram ordinariis locorum conveniri.* His confirmatur jus Gallicanum, ſtatuit enim Carolus IX. in Comitiis Aurelianenſibus artic. 11. appellationes regularium ab Epiſcoporum ſententiis non ſuſpendere ſententiam in cauſa criminis, ſed etiam appellationem evocari decernit ſecluſis aliis Tribunalibus ad Regium privatum Concilium. Sancit præterea ibidem Carolus, ut Epiſcopi, ſeu ordinarii ſuppleant per ſeipſos Abbatum negligentiam circa vagos, & errones Monachos. Hoc idem providerat *cap.* 4. *de offic. jud. ordin.* Itemque Chalcedonenſis Synodi Canon 4. & Quiniſextæ Canon 42. hoc ipſum Tridentinum Concilium ſeſſ. 6. cap. 3. ita providet. *Nemo regularis extra Monaſterium degens, etiam ſui ordinis privilegii prætextu tutus cenſeatur, quominus ſi deliquerit, ab ordinario loci tanquam Sedis Apoſtolicæ delegato ſecundum Canonicas ſanctiones viſitari puniri, & corrigi valeat.* Atque in univerſum ſic edicit Tridentina ſeſſio vigeſima prima, cap. 8. ut commendata Monaſteria etiam Abbatiæ, in quibus non viget regularis obſervantia, necnon beneficia tam curata, quam non curata, ſæcularia, & regularia, qualitercumque commendata etiam exempta, ab Epiſcopis tamquam Apoſtolicæ Sedis delegatis annis ſingulis viſitentur. Et mox ſubjungit. Et ſi in eis vigeret obſervantia regularis, provideant Epiſcopi paternis admonitionibus, ut eorum regularium Superiores juxta eorum regularium inſtituta debitam vivendi rationem obſervent, & ob-

ſer-

ſervari faciant, ut ſibi ſubditos in officio contineant, ac moderentur. Quod ſi admoniti intra ſex menſes eos non viſitaverint, vel correxerint, tunc iidem Epiſcopi etiam ut delegati Sedis Apoſtolicæ eos viſitare poſſint, & corrigere; prout ipſi ſuperiores poſſent juxta eorum inſtituta: quibuſcumque appellationibus, privilegiis, & exemptionibus pœnitus remotis, & non obſtantibus.

Utrum verò poſſit Epiſcopus regularem, qui notoriè, & ſcandaloſè extra clauſtra deliquit carcere ſtatim includere, ac detinere, donec confecto in Curia Epiſcopali proceſſu, reum puniendum ad ſuperiorem regularem unà cum proceſſu inſtructo tranſmittat? Sanè declaravit Cardinalium Congregatio ſtatim ad ſuperiorem eſſe remittendum, & tunc ſolummodò poſſe Epiſcopum ſub cuſtodia regularem includere, & punire, quando admonitus ejus ſuperior illum debitè coercere neglexit.

Eadem ſeſſ. 25. de reformat. cap. 16. *Prohibet beneficia ex primæva inſtitutione curata fieri ſimplicia, etiamſi Parocho, ſeu Vicario aſſignetur congrua portio. Ubi verò jam id factum fuit etiam ab immemorabili tempore, curam gerat Epiſcopus aſſignandi Vicario, ſeu* Parocho *congruentem portionem, ſi ſufficientem non habeat. Et cùm primum per ceſſum, ſive deceſſum, ſive rectoris, ſive Vicarii, aut quomodolibet altera ex duabus præbendis vacauerit, beneficium integrum in animarum curam reſtituat, & Vicariam ſupprimat.*

Diatriba Eccleſiaſtica circa Tridentinum decretum, de vulgata Bibliorum editione.

SEſſione quarta ſic decernunt Tridentini Patres, poſt enumeratos Sacræ Scripturæ ſigillatim libros:

bros. *Si quis autem libros ipſos integros cum ſuis omnibus partibus, prout in Eccleſia Catholica legi conſueverunt, & in veteri vulgata lectione habentur, pro ſacris, & Canonicis non ſuſceperit anathema ſit*. Hunc locum multi perperam detorquent ad ſingulas particulas vulgatæ Latinæ editionis, cùm tamen ſcopus longè diverſus à Concilio hìc intendatur: quod poſtquam libros quoſdam ſacros, quos hæretici de Canone obliterabant, ſacro Canoni aſſeruit, ulteriùs providit hoc eodem loco, ut ex his etiam libris quos hæretici horum temporum fatebantur Canonicos, partes aliquas etiam magnas, & inſigniter amplas, quas hæretici ſpurias, additiťias, & ſuppoſitas contendebant, debitæ authoritati Canonicæ vindicaret. Atque hic eſt verus, genuinus, & à Concilio intentus horum verborum ſenſus. *Cum ſuis omnibus partibus*.

Hanc Synodum generalem fuiſſe congregatam hoc præcipuè fine, ut provideret ne Chriſti Eccleſia detrimentum ex erumpentibus Luteranorum, Zuinglianorum, Calviniſtarum, & Anabaptiſtarum ſectis ulteriùs caperet; nemo eſt qui dubitet: idque liquidò conſtat ex indictionis Bulla Concilio iſti præfixa. At verò novatores ſectarii duplicem circa ſacros libros errorem invexerant. Primùm enim integros aliquot libros de ſacrarum ſcripturarum Canone expungebant, hi ſunt Tobiæ, Judith, Sapientiæ, Eccleſiaſtici, Machabæorum: deinde alios quidem integros admittebant, non quales in Latina vulgata editione habentur, ſed tantùm prout in Hebraicis hodiernis voluminibus leguntur: in quibus permultæ deſunt partes, ſupplentur in receptis ab Eccleſia Latinis Bibliis, quas omnes partes ſupprimunt hæretici in univerſis quibus utuntur, tàm Latinis, quàm vernaculis translationibus. Huic ergo ſecundo errori providere ſategerunt Tridentini Patres per hæc verba, *Cum ſuis omnibus partibus*: Nec verò ulterius ad ſingulas, & minutas particulas mens eorum col-

collimavit, ut ex ſequentibus argumentis perſpicuum fiet. Quæ antequam attingam, viſum eſt aliquas ex pluribus ſeligere, & recenſere partes, ad quas reſpexit hoc loco ſacra Synodus.

Negant igitur novatores eſſe Canonica, & ſupprimunt ex propriis Bibliis iſta, quæ continentur in editionis vulgatæ Bibliis Geneſ. 4. v. 8. *Egrediamur foras*. Et Gen. 38. v. 5. *Quo nato parere ultra ceſſavit*. Ex Exod. 2. v. 22. *Alterum verò peperit: quem vocavit Eliezer, dicens; Deus enim Patris mei adjutor meus eripuit me de manu Pharaonis*. Et 1. Reg. c. 5. verb. 6. *Et ebullierunt villæ & agri in medio regionis illius, & nati ſunt mures, & facta eſt confuſio mortis magnæ in civitate*. Item 1. Regum 10. verb. 1. *Et liberabit populum ſuum de manibus inimicorum ejus qui in circuitu ſunt; & hoc tibi ſignum, quia unxit te Deus in principem*. Similiter 1. Regum 14. verb. 1. *Quid eſt quod non reſponderis ſervo tuo hodie? ſi in me, aut in Jonatha filio meo eſt iniquitas hæc, da oſtenſionem: aut ſi iniquitas hęc eſt in populo tuo, da ſanctitatem*. Præthereà 2. Reg. 4. v. 5. *Et oſtiaria domus purgans triticum obdormivit*. Inſuper 2. Reg. 10. v. 19. *Expaverunt, & fugerunt quinquaginta, & octo millia coram Iſrael;* Item primo Paralipom. 1. v. 32. *Filii autem Dada, Aſſurim, & Latuſſim, & Latomin*. Alia hujuſcemodi innumera prętermitto.

Sunt item integra capita, & partes ingentes in vulgata editione, deſumptæ ex Græca Theodotionis editione, quarum nihil continetur in Hebræis, aut Chaldaicis voluminibus, quæ ſimiliter à novatoribus, ut ſpuriæ reſpuuntur, quales legimus in libro Eſther, & præterea in libro Danielis, cujus cap. 3. habentur continui ſexaginta ſeptem verſiculi, quos omnes illi expungunt. Habentur præterea integra, & prolixa cap. 13. & 14. comprehendentia Suſannæ, & Draconis Beli, & carceris Danielis, & translationis Habacuc Prophetæ amplas hiſtorias, quæ à Luteranis, & Calviniſtis exploduntur. Huic ergo hæreticorum circa divinas Scripturas

ras errori, ac temeritati occurrendum judicavit Sacra Synodus, quando illos anathemate percullit, qui ſacros libros cum ſuis omnibus partibus pro ſacris, & Canonicis non ſuſceperint. Neque quidquam definire intendit, vel cogitavit ſacra Synodus de omnibus particulis, aut verborum minutiis univerſis, quæ neque fidei, neque morum diſciplinam convellunt, aut labefactant.

Enim verò dubitari nullo modo poteſt, quin eo ipſo tempore quo Tridentina Synodus ipſum iſtud decretum circa ſacros libros procudebat, ſacra vulgatæ editionis Biblia tot mendis ſcatarent, ut nullum prorſùs Bibliorum Latinorum exemplar ab innumeris mendis immune fidelium manibus tereretur. Itaque non potuiſſet hoc de illis ſtatuere, quod multis venit in mentem, videlicet omnes hujuſmodi Bibliorum particulas, & voculas ſine ulla exceptione ſacras eſſe, atque Canonicas. Sanè illo ipſo ſæculo Plantinianæ editionis vulgata Biblia ad fidem vetuſtiſſimorum manuſcriptorum tota Europa conquiſitorum excuſa, judicabant ſapientes prę cunctis aliis caſtigatiſſima: tamen poſt Plantinianę correctionis editionem, aliaſq; eorumdem temporum ſatis caſtigatas, & elaboratas, & poſt Conc. Trid. tempora prodiit juſſu Sixti V. Pontificis nova, & caſtigatior Bibliorum editio: qua tamen haud contentus Clemens Papa Octavus, alteram caſtigationem quam Sixtina, fuerat, concinnari fecit Bibliorum editionem.

Et tamen Sixti Conſtitutio anno edita 1589. cujus eſt initium, *Æternus ille cœleſtium*, & quam Bibliis ſua cura correctis præfixerat, ita loquitur: *De Apoſtolicæ authoritatis plenitudine ſtatuimus, ac declaramus, eam vulgatam ſacram tàm veteris, quàm novi Teſtamenti Latinam editionem, quæ pro authentica à Concilio Tridentino recepta eſt, ſine ulla dubitatione, ac controverſia cenſendam eſſe hanç ipſam, quam nunc prout optimè fieri potuit, emendatam, & in Vaticana Typographia*

phia impreſſam, in univerſa Chriſtiana Rep. atque in omnibus Chriſtiani orbis Eccleſiis legendam evulgamus. Eamque nunc demum Apoſtolica nobis à Domino tradita authoritate comprobatam pro vera, legitima, authentica, & indubitata, in omnibus publicis priuatiſque diſputationibus, lectionibus, prædicationibus, & explanationibus recipiendam, & tenendam eſſe.

Ex conſtitutione Sixti nihil obſtitit quominùs poſtmodùm Clemens VIII. hanc vulgatam, & Sixtinam Bibliorum editionem in multis poſt Sixtum emendatiorem edi curaverit, multis tùm additis, tum detractis paſſim vocibus, aliiſque tranſpoſitis, nonnullis etiam fidei doctrinam non concernentibus, apertam etiam contrarietatem, aut contradictionem habentibus, ut affirmat ipſa Clementis Bulla, quam refert poſt Sixti Bullam Cherubinus collector in ſuo Bullario. Dicendum itaque Sixtum emendatiora, quàm ante fuiſſent Biblia ſuppeditaſſe, non tamen ab omnibus expurgata mendis: neque ablatam per id poteſtatem fuiſſe poſteriobus Pontificibus caſtigatiora Biblia edendi, qualia ſunt Clementis VIII. Neque poſt Clementis editionem fuiſſe exhauſta omnia ſacrorum librorum menda, aut præreptam futuris Pontificibus poteſtatem emendatioris editionis, quàm fuerit ipſa Clementina. Id verò unum tàm Sixtus, quàm Clemens intenderunt, novam quam exhibebat uterque editionem fuiſſe iis, quę præceſſerant, caſtigatiorem: & præterea ſi quid poſſit in eis poſthac de novo emendari, id omne eſſe indifferens ad ſanam fidei doctrinam.

Quin etiam ſubindè poſt Clementinam Bibliorum editionem Franciſcus Lucas Theologus, & Decanus Cathedralis Eccleſiæ Audomarenſis, libellum edidit continentem plures lectionum varietates, quibus perfectior reddi poſſit ipſa Clementis editio, ſi accederet alterius Romani Pontificis authoritas. Collectio autem Franciſci Lucæ comprehendit quater mille, & amplius loca, quæ in Bibliis à Clemente correctis ulteriùs

poſſent emendari. Idemque in epiſtola hujuſce collectionis dedicatoria refert teſtimonia ex Litteris ad ſeipſum ſcriptis Roberti Bellarmini Cardinalis, & Ioannis Baptiſtæ Bandini, quorum opera Clemens uſus fuerat in Bibliorum à ſe editæ correctione. Uterque Franciſco Lucę reſcribit, *Sacra Biblia per illam Clementinam, quæ de Vaticana Typographia paulò ante prodierat, editionem necdum eſſe accuratiſſimè correcta, & ſupreſſa non pauca quæ adhuc in meliùs mutari poſſent*. Huius quidem Clementinę editionis prȩfatio, quę ab ipſis Pontificiis correctoribus præfixa eſt, profitetur *hanc editionem pro humana infirmitate omnibus numeris abſolutam difficile eſſe affirmare*. Iſte Franciſcus Lucas aliam quoque procudit collectionem, quę correctiones pluſquàm ter mille recenſet, quibus Sixti editio Biblia vulgata, quę Conc. Trid. tempore erant in communi totius Eccleſię uſu defœcavit. Quis igitur aſſerere auſit in Bibliis quibus Tridentini Patres, & reliqui tunc temporis fideles utebantur, nullam vocem, aut particulam fuiſſe, quę non eſſet divinę authoritatis? aut quis poterit hoc idem de Sixtina correctione affirmare, cùm inſequens Clementina correctio quamplurima Sixtinę correctionis loca inſuper emendaverit, & adhibiti ab ipſo Clemente correctores, aliique pietate doctrinaque in primis conſpicui doctores pleraque loca, quę in Clementina editione ſuperſunt, mendoſa eſſe pronuncient, & argumentis probent?

Sancti Eccleſię Doctores nobis apertè ſuffragantur. Hieronymus, qui ſcribit nomen *Jeremiæ*, quod adhuc legitur *Matth. 27. verſ. 9.* irrepſiſſe pro *Zaccharia*. Epiphanius *aduer. hęreſ.* in ſecta Epicurȩorum, qui apertè ſcribit mendum exſcriptorum eſſe, quod etiam nunc legimus *Matth. 1. ver. 11. Joſias autem genuit Jechoniam, & fratres ejus*. Et iterum S. Hieronymus nomen *Iſaiæ*, quod legimus *Matth. 3. verb. 3.* credit eſſe additum. *Nos*, *ait*, *nomen Iſaiæ putamus additum ſcriptorum vitio, quod & in*

aliis

aliis probare poſſumus : Sic ille. Alii inſuper priſci Patres de quibuſdam aliis Scripturę locis expoſtulant fuiſſe depravata. Ut & alii recentiores graves, & orthodoxi, qui tamen ante Tridentinum Concilium ſcripſere, Nicolaus Lyranus, Alfonſus Toſtatus, Hugo Cardinalis, Thomas Cajetanus, Dionifyus Richel Cartuſianus, aliique. Sed in his haud immoror, ut ad eos progrediar, qui poſt Conc. Trident. ſcriptis ſuis Eccleſiam illuſtrarunt.

Iſtiuſmodi ſunt Joannes Maldonatus, Ludovicus Lipomanus Epiſcopus Veronenſis, Andreas Maſius, Cornelius Janſenius Epiſcopus Gandavenſis, Joannes Gagnęus, Alphonſus Salmeron, Cęſar Baronius Cardinalis, Jacobus Tirinus, Nicolaus Serarius, Gaſpar Sanctius, Dionyſius Petavius, Jacobus Salianus, Nicolaus Serarius, Torniellus, Cornelius à Lapide, Bellarminus, ne alios recenſendo prolixior ſim. Deus optimè quales, & quanti viri, in quibus eximia pietas, ſublimis ſapientia, & profunda eruditio de palma contendunt? Adeò ut licèt aliquis unum, aut alterum locorum, quæ illi depravata in vulgata editione contendunt, a depravatione tamen vindicaverit, hoc ſaltem ſuperſit tot tantorumque Doctorum judicio Conc. Trid. quod illi omnes magna proſequebantur veneratione, & cui contradicere piaculum credidiſſent, minimè judicaſſe ſingulas vocum particulas nulla excepta, prout in vulgata editione reperiuntur, eſſe Canonicas, ac divinæ authoritatis.

Vulgata tranſlatio Latina Joſuè 21. v. 36. Sic enunciat: *De tribu Ruben ultra Jordanem contra Jericho civitates refugii Boſor in ſolitudine Miſor, & Jaſer, & Jetſon, & Mephaath, civitates quatuor cum ſuburbanis ſuis.* Nicolaus Serarius è Societ. Jeſu, comment. in hunc locum admonet in primis ex præcedenti c. 20. verb. 8. aliiſque Scripturis, ex his enumeratis urbibus tribus, Ruben ſolam Boſor eſſe refugii. Quod eſt etiam notandum in aliis aliatum

rum tribuum hic recenſitis civitatibus. Nam ex 48. Leviticis urbibus aſſignatæ ſex dumtaxat fuere in refugium, quamuis in verſiculis 21.27.32.36.& 37. promiſcuè, & indiſtinctè in vulgata editione omnes civitates dicantur urbes refugii.

Addit Serarius nomen Miſor in vulgatum Latinum contextum ver.96. ex margine irrepſiſſe. Addit prætereà, vel eamdem eſſe Iaſer cum Cademoth, vel cum inſequente civitate Iethſon: ſed probabiliùs eſſe, Iaſer huc per errorem immigraſſe vice Cademoth. Idemque Serarius hæc verba ſubnectit; *Hinc apparet vulnus alicunde textui huic, tàm in Latinis, quàm in Græcis, quàm in Hebræis exemplaribus inflictum; quod nondum hactenùs curatum ſatis.* Alphonſus verò Toſtatus textum vulgatum hujus, & ſequentium verſiculorum ex hiſtorica veritate aliarum ſcripturarum corrigens, non aliter proponit niſi in ſingulari numero *civitatem refugii, non civitates refugii.*

Gaſpar Sanctius ejuſdem ſcriptor Societatis, qui ſuis commentariis univerſam penè ſcripturam elucidavit, ad l.4.*Reg.cap.*14.*num.*28. & ſequentibus multa fusè admodum de hac materia pertractat, & pro fundamento regulam iſtam his ipſis verbis proponit: *In Bibliis vulgatis & fuiſſe multa, & nunc etiam eſſe non pauca, quæ ſcriptorum, ac Librariorum incuria ſenſim irrepſerunt, quę mutata ſunt, & correcta à Sixto, & multa etiam relicta, quę cum mutanda viderentur, conſultò tamen relicta ſunt.* Eodemque loco Sanctius obſervat, *Hieronymum in ſacra ſcriptura (qualem etiam nunc poſt Sixtinam correctionem habemus) Librariorum incuriam deprehendiſſe, ut Iſaię cap.*32. *& Matth.*1.*ubi Sermo eſt de Jeconia.* Et *Canum.l.*11.*de locis, multa obſervare errata in numeris ex eorum in curia, qui olim ſacros libros tranſcripſerunt.*

Addit Sanctius ſæpè in Bibliis contingere, ut una dictio à deſcriptore prætereatur, quia alia ſimilis ei conjuncta eſt. Et profert *ex pluribus* (ut loquitur) *exemplis hæc pauca etiam poſt Pontificiam correctionem. Hebr.*12.

verb.

verb. 2. *propoſito ſibi gaudio*, *cum tamen juxta codices Græcos legendum velit* : *pro propoſito ſibi gaudio*, ἀντὶ προκειμένης αὐτῷ χαρᾶς, *ut legunt Chryſoſtomus*, *Theodoritus*, *Theophilactus*, *Oecumenius*. Sic Roman. 11. *inveſtigabiles dicuntur viæ Domini pro in inveſtigabiles. Ante Sixti verò correctionem ſimiliter legebatur*. Hebr. 5. verb. 11. *interpretabilis*; *at nunc in interpretabilis*, *Græcè*, δυσερμήνευτος. Et Pſal. 118. *nunc temporis etiam legitur* : *præveni in maturitate*, *pro contrario vocabulo*, *in immaturitate*, *id eſt in tempore nondum opportuno*. Addit præterea, *ſanctum Hieronymum ad locum Iſaiæ* 42. *Educet in veritate judicium*, *obſervare hunc locum mutilatè legi apud Matthæum capit.* 12. *omiſſis iſtis*, *non erit triſtis*, *neque turbulentus*, *donec ponat in terra judicium*. *Idque Scriptoris errore contigiſſe*, *qui hanc vocem* (*judicium*) *repetitam in illo Iſajæ loco non adverrit* : *ideòque ſemel tantùm per inadvertentiam poſuit*, *omiſſis verbis intermediis*. *Quam obſervationem idem reperit Hieronymus ad Aglaſiam*, *q.* 2.

Deinde proſequitur Sanctius adjungens, Matth. 1. *ſecunda Genealogiæ Chriſti teſſeradecade fuiſſe omiſſos non ab Euangeliſta*, *ſed à parum cauto exſcriptore*, *tres iſtos Ochoſiam*, *Joas*, & *Amaſiam*, *ob vicinitatem*, & *ſimilitudinem nominum Ochoſię*, & *Oſię*, *ut inconſultò ſcripſerit aliquis antiquarius Joram genuit Oſiam*, *pro Joram genuit Ochoſiam* : *quod proclive erat*, *quia pręter reliquam conformitatem*, *habent hęc duo nomina eamdem litteram initialem*, *nec differunt niſi una intermedia littera*.

Similiter probare, & perſuadere nititur Sanctius, *in tertia teſſeradecade ſcriptum fuiſſe à Matthæo* : *Joſias genuit Jeconiam*, & *poſt tranſmigrationem Babylonis*, *Jeconias genuit Jechoniam*, *eo quòd Joacin filius Joſiæ fuerit etiam denominatus Jeconias*, *ut volunt Hieronymus in hunc Matthæi locum* (*quem idem ſanctiſſimus Doctor aſſerit ab inſcriptoribus depravatum*) Et S. Ambroſius lib. 3. in Lucam ad finem. Et S. Epiphanius in hæreſ. Epicureorum ad finem, *qui depravationem quoque ab exſcriptore hic factam aſſerit*.

Hos ſequuntur quoad teſtimonium ejuſdem prętenſæ depravationis pręter Sanctium, Toſtatus Abulenſis, Janſenius, Gandavenſis, Mariana in *c.* 1. *Matth.* Garzia Galerza *l.* 8. *c.* 3. difficultates porrò, quæ opponi circa nominum numeros teſſaredecadas ſingulas conſtituentes, Sanctius abundè conatur explanare.

Cornelius Janſenius Gandavenſis Epiſcopus in epiſt. ad Cardinalem Granvellanum, quam editis a ſe in Eccleſiaſticum commentariis præfixit, meminit quidem hujus Trid. decreti; quia tamen aliam eſſe, quam quæ à vulgo exiſtimatur, iſtius decreti mentem, & ſcopum intelligebat, ſic ibidem de Eccleſiaſtici libro loquitur. *Hic liber præ cæteris Scripturæ libris, & infelicius apud nos verſus eſt, & corruptiſſimus eſt in pleriſque locis.* Deinde identidem per univerſum commentarii ſui opus paſſim pronunciat, & oſtendit, *Translationem iſtam qualem nunc habemus vitiatam, & corruptam eſſe pluribus locis ad ſingula capita libri, neque Latinum duntaxat, ſed ipſum etiam Græcum exemplar.*

Alfonſus Salmeron S. Ignatii Lojolæi ſocius, qui Tridentino Conc. Summo jubente Pontifice interfuit, & Joannes Gagnæus comment. ad Act. Apoſt. cap. 27. v. 5. *ambo ſcribunt eo loco per errorem irrepſiſſe Lyſtram Lyciæ, ſicut Latinis vulgatis, cum ſcribendum velint Myram Lyciæ, ſicut habent Græci codices, & legerunt Chryſoſtomus, aliique Græci Patres; cum ſit certum Myram eſſe in Lycia; Lyſtram autem hic ipſe liber Actuum cap. 14. collocet in Provincia Lycaoniæ.* Iſtam Salmeronis, & Gagnæi ſententiam refert Lorinus Act. 27.

Joannes Maldonatus ejuſdem Scriptor Societatis Comment. in Matth. 1. ver. 11. *Ait hunc verſiculum eſſe Scriptorum vitio depravatum, & ſic legendum eſſe: Joſias autem genuit Joacim, & fratres ejus, &c. Deinde verſum 12. ſimiliter ipſius judicio depravatum, ſic eſſe legendum. Jocin autem genuit Jechoniam.* Idemque Maldonatus Matth. 27. verb. 9. docet, *nomen Jeremiæ, quod ibi legitur fuiſſe ab*

aliquo indocto margini oppoſitum, deinde ab altero æque imperito tranſlatum in ipſum textum, cùm tamen memorata ibi prophetia non ſit Jeremiæ; ſed Zachariæ. Iſtam circa hunc locum ſententiam Maldonatus communem habet cum S. Hieronymo, & Cornelio Janſenio Gandavenſi ad hunc ipſum locum, ut taceam Lyranum, Hugonem Cardinalem, Dionyſium Carthuſianum, qui fuerunt in eadem ſententia ante Synodum Tridentinam.

Jacobus Tirinus Soc. Jeſu 1. Paralip. cap. 4. verb. 22. Haud ſatis probat iſtas verſiones, *Qui ſtare fecit ſolem, & viros mendacii, & ſecurum, & incendentem, cùm ſint nominum propriorum Jokim, & Coſeba, & Joas.* Quin etiam adjungit, *vocem ſolis, quæ legitur in omnibus, vulgatis etiam ultimò correctis Bibliis, fuiſſe olim hic inſertam à ſciolo, deductamque ex Judæorum anilibus fabulis.* Idemque Tirinus, necnon ex eadem Societate alii duo Jacobus Salianus ad ann. 3150. num. 5. & ſeqq. atque Dioniſyus Petavius ration. temporum, p. 2. c. 11. Cajetanus pariter in 2. Paralipom. & Torniellus in annal. unanimiter omnes ſcribunt, in lib. 2. Paralip. cap. 22. verb. 2. *mendosè legi tàm in Hebræis, quàm in Latinis voluminibus, quadraginta duos annos, pro duobus, & viginti, ſicut habetur* 4. Reg. 8. 26. Cornelius à Lapide commentar. ad 2. Paralip. 22. *Apertè affirmat ibi eſſe mendum numericum, & contrarias rationes ſolidè refellit.* Addit idem *affirmari à Bellarmino in manuſcripta concordia annorum Iſrael, & Juda, quam penes ſe habet*, Deindè ſic ait: *plura in editione vulgata à Romanis correcta ſunt, & plura corrigi poſſent, ut ipſi correctores in præfatione fatentur. Sic multi demum Cainam à ſerie generationum in genealogia Chriſti, cum tamen eum conſtanter habeant omnia Græca, Latina, Syria, Arabica exemplaria.* Lucæ 3. 36. Hactenùs Cornelius à Lapide.

Aloyſius Lipomanus Veronæ Epiſcopus, & Andreas Maſius intricati ambo perplexis difficultatibus conciliandi cum narratione Moyſis ea, quæ perhibet S. Stephanus de vocatione, & migratione Abrahami, nodum

iſtum Gordium exſcindere, quam ſolvere ſatiùs duxerunt, & ſcripſerunt, *antiquarios nonnulla exſcribendo caput Act. 7. ſive per incuriam, ſive per imperitam audaciam vitiaſſe*: Non tamen deſunt rationes conciliandi loca in ſpeciem contraria, quas alii expoſitores excogitarunt.

Cęſar Baronius Card. de Eccleſia optimè meritus, rationibus aliquot Chronologicis adductus aſſerit ad Chriſti annum 59. *Subeſſe mendum in omnibus Pauli exemplaribus 2. Timot. 4. v. 20. Trophimum autem reliqui infirmum Mileti*, *cum autumet Melitæ legi oportere*.

Præ omnibus Bibliorum editionibus pręcipuam certè laudem, ac venerationem meretur Latina vulgata à ſincerioribus, & eruditioribus ingeniis, cęteris omnibus tranſlationibus pręlata, quamque univerſa Eccleſia reliquis omnibus poſt habitis complexa eſt: nec minus tamen ſupra recenſiti graviſſimi, & Catholici Doctores, aliiq; quorum commemoratione ſuperſedeo, ipſique illi qui Sixti, & Clementis juſſu vulgatam editionem exactius quam antea correxerunt, hoc de ipſa in pręfatione, quam Bibliis pręfixerunt teſtati ſunt, *Non poteſt affirmari, quod ſit numeris omnibus abſoluta, atque in his non pauca relicta fuiſſe quæ mutanda videbantur*. Nimirum quia menda nonnulla ſic ab antiquo irrepſerant, ut nulla ſuppeterent exemplaria his mendis vacua. At verò ſapientis veterum librorum, & maximè ſacrorum correctoris eſt, nihil ex propria mente innovare, ſed cuncta ad fidem optimorum, & vetuſtiſſimorum exemplarium exigere, quantùmvis videri poſſit alteratus ab antiquis non quidem authoribus, ſed exſcriptoribus locus.

Id verò non ſolùm in vulgata editione damnum contingere potuit, ſed in ipſis Hebraicis, Græciſque exemplaribus reipſa ita contigiſſe certum eſt: ut nullum hujuſmodi exemplar immune prorsùs reperiri poſſit, ipſaq; Eccleſia ſancta in omni ſæculorum decurſu, vix ac ne vix quidem Bibliis Hebraicis, aut Græcis, aut Latinis potita ſit, quæ omni ex parte illibata, & ex-

pur-

purgata eſſent. Exempli cauſa in multiplicibus verſibus c. 21. Joſue, videbant adhiberi tum à Sixto tum à Clemente correctores perſpecta rei veritate. *Legendum eſſe potiùs urbs, quàm urbes refugii*: Tùm quia ex multiplicibus illic nominatis urbibus Leviticis ſolæ illæ, quæ primo loco in iis verſibus nominantur, pertinebant ad refugium, ſeu aſylum, reliquæ non pertinebant: tùm quia ipſi tàm Hebræi, quàm Græci Codices Archetypi, urbem numero ſingulari exprimebant Hebræi quidem את עיר מקלט *eth. bir. miclat*, Græci autem τὴν πόλιν φυγαδευτηρίου. Nec dubitabant emendatores, quin Latinus interpres tranſtuliſſet in ſingulari *urbem*: facilè quoque animadvertebant ſciolum quempiam, & audaculum vulgatæ editionis, ſive tranſcriptorem, ſive correctorem, videndo non unicam, ſed plures deſignari ſimul civitates, ineptè autumaſſe non urbem ſcribendum, ſed urbes. Quia tamen iſta depravatio ab altiſſimè dudum petitis ſæculis invecta fuerat, nec ullum hac in parte illibatum exemplar occurrebat, maluerunt modeſti, & Religioſi emendatores rem, uti erat relinquere intactam, quàm contra omnium veterum Latinorum exemplarium fidem aliquid ex mente propria commutare. Atque ita multa (ut ipſi proteſtantur) quæ mutanda videbantur, conſultò immutata reliquiſſe.

Hebræa verò Biblia non eſſe jamdudum à mendis vacua perſpicies, ſi conferas cum Græca Septuaginta interpretum editione: cui tantùm detuliſſe ipſum Chriſtum Dominum ejuſque Apoſtolos, & Euangeliſtas conſtat, ut quando ex veteri Teſtamento teſtimonia proferunt, non aliter ea enuncient, quàm juxta Septuaginta interpretum editionem, etiam ubi maximè videntur ab Hebraico textu diſcrepare. Conſtat verò 70. interpretes aliquot ſæculis Chriſto anteriores à Principe Sacerdotum ſelectos florente Judæorum Republica, inſtructos fuiſſe quam emendatiſſimo veteris Teſtamenti Hebraico exemplari: nec minùs liquidò conſtat ipſos aliter in Hebræis voluminibus legiſſe, quam nunc

rem-

temporis, atque ab annis 1200. legi ſolẽat, ut perſpicuè oſtendunt in editis à ſe in Pſalmos commentariis Paulus Burgenſis Genebrardus, Lorinus, Bellarminus. Fateri ergo neceſſe eſt Hebræorum codices, quales habemus depravationem dudum contraxiſſe. Quæ depravatio poſt reprobationem Judaiſmi multis ex cauſis ortum duxit (ut ſileam exſcriptorum incuriam, inſcitiam, malam fidem, quam etiam Judęis improperat Juſtinus Martyr, circa Scripturas in Dialogo cum Triphone Judæo) tùm ex plurium Hebraicarum litterarum ſimilitudine; unde factum, ut aliæ pro aliis facilè ſubſtitutæ fuerint, tum ex vocalium apud Hebræos defectu, quarum loco alia pro aliis vocalia puncta obtruſerunt Rabbini Judęorum, poſt Chriſtianæ Religionis exortum iſtiuſmodi punctorum inventores; tum demum ex interpunctionum periodo, & inciſa dividentium collocatione diverſa, qua ſenſus ſententiarum, & verborum quàm ſæpiſſimè immutatur, & planè diverſus reperitur inter hodierna Hebraica Biblia, & Septuaginta interpretes. Hęc paſſim demonſtrat in Pſalmis Genebrandus, & ab hoc mutuatus Bellarminus.

Quod verò attinet ad Gręcam 70. translatorum editionem, quæ ab ipſis Apoſtolorum temporibus omnem in Eccleſia obtinuerat authoritatem, in Oriente quidem ad hunc uſq; diem, in Occidente autem per annos quingentos, ubi Romana Eccleſia, cęteræque tùm Occiduę, tùm Africanæ non aliis utebantur Latinis Bibliis, quàm derivatis, & traductis ex fonte tranſlationis Græcæ à 70. editæ. Dubitari tamen non poteſt, quin editio 70. fuerit multis locis vitiata, & corrupta jam inde à prioribus Eccleſiæ ſęculis, ut conqueritur Origenes ad caput Jerem. 17. Fieri ergo non potuit, quin Latina antiquiora Biblia, quibus ſolis univerſa Eccleſia Latina utebatur, eoſdem pariter defectus contraxerint. Ipſe ſanè Origenes quam optimè potuit Septuaginta expurgavit, quæ tamen diligentia ejus minimè ſuffecit, quan-

quandoquidem ſanctus Martyr Lucianus, & Eſychius novas poſt Originem addidere correctiones editionis Septuaginta: ſed inter ſe ita diverſas, ut fidem faciat Hieronymus Orientalium Eccleſiarum partem uſam Luciani editione fuiſſe; at in altera parte prævaluiſſe editionem Eſychii. Quæ tamen non obſtiterunt, quin Græcæ utriuſque editiones multis nęvis, & maculis aſperſæ ſint, ut paſſim S. Hieronymus expoſtulat.

Quod autem ad Latinarum Eccleſiarum Latina Biblia ſpectat, quibus illæ per annos quingentos uſę ſunt, ſic de illis teſtatur Hieron. pręfat. in Joſue: *Apud Latinos tot ſunt exemplaria quot codices, cùm unuſquiſque pro arbitrio ſuo, vel addiderit, vel ſubtraxerit, quod ei viſum eſt*. Hieronymo ſuffragatur Auguſt. l. 2. de doctr. Chr. c. 11. Hiſce verbis: *Qui Scripturas verterunt Latini numerari nullo modo poſſunt, ut enim cuique primis fidei temporibus in manus venit Codex Græcus, & qui aliquantulùm facultatis utriuſque linguæ ſibimet babere videbatur, auſus eſt interpretari*. Ita Auguſt. Et ſanè ut fuiſſent illę verſiones alioqui ſinceræ, illas tamen labes neceſſariò contrahebant, quę temporum injuria codices ipſos Gręcos unde translatæ erant deformaverant, Sola verò vulgata editio cujus authorem Hieronymum eruditiores credunt, ex Hebraicis fontibus hauſta eſt. Sed ipſa quoque (ut in omnibus rebus, quę privatorum hominum manibus paſſim, & longo annorum decurſu tractantur neceſſe eſt, evenire) nævorum, & depravationum haud paucas injurias pertulit ab exſcribentibus antiquariis, & correctoribus imperitis. Quare multis pręconiis laudanda eſt Sixti, & Clementis Pontificum pia ſollicitudo, qua factum eſt, ut defæcatioribus nunc Bibliis fruamur deterſis innumeris, quibus & antè, & poſt Conc. Trid. ſcatebant maculis. Certè numquam permiſit, aut permiſſura eſt divina providentia, ut Biblia ſacra quibus publicè Catholica Eccleſia utitur ejuſmodi erroribus fędentur, qui divinæ fidei, morumque ſanctitati directè

&

& manifeſtè advertentur. Hùc enim collimat Chriſti in ſuam Eccleſiam regimen, & directio.

Quamvis olim Curiæ Regni Franciæ conſulente, & inſtigante Carolo Molinęo Pariſienſi advocato, qui ſuum etiam qualecumque Conſilium Typis edi curavit, huius Synodi Tridentinæ receptioni, prętèrquam in decretis ſolis, quæ de fide ſunt, obſtiterint: ſinguli tamen Epiſcopi intra proprias Diœceſes recipi, & obſervari curaverunt hujus Concilii Canones, quotquot etiam circa Eccleſiæ ordinem, & diſciplinam conſtituerat. Quo factum eſt, ut jam inde ab integro ſæculo, graduum conſanguinitatis, & affinitatis tàm ſpiritualis, quam carnalis reſtrictio, quoad legitima connubia, anni etiam ad profeſſionem validam requiſiti, annus quoque probationis, forma reclamandi à facta dudum profeſſione, ætas quoque ad ſingulos ordines requiſita, formæ proviſionum beneficialium, declarationes poteſtatis ordinariorum in multis rebus, & perſonis, maximè verò circa caſus occultos, quorum olim abſolutio, aut diſpenſatio Papæ reſervabatur, aliaque ejuſmodi quàmplurima vigorem, nemine opponente, in Gallia habuerunt jam inde ab ipſo Pii IV. Pontificatu. Etiamſi Canones hiſce Tridentinis anteriores, atque olim in regno Galliæ vigentes diverſa omninò ſtatuiſſent, ut facilè compertum fiet prędictos Canones percurrenti, & conferenti cum antiquiotibus juribus, quę in ipſis & cum ipſis exactè contulimus, quę abrogata, & mutata videmus in hoc regno à tempore Tridentini Concilii: quod eſt argumentum evidens receptarum in Galliis Tridentinarum ſanctionum. Ad poſtremùm anno Chriſti 1615. Lutetiæ in Generali conventu Gallicani Cleri ſub regno Ludovici XIII. de novo receptum fuit communi decreto Concilium iſtud, ut ex generalibus actis conſtat Gallicani Cleri, & ſcribit in ſuis Annalibus Petrus à Sancto Romualdo Ordinis Fulienſium Monachus.

IN-

INDEX

RERUM NOTABILIUM

Hujus Operis, ordine Alphabetico Digeſtus.

In quo numerus Paginam, & Materiam indicat,

ABbates, ut ab Epiſcopis corrigantur, eiſque ſubſint. pag. 273
Abbates Sacerdotes, & benedicti ſuis poſſunt Monachis tonſuram, & minores ordines conferre. 359
Abſolutionis formula Græca, & approbata perſonam abſolventis nullatenus connotat. 186
Abſolutio quatenùs impedienda ei, qui obmutuit, aut delirat. 183 229
Abſtinentiæ ciborum, & prohibitionis nuptiarum Eccleſiaſtica præſcripta, quam procul à Manichæorum, & Euſtachianorum deliriis diſtent. 90
Acacii Conſtantinopolis Epiſcopi fraude pro Eutychiana hæreſi. 289 320 321
Acacius Cæſareæ Paleſtinæ Epiſcopus, Arianorum abſolutorum coryphæus Conſtantio gratiſſimus. 130 Idem author fuit Anomæorum. 132
Acc-

Acephalorum origo. 321
Ad Altare communicare ſolis licebat Altaris miniſtris. 142
Æra Hiſpanica. 285
Ætas ad profitendam religionem requiſita. 244
Ætas in Epiſcopis, in Archidiaconis, & in Beneficiatiis habentibus animarum curam requiſita. 404
Affinitatis ex illicita conjunctione impedimentum limitatur in ſecundo gradu. 497
Africæ pars quæ Romano ſubdebatur Imperio, deducta Ægypto, Lybia, & Pentapoli, ſex ampliſſimas Provincias amplectebatur. 173
Agaparum uſus antiquiſſimus, ſed poſtea ex abuſu interdictus. 144
Agnorum cereorum Chriſtum repræſentantium pius, & antiquus uſus. 342
Agrippinus Carthaginis Epiſcopus. 9
ἀκρόασις ſecundus Pœnitentium ordo, 247
Alexander Alexandriæ Epiſcopus Ario ſe opponit. 29
Alæ ex utroque Eccleſiæ latere ductæ. 248
Alexander Papa III. Fridericum Aenobarbum Imperatorem veniam petentem Venetiis abſolvit. 403
Alexander Conſtantinop. Epiſc. Arianæ ſe hæreſi opponit, quam in Concilio Nicæno damnat, & Arii in ſuam Eccleſiam ingreſſui obſiſtit. 80
Alexandrini Patriarchæ ditio in Provinciis tribus. 55
Alienatio rerum Eccleſiæ, quas requirat ſolemnitates. 178 179
Ambitus dignitatum damnabilis. 489
Ambon ſeu ſuggeſtum quid ſit in Eccleſia. 248 249
Ambroſius Eccleſiæ doctor Arelatæ natus, & educatus. 103
Amuleta (ſcilicet magica) prohibita, vel ſuperſtitioſa. 145
Anatolii fraus in Chalcedonenſi Synodo pro Conſtantinopolitanæ ſedis indebita præeminentia. 239

Anatolius Dioſcori primùm apocriſarius, deinde Conſtantinopolis Epiſcopus. 235
Angelos, & Animas rationales corporeæ eſſe ſubſtantiæ maxima olim Patrum Græcorum, & Latinorum pars credidit, & docuit: at nunc jure meritò oppoſita invaluit ſententia. 356 & ſeqq.
Angelos malos multi hæretici ſolebant invocare ex Simonis magi colluvie. 145
Animale peccatum quid ſit. 43 44
Animam unicam in homine eſſe, formaliter quidem rationalem, virtute verò vegetantem, & ſenſitivam definitum contra Manichæos. 222
Annatarum uſus quibus rationibus licitus 459 & ſeqq.
Antimus Eutychianus deponitur ab Agapito Papa obſiſtente licèt Theodora Imperatrice, ejuſque loco ſubrogatur Menas in ſedem Conſtantinop. 290
Antiocheni Patriarchæ fines Helleſpontus, & Euphrates. 56
Antiochenæ Eccleſiæ in tres partes, & totidem Epiſcopos conſciſſio. 122
Apocriſarii, ſeu reſponſales. 39 40
Appollinaris hæreſis circa Chriſti animam damnata. 154 160
Apoſtolis falsò aſcripti canones. 12 13 14 342
Apoſtolorum Concilia tria. 1
Appellatio ad tranſmarina prohibetur Clericis non Epiſcopis ex Africa. 205
Appellationes Appiarii, & Celeſtii ad Zoſimum Papam. 206. 207
Appellationes perditorum Clericorum ad Papam ſæpè ſacræ diſciplinæ, & Diœceſum bono ſtatui pernicioſæ. ibid.
Appellationum ad Papam ex omnibus terræ plagis exempla. 213 214
Appellationes ab abuſu frequentiùs abuſivæ, nec recipiendæ. 314 315

Appellatio à correctione niſi modus excedatur non admittitur, 405 406
Appellatio admittitur ab interlocutoria, ubi damnum adhuc poteſt in definitiva ſententia reparari ibid. & 486
Appellari poteſt à decreto, ſeu ſententiâ incarcerationis; hujus enim damnum cenſetur irreparabile. 486
Aqua in calice vino admiſcenda. 342
Aquę Sextię Metropolis ex antiquo ſecundę Narbonenſis Provincię, & civilis, & Eccleſiaſtica. 171
Aquilejenſis Synodus. 157
Archiepiſcopi nomen primitiùs ſolis Patriarchis, atque Exarchis attributum, non verò Metropolitis: poſtremò autem etiam inferioribus Epiſcopis permultis ex imperiali privilegio, ac reſcripto indultum. 36
Arelate ſub Provincia Viennenſi. 28 171
Arelate à tempore Magni Conſtantini ſedes Præfecti Galliarum. 102
Arelatenſi Epiſcopo, ac primati jus indultum à Papa Zoſimo, ut vicinarum Provinciarum Epiſcopos crearet, ſed ab eodem mox revocatum, & in Hilario deinde Arelatenſi hoc ſibi jus uſurpante à S. Pontifice Leone animadverſum. 101
Arij liber obſcœnus, inſcriptus *Thalia*, 79
Arius Euſebianorum factione Alexandriam jubente Conſtantino revocatur. 83
Athanaſius decreto Iulij Papæ, & Romanæ Synodi remittitur Alexandriam. 84
Idem tamen denuò ab Arianis Conſtantio fretis ejicitur, & Romam, quę Conſtanti parebat, regreditur. 85. Idem ſimulque Paulus Conſtantinopolis Epiſc. alijque exules Orthodoxi, decreto Sardicenſis Concilij in priſtinas ſedes remittuntur. 85
Athanaſius Iacobitarum Pſeudo-Patriarcha Monothelitarum author. 323

Atha-

Athanaſius calumniis, & impoſturis proſcinditur in Tyri Pſeudo-Synodo. 81. Idem factione Arianorum Alexandria ejicitur, & Treviris jubente Conſtantino exulat. 83
Auguſtinus voce, & ſcriptis Pelagianos inſectatur. 200. 203. Idem ſcriptis libris Semipelagianos refellit. 203
Αὐτοχείρακοι. 166

B

Babylæ martyris ſacris Reliquiis in lucum Daphniticum tranſlatis, dæmonis oracula, quæ eo loco reddebantur, ceſſarunt. 117
Baptiſmo carens ſi ordinationem accipit, debet poſtquam baptiſmum acceperit de novo ordinari. 68
Baptiſmi, Confirmationis, ac Ordinationis Sacramenta ſine formidine conferenda, ſi dubitatur poſt debitam rei inquiſitionem, an collata fuerit. 348. 349
Baptiſmo Chriſtum induimus, ejuſque vitæ imitationem profitemur. 349. 350
Baptiſteria juxta, non verò intra Eccleſiam. 357
Baronius ex unius Typographi errore corrigi vult cætera omnia Greça, Latinaque vetuſta, recentiaque exemplaria. 78
Baſilius Ancyræ Epiſcopus, Semiarianorum coripheus hæreticum Photium diſputans refellit in Concilio Sirmienſi. 123. Idem cum aliis Semiarianis Arianorum factione deponitur in Pſeudo-Synodo Conſtantinopolitana. 130. Etſi idem paulò ante in conciliabulo Seleucienſi Arianorum damnationem urſiſſet, ac obtinuiſſet. 130
Begardorum, & Beguinarum hæretica, & impuriſſima ſecta. 438. 439. Valdè conformis veteri Maſſalianorum, Euchitarum, ac Enthuſiaſtarum ſectæ. 439

Benedictio nuptialis. 167
Beneficia duo ſufficientia tenere prohibitum, & ſi ſint incompatibilia, primum vacat altero ſuſcepto. 359. 360. 361. 419.
Beneficia nullatenus promittenda priuſquàm vacaverint. 406
Beneficia intra ſex menſes à notitia vacationis conferenda ſunt Clerico digno, & capaci, alioquin collatio devolvitur. ibid.
Beneficium quod pater tenuit, filius tenere vetatur. 420.
Beneficii fructus reſtituendi ab eo, qui divinum, & quotidianum officium non recitavit. 468
Beneficia Sacerdotalia ei conferri poſſunt, qui poteſt intra annum fieri Sacerdos, quamvis annum 24 nondum expleverit ætatis. 481
Beneficia curata non debent in duo dividi, quorum unum ſit ſimplex, & ubi hoc factum eſt, curare debent Epiſc. ut in priſtinum ſtatum reducantur. 485
Biblia ſive Hebræa, ſive Græca, ſive Latina ab omnibus omninò mendis expertia, nullo ſæculo habuit Eccleſia. 495. & ſeqq.
Bibliorum vulgatæ editionis partes, quas ſub anathematis pœna Tridentinum aſtruit recipiendas, quænam, & quales ſint. ibid.
Bigami in primitiva Eccleſia privabantur communione ad aliquod tempus. 135
Bigamiæ tàm veræ, quàm interpretativæ irregularitas. 182
Βῆμα olìm diverſa in Eccleſiis ſignificabat. 246

C

CAlices aliquando lignei, ſæpiùs vitrei, & demum argentei. 389
Cancellis olìm Sanctuarium circumdabatur. 251
Canones antiquiores ſacrorum librorum aliquos libros

bros omiſerunt, de quibus tunc non liquebat, qui poſtmodùm Deo revelante recepti ab Eccleſia ſunt. 252

Canonici choro aſtricti non recitantes officium, tenentur, quamvis choro interſint, & illorum Eccleſiæ ſtatutum requirat ſolam corporis præſentiam, fructus, & diſtributiones reſtituere. 468

Canon Eccleſiæ dicebatur catalogus clericorum alicui Eccleſiæ addictorum. 140. 141

Canonici ex hoc Canone, ſeu catalogo olim dicti. 140. & ſeqq.

Cantilenæ vulgares, aut privatæ repelluntur ab Eccleſiis. 132

Cantores à ſimplici Sacerdote conſtituebantur. 176

Capitulorum vocales nulli eſſe poſſunt ſine Subdiaconatus ſaltem ordine. 490

Capitulum ſede vacante non poteſt dimiſſorias concedere, niſi propter urgens beneficium intra primum annum. 484

Capituli major pars, ut prævaleat in deliberationibus, & electionibus. 407

Cardinalium ex antiquo eminentia. 433. 434

Cardinalium prima mentio ſub Sylveſtro I. 434. 435

Cardinales etiam dicebantur Epiſcopi, Sacerdotes, & Diaconi in aliis à Romana Eccleſiis. ibid.

Cardinalibus indultus rubeus pileus in Concilio Lugdunenſi ſub Innocente IV. 425

Cardinalium prima legitur mentio in Concil. Romano ſub Papa Sylveſtro. 76

Carolo Magno aſcriptus liber authorem habet hæreticum, cujus ſcripta Carolus ad Adrianum Papam tranſmiſit refutanda. 34

Carthaginis Epiſcopi primatiæ ſubdebantur pluſquam trecenti Epiſcopi. 174. 175

Caſſianus, & Fauſtus Semipelagianorum Principes. 275

Cathecumeni non baptizandi, niſi ſufficienter inſtructi. 43
Cathecumeni finita homilia egrediebantur ex Eccleſia. 142
Cathecumenorum alii dicebantur auditores, alii competentes. ibid.
Cathecumenorum, & Energumenorum olim in Eccleſia ſtatio. 247. 248
Cæcilianus Carthaginis Epiſcopus. 25
Cælibatus ſacri Cleri eſt Apoſt. inſtitutionis. 45. 442
Cæſarius Arelatenſis calumnioſè proditionis accuſatus. 263
Cæleſtius Pelagii dogmata primus per Africam ſpargit, & accuſatus à Paulino Diacono damnatur in Concilio Carthaginenſi. 200
Cereorum uſus, qua ratione, vel prohibitus, vel receptus in exequiis fidelium. 19. 20
Chorepiſcopi alii ſolo Sacerdotio, alii etiam Epiſcopatu inſigniti. 22
Chriſmatio baptizati. 74
Chriſmatio confirmati. 225
Ciborium Græcis Latiniſque uſitata vox quid ſit. 250
Circumſtantiæ peccatorum, quæ neceſſariò exprimendæ ſint. 478
Clementis Romani Papæ conſtitutiones ab hæreticis depravatæ. 342
Clericus habitum clericalem non deferens, qua ratione puniendus. 479
Clericorum exterior habitus, & modeſtia. 417. & ſeqq.
Clericorum crapula coercetur. ibid.
Clericus uſurarius deponendus. 68
Clerici à profanis adminiſtrationibus, & negotiis arceantur. 110. & 240
Clerici cùm primum ordinabantur certæ cujuſdam Eccleſiæ miniſterio addicebantur, à qua diſcedere non erat eis liberum. 115. 242
Cle-

Clerici cauponas intrare prohibentur. 144
Clerici ſpectaculis ſcenicis intereſſe probibentur. 151
Clericus nec comam nutriat, neque barbam. 179
Clericus nec veſtibus, nec calceis decorem quærat. ibid.
Clericus profeſſionem ſuam, & in habitu, & in inceſſu probet. ibid.
Clericus per plateas, & andronas non ambulet. 180
Clericus quantumlibet verbo Dei eruditus artificio victum quærat. ib. & 281
Clericus ſcurrilis, ac turpia efficiens deponendus. 281
Clerico delinquenti pœnitentia publica non poterat injungi, ſed clauſura, ac ſeceſſus. 182
Clerici non ſpectent damnatorum ſupplicia, nève auditorium criminale ingrediantur. 387
Clericorum cultiores veſtes, & unguentorum uſus reprobantur. 361
Clerici ut Miſſæ quotidie interſint. 217
Clericus injuſſu proprii Epiſcopi ad alium Epiſcopum divertens excommunicatur, ſimulque ſuſcipiens Epiſcopus. 245
Clericus ne coram judice laico conveniatur. 268
Clericis comam nutrire, aut indecenter veſtiri prohibitum. 269
Clerici, & Monachi contumaces verberibus coercendi. 270
Clerico ſine litteris ſui antiſtitis peregrinanti communio deneganda. 271
Clericis venatio interdicta. ibid.
Clerici à communione ſuſpenduntur, qui ſolemnioribus anni feſtis à ſuis Eccleſiis abſuerint. 272
Clerici ſuſpendi à communione, qui tres hebdomadas à propriis Eccleſiis abſuerint. ib.
Clericorum ordinationi prærequiſita aliquando venia Regis. 273

Clerici ut ſibi ipſis victum, ac cibos præparent. 282
Clericorum ſimul habitantium collegia. 304 305
Clericorum corona qualis. 306
Clericorum immunitas à ſæcularibus judiciis. 309
Communio Paſchalis, 416
Communio laica explicatur. 265
Communio peregrina exponitur. 265 266
Communionis peregrinæ aliud genus elucidatur. 266 267
Communio Euchariſtica ſub binis ſpeciebus præcepta in Concil. Clarom. & vetita in Concil. Conſtantienſi fuit. 395
Communio Euchariſtica olim ter in anno ex canonum præſcripto facienda, 269
Concilia œcumenica ſingulis decenniis convocanda ex Conſtantienſi decreto. 450
Conciliorum legitimorum decreta non in rebus fidei, ſed circa diſciplinam, vel facta ſæpè occurrunt inter ſe contraria. 449
Conciliorum decretis Patres diſputando præludunt. 506
Conciliorum quædam in aula Principis, alia in ædibus ſacris celebrata. 41
Conciliorum decreta omni authoritate carent citra Romani Pontificis approbationem. 158 159
Concilium Carthaginenſe ſextum, & Concilium Africanum plenarium non duo, ſed unum idemque ſunt. 209
Concilia invalida ſine Papæ authoritate celebrata. 237 238
Concilium poteſtatem habet directivam erga Papam, ſed non coactivam. 465
Conciliorum fructus iſtauratio Eccleſiaſticæ diſciplinæ. 281
Concio, & concionari. V. prædicatio, & prædicare.
Conclave, & clauſulam Cardinalium edixit Lugdunenſe Concilium in electionibus Papæ faciendis. 429

Digitized by Google

Concordatum abrogatæ pragmaticæ ſanctioni ſubrogatur. 469
Concubina dicebatur indotata uxor. 219
Confeſſio peccatorum. 487
Confeſſio annua. 478
Confeſſio Sacramentalis una cum congrua peccatis ſatisfactione aſſeritur. 136
Confeſſiones audire, nec ſæculares poſſunt, nec regulares ſine Parochi, aut Epiſcopi approbatione. 555
Confeſſorum cum puellis Dei familiaritas damnatur. 217 218
Confirmationis Sacramento neceſſaria, ac ſubſtantialis impoſitio manus, quæ fit per ipſam frontis chriſmationem. 226
Confirmatio ei adminiſtranda, de quo poſt exactam inquiſitionem adhuc dubitatur, an confirmatus fuerit. 348 349
Canonis Presbyteri hiſtoria circa unctionem in baptiſmo. 70
Conſiſtentium Pœnitentium ſtatio. 248
Conſtantinopolitani Imperii ad Latinos translatio. 425 Ejuſdem in Græcorum dominatum regreſſio. 426
Conſtantinopolitani Patriarchatus primordia, & progreſſiones. 413
Conſtantinus Magnus in Eccleſiæ Apoſt. SS. veſtibulo ſepultus. 257 258
Conſtantini Auguſti ſenſus circa Epiſcoporum cauſas. 31. 32. Ejuſdem in ſacra Synodo perſpecta pietas. 31 32
Conſtantinum Magnum probatur fuiſſe ſub vitæ finem ab Euſebio Nicomedienſi baptizatum. 76 77 78
Conſtantinus ſucceſſionem Imperii tres inter liberos partitur, Conſtantinum juniorem, Conſtantium, & Conſtantem. 83

Conſtantis mors Eccleſiæ luctuoſa. 115
Conſtantii de Magnentio victoria. 115
Conſtantius moriens Antiochiæ baptizatur ab Euſojo. 132
Conſtantinopoleos origo, & ſitus. 156
Conſtantinopolis Epiſcopi per ambitionem diu affectarunt ſecundam à Romanam ſedem. 161
Conſtantis Imperatoris hæretici edictum nomine typi. 35
Conſtantini Pogonati pro fide Catholica zelus. 325
Conſtantini Copronymi diræ impietates 352 353 354 Ejuſdem, & filii Leonis Iconomachi horrenda mors. ibid.
Contritionis, & attritionis diſcrimina, & effectus. 477
Cypri Metropolita Antiocheno Patriarchæ ſubducitur, & fit ἀκέφαλος. 223 224
Cyprianus hæreticorum baptiſmum reprobat. 10 11
Cyrillus Hieroſolymitanus Epiſcopus ab Arianis deponitur in Pſeudo Synodo Conſtantinopolitana. 131
Cyrillus Alexandrinus, ut Legatus Cœleſtini Papæ Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ tempore Neſtorii præficitur, & Synodo Oecumenicæ Epheſi præſidet. 221 222

D

DEcani, Præpoſiti, Archipresbyteri Sacerdotio initiari tenentur, ſaltem intra annum. 400
Decimæ ante omnia tributa ducendæ. 421
Delicta Clericorum privilegiata quæ ſint. 315 316
Defenſores pauperum. 199
Defenſores Eccleſiarum. 208 209
Defenſores regionatii. ibid.
Defenſores civitatum. ibid.
Devoluti jus circa vacantia beneficia. 406
Devoluti jus circa beneficia, quæ patronorum præſentationi ſubjiciuntur. Et in hac re diſcrimen patro-

tronatus Laici, & Eccleſiaſtici. 406
Diaconi ſedere prohibiti coram Sacerdote niſi jubeat. 143 179
Diaconi in ſui ordinatione contra cœlibatum proteſtantes. 22
Diaconorum vetus officium. 7
Diaconorum ſeptenarius numerus. 7 & 24
Diaconiſſæ, ſeu ſanctionales, ac viduæ. 176
Diaconiſſæ detondebantur, & veſtem mutabant. 185
Diaconiſſæ manuum impoſitione ordinabantur, & deinceps nubere non poterant. 224
Diaconium, menſa in qua ſacra vaſa, & panes parabantur ad ſacrificium. 251
Diœceſes ſeu vicariæ; tum imperii, tum Eccleſiæ, 98 & ſeq.
Dionyſii Mediolanenſis Epiſc. depoſitio ab Arianis in Pſeudo-Synodo Mediolanenſi. 117
Dioſcori Alexandrini ſcelera. 233 234
Dioſcori Alexandrini damnatio in Chalcedonenſi Concilio. 238
Diptycha continebant fidelium nomina, tàm viventium quam defunctorum, qui communibus Eccleſiæ ſuffragiis participabant, eaque publicè legebantur inter ſacratiſſima myſteria. 339
Diptycha alia quoque erant, ſanctorum qui inter divina myſteria invocabantur nomina continentia. ibid.
Dominicale vocabatur linteamen quo fœminæ communicaturæ ſacram Euchariſtiam excipiebant. 350
Dominicus dies in locum Sabbathi ſucceſſit. 343
Donatiſtarum ſchiſma. 25 26
Dulciſſima fœdiſſima ſecta. 439 & 440

E

ECcleſia reiiçere dona, & oblationes debet eorum, qui per oppreſſionem, & aliorum injuriam ditati ſunt. 184 185
Eccleſiæ ingreſſus permittitur, & auditio verbi Dei Judæis, gentilibus, & hæreticis. 184
Eccleſiæ immunitas, & aſylum ad eam confugientibus. 228
Eccleſiis, ac pauperibus relicta qui retinent, aut fraudant, excommunicati. 229 & 230
Eccleſiæ viduatæ proventus œconomo percipiendi, ut ſucceſſori reſerventur. 245
Eccleſia temporum progreſſu quamplurimas didicit Theologicas veritates, quas antè ignoraverat, & explicitè ad fidem pertinere definivit, quę priùs ignorabantur. 358 359
Eccleſię novę novaque Monaſteria erigi vetita niſi ſufficienter fundata, 361
Eccleſię immunitas à realibus oneribus. 407
Eccleſiarum debita veneratio facit, ut omnis ſęcularium cauſarum proceſſus, omneſque in iis prolatę ſententię robore careant. 436
Eccleſiaſtici proventus quadrifariam diſtribuendi. 36. & 390.
Eccleſiaſticę pręfecturę gradus. 96
Electionum Eccleſiaſticarum regulę. 417 418 & 419
Eligebantur Epiſcopi à Clero, & populo ſuffragantibus aliis Provincię Epiſcopis, & pręſidente Metropolitano, à quo & aliis ſaltem duobus Epiſcopis provincię erant ordinandi electi. 50 & ſeq.
Energumenis incumbebat officium verrendi Eccleſię pavimentum. 185
Energumenis Eccleſię obtemperantibus Sacramentum Euchariſtię miniſtrandum. 229

Ephe-

Epheſina pro Eutychete latrocinantium Synodus. 234
Ἐπιγνώμονες, ſeu cognitores. 39
Epiſcopum tametſi haud licitè, poſſe tamen validè ab uno ordinari Epiſcopo probabilius eſſe monſtratur. 52
Epiſcopi ſimul duo unius civitatis eſſe vetantur. 59
Epiſcopus intra alienos fines non poteſt quemquam ordinare, niſi de ordinarii loci licentia, 104 160 228
Epiſcopi, Presbyteri, Diaconi ab ipſis Eccleſiæ primordiis de facultatibus propriis teſtamento diſponere poterant, non verò de Eccleſiaſticis. 104 105 270
Epiſcoporum in aliam Eccleſiam translatio ſic prohibita, ut iidem ſic translati laica etiam communione privati ſint, vide etiam, 106 97
Epiſcopatus in vicis, & oppidis erigi vetantur, 109 151
Epiſcopi in aulam ire prohibentur ſine Metropolitani, aut Synodi Provincialis litteris formatis, alioquin a fidelium communione excluduntur. 107
Epiſcoporum inertium, aut ſuis cupiditatibus inſervientium reprobatio. 107 108
Epiſcopus clericum alienum ordinare ſine proprii Epiſcopi dimiſſoriis prohibetur. 110
Epiſcopis alienum clericum ſuſcipere ſine commendatitiis, aut teſtimonialibus litteris vetatur. 110
Epiſcopus proprius, à quo uno ordinationes, vel dimiſſoriæ litteræ ſumebantur is olim erat à quo primùm quis fuerat ordinatus, & certæ Eccleſiæ miniſterio addictus, 111 & ſeq.
Epiſcopus nullus de crimine judicari poteſt, niſi in Synodo Apoſtolicæ Sedis auctoritate convocata. 159
Epiſcopi poſſunt à quocumque judicio provocare ad

Papam ex Apoſtolica traditione, & Nicæni Concilii decreto. ibid.
Epiſcopi accuſatio, quæ fit à notatis cenſura, vel infamia reprobatur. 162
Epiſcopatuum diverſi in Eccleſia gradus, & ſubalternantes poteſtates, 162 163
Epiſcopis vilis ſuppellex, & victus pauper injungitur. Epiſcopos cura rei familiaris non decet. ibid.
Epiſc. ſine conſenſu Cleri res Eccleſiæ non alienet. ibid.
Epiſcopus ſedens ſtare presbyterum non patiatur. 179
Epiſcopi ſedes in Eccleſia ſublimior. 179
Epiſcopatuum novorum erectio nonniſi ex Synodi Provincialis decreto, & primatis conſenſu facienda. 316
Epiſc. ſolus miniſter confirmationis ordinarius. 226
Epiſcopus ne ultra tres à ſui electione menſes differat conſecrari. 245
Epiſcopi cathedra concionatoria ponebatur ad gradus ſacri altaris. 252 & 253
Epiſc. antiquitus intra Eccleſiarum ſepta tumulabantur. 257 & 258
Epiſcoporum, & Abbatum jura circa Monachos diſcernuntur in Conc. Lateranenſi 3. 260
Epiſc. confratribus ſuis poteſtate oppreſſis, ut opem ferant, eumque præſtent indemnem. 170 280
Epiſcoporum aulicorum exempla confratres Epiſcopos divexantium, ut aulæ gratiam ineant. 280
Epiſcoporum officium circa pauperum, & quorumcumque per potentiores oppreſſorum tutelam, ac præſidium. 305
Epiſcopus ex ordine regularium aſſumptus debet habitum gerere religioſum. 374
Epiſcopus impedimenta poſt validè contractum matrimonium ſupervenientia diſpenſando poteſt removere. 393
Epiſcopus ex quo promotus eſt, omnia, quæ antea bene-

neficia habuit, amittit. 404
Epiſcopis ſumma incumbit ſollicitudo prędicationis verbi Dei. 471. 472
Epiſcopus ſi abſque urgente cauſa tribus menſibus, ſive continuis, ſive interpolatis non reſidet, peccat mortaliter, & tenetur fructus pro rata abſentiæ reſtituere. 472
Epiſcopi quid poſſint circa religioſos delinquentes. 473. 474
Epiſcopis cura incumbit piorum locorum, & piarum diſpoſitionum. 474
Epiſcopus citari non debet ut per ſe compareat niſi ex cauſa ob quam deponi meretur. 477
Epiſcopus ex juſta cauſa Parochias numero clericorum miniſtrantium augere, aut pro una plures conſtituere poteſt. 479
Epiſcopus poteſt uniones perpetuas Eccleſiarum Parochialium facere. 479. 480
Epiſcopus qua ratione poſſit minores Eccleſias transferre in matrices Eccleſias. 480
Epiſc. electi intra trimeſtre conſecrationem ſuſcipere tenentur. 482
Epiſcopus qua ratione familiarem non ſubditum poſſit abſque dimiſſoriis ordinare. 483
Epiſcopi poſſunt abſolvere, & diſpenſare circa cenſuras, & irregularitates ex occulto delicto præter homicidium. 489
Epiſcopi ſedes ſublimis intra ſanctuarium. 244
Epiſcopis juriſdictio plena competit circa clauſuram ſanctimonialium quamvis exemptarum. 489
Epiſcopalis erga quoslibet exemptos, aut regulares juriſdictionis multa capita recenſentur. 490. & ſeqq.
Epiphanii cum Chryſoſtomo concertatio. 319. & 320
Eremitæ vagi, & liberi reducendi. 343
Eremitæ jugo ſoluti, & vagi. 24
Euan-

Euangeliorum Codices in media Synodô reponi ſoliti. 41
Euchariſtici Sacramenti reliquiæ pueris manducandæ tribuebantur. 286. 287
Euchariſtiæ incruentum ſacrificium. 64. 65
Euchariſtia non niſi à jejuniis ſumenda ſolo excepto anniverſario veſper è dominicæ cœnæ. 215. 216
Euchariſtia ſimul atque accepta eſt, conſumenda. 218
Euchariſtia multis ſæculis ad manum dari, & in privatas ædes transferri ſolita. 218. & 219
Euchariſtiam ex præcedenti ritu probatur ſumi poſſe ſub unica ſpecie. 219
Euchariſtiæ Viaticum nemini pœnitenti, quamvis non impleto pœnitentiæ tempore denegandum. 132
Euchariſtiæ ſacratiſſimæ aſſervandæ quis olim locus. 455
Euchariſtia viris ad manum porrigebatur, fœminis autem ad mundum linteum, quod alicubi domihicale dicitur. 279. 280
Euchariſtiæ ſive recipiendæ, ſive aliis adminiſtrandæ neceſſaria præparatio. 475
Eulogiæ diſtribuebantur intra Eccleſiam non ſuſcipientibus ſacram Euchariſtiam, ideòque die Paſchæ nullæ diſtribuebantur niſi cathecumenis. 138. 139
Eulogiæ mittebantur etiam per domos ad abſentes. 138
Eulogiæ alicubi in azymo, alicubi in fermentato. 139 140
Eulogiarum in fermento primus autor Melchiades. 138
Eulogia ad amicos Chriſtiani ſolebant tranſmittere. 144
Eunuchi ſpontanei irregulares.
Euſebius Cęſarienſis Epiſcopus Arii præcipuus fautor. 29
Euſebius alter Nicomedienſium Epiſcopus Arianiſmi ſtudioſiſſimus. 29. 32. Idem Berœti primum Epiſcopus,

pus, de in Nicomediæ, poſtremò Conſtantinopolis, 133.
Euſebii Vercellenſis Epiſc. geſta in ſecunda Mediolanenſi Synodo, ejuſque per Arianos in eadem Synodo depoſitio, & exilium. 116
Euſtachius Antiochenus orationem gratiarum actionis in Conc. Nicæno ad Conſtantinum habuit. 36
Euſtachius Antiochenus Epiſcopus fraude Cęſarienſis Euſebii calumniis per ſubornatam meretricem impetitur, & à Conciliabulo Antiocheno depoſitus moritur in exilio. 85.86
Euſtachii ex Manichæorum colluvie damnantur inſignes errores in Synodo Gangrenſi. 88
Eutyches hęreſiarcha. 231
Eutychiana hæreſis tres diœceſes, ſeu Patriarchias diu infecit. 288
Ἔξαρχοι dicebantur Orientis primates. 443
Excommunicatio invalida non opus habet abſolutione, aut appellatione. 54
Excommunicatio ob præſens delictum requirit triplicem præmonitionem cum contumacia, ſed ſi feratur contra futurum delictum ſolam requirit promulgationem. 405
Excommunicatus in uno loco debet pro tali haberi, ubicumque ſe ille receperit, donec abſolvatur. 54.55
Excommunicatis communicans, qua ratione excommunicationem incurrat. 402.403
Exempti extra locum exemptum delinquentes poſſunt convenire apud ordinarium, & ab eo judicari, ac puniri. 425
Exequiæ gentilium ſuperſtitioſę. 19.20.

F

Fauſti Abbatis Lirinenſis cum Theodoro Epiſcopo Monaſterium viſitante concertatio. 259.260

Fau-

Fauſtus, & Caſſianus Semipelagianorum principes. 275. & 276

Felix II. ab Arianis Romanam in ſedem intruſus, evadit poſtmodum legitimus Papa. 122

Firmilianus Cęſarẹæ Cappadocum Epiſcopus. 12. 15

Fidei propoſitiones multas Eccleſiæ temporapoſteriora definierunt, quibus antea refragari licuerat. 152. 153

Flavianus creatur Antiochenus contra Paulini partem Epiſcopus. 121. Idem pro Antiochenis apud excandeſcentem Theodoſium intercedit, eumque placat. 122

Flavianus Conſtantinopolis Epiſcopus Eutychen hæreſiarcham in Synodo damnat. 231. Idem pro fide exul, & martyr occumbit. 234. 235

Formatarum litterarum variæ ſpecies. 195

Fontes olim pro Eccleſiarum foribus conſtituebantur. 259

Fortitudo gentium ex humana cupiditate, Chriſtianorum verò ex Dei charitate, & Gratia proficiſcitur. 278

Francofordienſes partes multipliciter errarunt circa geſta Nicęnę Synodi. 262

Fridericus Ænobarbus veniam petens Venetiis ab Alexandro Papa III. abſolvitur. 404

Friderici ſecundi perfidia, & graſſationes adversùs Eccleſiam, ejuſque tamdem ab imperio depoſitio. 422. & ſeqq.

G

GAudentius Arianenſis Epiſcopus decreta Ariminenſis conciliabuli damnans perimitur ab Arianis. 129

Gregorius Capadox pulſo ab Arianis Athanaſio conſtituitur Alexandriæ Pſeudo-Epiſcopus. 85

Gerbertus primum Rhemenſis, deinde Ravennenſis, poſtremò ſub nomine Sylveſtri ſecundi Romanus

Epiſcopus. 281
Germanus Conſtantinopolis Patriarcha imaginum ſanctarum cultum propugnans deponitur, & exulat. 411
Gotofredi Bulionii ſacra expeditio. 346
Gradus conſanguinitatis, aut affinitatis matrimonia impedientes reducuntur 423. 424. Iidem denuò reducuntur à Tridentino. 485.486
Gratiam Dei ad ſingulos actus eſſe neceſſariam ad benè cogitandum, loquendum, & agendum. 216
Gratia Chriſti noſtrum omne meritum præcedit, ac prævenit, utpotè ſalutis initium. 275
Gratia Chriſti eſt efficax. 275. 276. concurrit tamen cum libero arbitrio. 276
Gratia quoque in ipſo ſtatu innocentiæ neceſſaria fuiſſet ad perſeverandum. 278
Grçcorum uſus circa Clericorum nuptias. 44. 45
Gregorius Nazianzenus indignè, ac injuriosè abdicatur Conſtantinopolitano Epiſcopatu ab iiſdem ſecundæ œcumenicæ ſynodi Patribus, qui ipſum promoverant; eique ſufficitur Nectarius ſenex nondum baptiſmo initiatus. 168
Gregorius Papa II. Leonis Iſauri impietati ſe conſtanter opponit. ib.

H

HÆreticis ſolemne eſt, ut Catholicis falſa dogmata affingant, nec unquam eorum fidem ſincerè exponant, idque exemplis comprobatur. 277
Henricus II. Imperator Brunonem Tullenſium Epiſcopum creat ſummum Pontificem. 395
Henricus Imperator tertius Gregorio Papæ ſeptimo Antipapam opponit Guibertum Ravennæ Epiſcopum,

pam, & à Gregorio Papa excommunicatur. 196 197
Henricus Imperator IV. Paſchalem Papam ſecundum carcere includit, & ab eo ſic detento jura inveſtiturarum Epiſcopalium extorquet. 398
Hermenegildi principis martyrium. 285
Heraclii ecthesis, ſeu edictum pro Monothelitis. 323
Hieronymus primus ſcripſit adversùs Pelagii hæreſim. 200
Hilarius Pictavorum Epiſcopus dum pro fide exulat, Arianos oppugnat in pſeudo-ſynodo Seleucienſi, deinde Conſtantinopoli apud ipſum Conſtantium, qui eum pertimeſcens in propriam remittit Eccleſiam. 129 & ſeqq.
Hincmari Rhemenſis Epiſcopi nequitia dum ſanctiſſimos Epiſcopos Rotaldum Sueſſionum in Conciliabulo Sylvanectenſi, & nepotem in proprium Hincmarum Laudunenſem in Conciliabulo Duziacenſi de gradu dejecit. 180. 181
Hiſtriones, ac theatrici excommunicatione, & infamia notati. 27. 28
Homo de ſe nihil habet præter peccatum. 278. 279
Honorius Pontifex jure merito à Synodis œcumenicis, & à Summis Pontificibus damnatus. 238. & ſeqq.
Huſſitarum hæreſis in Concilio Conſtantienſi proſcripta. 449
Hypoſtaſis, & uſia. 155

I

Jacobitarum hæreſis ex Eutychianiſmo Monotheliſmus. 321. & ſeqq.
Idolothytorum abſtinentia quibuſdam, non verò omnibus fidelibus impoſita ab Apoſtolis. 8
Jejunia Monachorum per anni decurſum præſcribuntur. 282

Je-

Jejunium quadrageſimæ feriarum quartarum, ſextarum, & Sabbathorum per annum. 148. & ſeqq.
Jeroſolymitani Patriarchatus primordia, & progreſſiones. 414
Jeroſolymitanus Epiſcopus in quibus præcellebat, & in quibus ſubdebatur Cæſarienſi Metropolitano. 58
Ignatius indignè à Barda pellitur è ſede Patriarchali. 251. Revocatur in priſtinam Sedem ab Imperatore Baſilio. 398. 369
Imagines in Eccleſiis. ib.
Imagines laſcivæ ſub excommunicationis pœna vetitæ. 349
Impedimenta legitimè contracta matrimonio ſupervenientia etiam per inceſtum primi gradus poſſunt Epiſcopi diſpenſatione amoveri. 391. 392
Impedimentum matrimonii ex crimine adulterii cum mutua futuri matrimonii promiſſione. ib.
Imperatorum Conſtantinopolis arrogantia intra ipſam Eccleſiam. 346
Imperatorum religioſorum modeſtia inter ſacros Clericos. 347
Indictiones. 122. & 123
Infallibilitas ſupremæ ſedis in quo verſetur. 298
Infirmis ſubitò obmuteſcentibus, aut in phreneſim lapſis, qua cautione abſolutio dari poſſit. 183. 184
Inimicitiam habentes ante Miſſam reconciliandi, aut pervicaces ab Eccleſia rejiciendi. 230. 231
Joannes Antiochenus Neſtorio patrocinatur, eique favens ſchiſmaticum conciliabulum habet. 222. 223
Joannes Damaſcenus dum ſacrarum cultum propugnat imaginum falſis accuſationibus impetitur. 351. 352
Irene Imperatrix ſacrarum Imaginum cultum reſtituit. 154

Irregularitas ex adulterio uxoris. 23
Irregularitatem antiquitùs pariebat fornicatio. 24. 44
Irregularis erat quiſquis ægrotans baptizabatur. 24
Irregulares ſunt ſpontanei eunuchi, & ſpadones. 42
Judæi ad fidem converſi quas uſuras reſtituere teneantur, & à quarum reſtitutione diſpenſentur, declaratio Concilii Baſileenſis, & Pauli Papæ Tertii, 440
Judæis permittere, ut Chriſtianos uſuris divexent nefarium eſſe, nec modo Concilio Viennenſi, ſed Divino prorsùs, & indiſpenſabili juri oppoſitum. 440. & ſeq.
Judex Eccleſiaſticus poteſt ſuam interlocutoriam revocare. 420
Judicandus nemo trahi poteſt ultra unam dietam extra diœceſim ſuam. 420
Judith liber non eſt ab Eccleſia in Canonem receptus, niſi longè poſt Nicænum concilium. 133. 134
Julianus Pelagianæ hæreſis penè profligatæ patrocinium ſuſcipit contra Auguſtinum. 203
Julius Pontifex in Romana ſynodo Athanaſium, alioſque ab Arianis exilio pulſos reſtituit. 84

K.

Kalendis Januarii cum biduo ſequenti Gentiles Saturnalia, fideles autem Litanias, & jejunia celebrare ſoliti. 282

L

Laborantes ab Ignatio, & Epiphanio commemorati fidelium cadavera curabant ad funus, 176

Lao-

Laodicęna Synodus poſt Nicęnam habita probatur. 134.
Lapſi Clerici licèt reconciliati numquam in priſtinum ordinis gradum reſtituebantur. 59. & ſeqq.
Lapſi tamen Clerici aliquando per Synodicam diſpenſationem ob communem pacem reſtituti ſunt. 59. & ſeqq.
Latrocinantium Synodus Epheſina. 233
Lectio interponenda in Clericorum refectionibus. 342.
Legati Epiſcoporum eodem ordine ſedebant, & ſubſcribebant, quo delegantes, ſi interfuiſſent Epiſcopi. 33
Legati Apoſtolici eumdem locum ſuprà Patriarchas tenent, quem teneret ſummus Pontifex. 34. 35
Legati à Latere. 39
Legati Concilii Romani unà cum Legatis Papæ miſſi ad œcumenicum Concilium. 343
Legi in Eccleſiis prohibentur alii, quàm ſacri libri. 151. 152
Leo Iſauricus ſacris imaginibus bellum indicit. 350 351
Leonis Papæ IX. inſignis pietas. 396
Leontius Antiochenus Sacerdotio remotus, quia ſe feciſſet eunuchum. 42
Liberius Papa ſede ſua dejicitur ab Arianis in Mediolanenſi Conciliabulo, & in Thracia exulat. 120
Liberius in Sirmienſi Concilio formulæ Arianorum, & Athanaſii damnationi ſubſcribens Romanam in ſedem revocatur ab Arianis. 124. 125
Libellorum à martyribus prodeuntium uſus reprobatus. 27. 28
Librorum ſacrorum, aut ſacrorum vaſorum traditio. ibid.
Linguæ Hebraica, Chaldaica, & Arabica in primariis

univerſitatibus publicè docendæ. 442
Litterarum formatarum, ſeu canoniſtarum variæ ſpecies. 195
Litteræ communicatoriæ, ſeu pacificæ. 195 196
Litteræ dimiſſoriæ. 196
Litteræ commendatitiæ, ſeu teſtimoniales 196 197
Litteræ Paſchales. 197
Litteræ encyclicæ, ſeù circulares. 198
Litteræ commonitoriæ, ſeù memoriales. 198
Litteræ tractoriæ. 199
Litteras commendatitias expedire Epiſcopi pauperibus peregrinantibus non debent, ſed ſolùm pacificas. 244
Lucifer Calaritanus Paulinum creat Antiochenorum contra Meletii partem Epiſcopum. 120 121
Lucifer Calaritanus Epiſcopus ſede ſua dejicitur in Mediolanenſi pſeudo-ſynodo ab Arianis. 117
Luciferianorum ſchiſmatis origo. 154
Lucilla ſchiſmatis Donatiſtarum propagatrix. 25 26
Ludovicus Alemannus Baſileenſis Concilii præſes in album ſanctorum inſcriptus à Clemente Papa VII. 388. 389

M

MAcedonius Semiarianus ab Epiſcopatu Conſtantinopolitano per Arianos dejectus novam procudit hęreſim contra Spiritum ſanctum 131 132. damnatur. 159 160
Macedonius Monachus ordinatur Sacerdos, dum neſcienti, & non cogitanti manus ei à Flaviano Antiocheno imponitur. 189
Mandata de providendo, & expectativę gratię abolentur à Tridentino. 489
Manuum impoſitiones olim in Eccleſia multiplices 184

Manuum impoſitio ad majores ordines adhibetur apud Græcos, alioſque Orientales ſine ulla inſtrumentorum traditione, ut neque apud veteres latinos. 186.& ſeq.
Manuum impoſitio nulla adhibebatur apud veteres latinos, ſed ſola inſtrumentorum traditio in minoribus ordinationibus, quod etiam nunc ſervatur apud Græcos, alioſque Orientales ex ritibus ab Eccleſia latina approbatis. ib.
Marcellini Papæ lapſus qualis, 15 16
Mariæ Virginis partus ſine ſemine, & ſecundinis. 347. 348
Maria Virgo cum Ioanne Euangeliſta ex Iudæa Epheſum tranſmigravit, ibique reliquum vitæ exegit. 225
Martini Papæ fides, conſtantia, & martyrium. 324. & ſeqq.
Martyrum ſepulchris honor deferendus. 90
Maſſilia ſub Provincia Viennenſi. 28 170. 171
Materiam Sacramentorum Chriſtus inſtituit ſecundùm rationem materialem, ſed arbitrio Eccleſiæ reliquit rationem formalem. 191 192
Maternus Agrippinenſis Epiſcopus. 25 26.28
Matthias à diſcipulis electus divino Conſilio. 2
Matrimonia cum hæreticis quatenùs licita, vel non. 136
Matrimonia neque in quadrageſima, neque cum choreis celebranda. 151.152
Matrimonia infidelium dirimuntur, ex quo altero coniugum converſo ad fidem alter converti recuſat. 307.308
Matrimonio valido ſupervenientia impedimenta poteſt Epiſcopus diſpenſatione tollere. 391
Matrimonia clandeſtina irrita. 484
Matrimonia illicitè, ſed validè contrahuntur coram in-

invito parocho. 485. 486
Maximus Arelatenſis Epiſcopus. 26. 28
Maximi Monachi fides, eruditio, & glorioſa confeſſio. 325
Maximus Trevirorum Epiſcopus Athanaſium exilio damnatum excipit. 82. 83
Maximo Cynico abrogatur Epiſcopus Conſtantinopolis in ſecunda Synodo. 162
Medicorum circa ægrotos officia. 416
Mediolanenſia Concilia duo, primum Orthodoxum ſub Conſtante, alterum Arianorum ſub Conſtantio. 113. 114. & 116 117
Meletius creatur ab Arianis Antiochenus Epiſcopus, qui ſtatim miro modo converſus Chriſti Divinitatem, & communem ejus cum Patre ſubſtantiam prędicat. 120
Meletii Antiocheni obitus in urbe imperiali. 169
Metropolitanorum veteres prærogativæ. 50. 54. 58. 59. 95
Metropolitanis jus viſitandi in ſuffraganeorum Epiſcoporum diœceſibus ademptum. 375. & ſeq.
Miſſam audientes fideles numquam adſtricti fuerunt neceſſitate communicandi præter ſolos altaris adminiſtros. 93. & ſeq.
Miſſa in Orientalibus Eccleſiis tota quadrageſima non celebratur, niſi diebus Sabbathis, & Dominicis. 147. 344.
Miſſarum celebratio in ædibus privatis. 151. 152
Miſſa audienda in propria parochia. 230. & ſeq.
Miſſa olim jejuniorum diebus celebrari ſolita poſt horam à meridie ſecundam. 282. & ſeq. de die verò anniverſaria cœnæ dominicæ etiam ineunte nocte. 215. & ſeq.
Monachi Eccleſias, aut Monaſteria injuſſu Epiſcopi conſtruere prohibentur. 241
Monachi ut ſint Epiſcopis ſubditi, & morigeri. 170. 171

Monachorum cum monialibus colloquia qualem exigant præcautionem. 361
Monaſteria virorum, & fœminarum duplicia, aut cohærentia prohibentur. ibi.
Monaſteria fieri ſæcularia prohibentur. 245
Monaſteria virorum, & fœminarum diſſita ſint. 269
Monaſteria paciſci poſſunt de alimentis ejus, quæ in monialem poſtulat ſe admitti. 421 422
Monaſticæ vitæ olim multi quoque inviti ex aliena voluntate, & facto adſtringebantur tota vita. 364 & ſeq.
Montes pietatis declarantur liciti, & contradicentes excommunicantur. 467 & ſeqq.

N

NArthes erat ſtatio pœnitentium audientium. 241
Navis ναῦς ſeu gremium Eccleſiæ, muro intermedio in longum ducto, continebat ab invicem ſeparatos viros, & fœminas. 247
Neophyti non admittendi ad ordines. 43
Neſtorii hæreſis, exilium, & infauſta mors. 223
Nicænæ primæ Synodi Canonum numerus non ſatis compertus. 69 70
Nicænæ Synodi octoginta Canones Arabici à cunctis ſchiſmaticis Eccleſiis toto Oriente recepti. 72 & ſeqq.
Nuptiæ cum hæreticis quatenus licitæ, vel non. 136
Nuptiæ neque in quadrageſima, neque cum choreis celebrandæ. 151
Nuptiarum ſpecialia, & abſtinentiæ ciborum Eccleſiaſtica præſcripta quàm procul Manichæorum, & Euſtachianorum deliriis diſtent. 90 9

O

Oblatio panis, & vini à fidelibus ad altare facienda. 138 139 286
Officii devotè recitandi obligatio. 418
Ὁμοούσια Verbi cum Patre poſt Nicænum aſtruitur, & in Conſtantinopolitano. 160
Opiniones in rebus ſcientiæ probabiles. 392
Orarium aliquando pro ſtola, aliquando pro linteo, quo ſacra Euchariſtia excipiebatur. 143 144
Ordinandorum qualitates, ætas, interſtitia. 482 & ſeq.
Ordinandus nemo, qui prius hæreticos domeſticos non converterit. 214 & ſeq.
Ordinandus quiſpiam non eſt, niſi cum titulo, aut patrimonio, alioquin ab ordinatore Epiſcopo alendus, aut ejus ſucceſſore. 404 & ſeq.
Ordinari in Clerum prohibentur procuratores, tutores, negotiorum geſtores, niſi poſt reddita, & ſoluta ratiocinia. 108
Ordinationum materiæ, & formæ immutabiles inſtitutæ ſunt à Chriſto ſecundum genus, ab ipſa Eccleſia ſecundum ſpeciem diverſimodè, ac mutabiliter determinantur. 387 & ſeq.
Ordinationum interſtitia. 131
Ordinationes faciendæ cum conſilio Cleri, & teſtimonio populi. 177
Ordinati primum Clerici certæ Eccleſiæ miniſterio alligabantur, à qua diſcedere non erat eis liberum. 113
Ordines minores ab antiquis recenſiti. 175
Ordines octo diſtinctè commemorati in Concilio Romano ſub Papa Sylveſtro. 75 76
Orientis apud veteres triplex ſignificatio. 56 & ſeq.
Orientis præfectus, & ſub iſto Orientis omnes quai-

nam regebant provincias. 57. & ſeqq.
Orientem ſpectabat Sacerdos ſacrificans facie ad populum verſa: populus autem Occidentem ſpectabat orans verſus altare. 251. 252
Origenes damnatur primùm à ſuo Epiſcopo Demetrio Alexandrino. Deinde in Synodo à Theophilo Alexandrino convocata. Tertiò ab Anaſtaſio Romano Pontifice. Quartò à Gelaſio Papa in Romana Synodo. Poſtremò à quinta Synodo. 295. 297. & ſeq.
Origenis errores præcipui recenſentur. 490. & ſeq.
Origenes poſtquàm ſe ſponte fecit eunuchum, ordinem ſuſcepit Sacerdotalem: ideòque à Demetrio Alexandrino privatus eſt uſu Sacerdotii, & à Clero excluſus. 43.
Oſculum apud fideles in Eccleſiis uſitatum. 142
Oſius Cordubæ Epiſcopus Synodo Eliberinæ ſubſcribit. 17. Conſtituitur à Sylveſtro Papa Legatus ad Conſtantinum, & in Orientem. 30. Alexandriæ Concilium in cauſa Arii, & Sabellii, & Meletianorum convocat. 30: Nicæno Concilio, ut Legatus Apoſtolicus præeſt. 31. Sardicenſi quoque Synodo præſidet. 3
Et Gangrenſi. 3
Oſius Cordubenſis miſſus Sirmium in exilium. 118 119
Idem formulæ hæreticorum lapſu deplorando ſubſcribit in Sirmienſi conciliabulo. 82
Οὐσία, & hypoſtaſis. 155. 156

P

PAllii authoritas, & uſus. 473. & ſeq.
Pallium olìm veſtis genus ad ſtrictioris vitæ profeſſionem. 89. 90
Pallii deſcriptio ex Tertulliano. 60

Papa Romanus olim dictus Epiſcopus Epiſcoporum. 10
Papæ cognitores. 34
Papæ reſervanda eſt ab inferioribus Epiſcopis, & Synodis majorum, aut difficiliorum cauſarum judicium 167
Papa judicari à Concilio in duobus caſibus poteſt. 360
Papa ſupra omnes tenetur invigilare ſacrorum Canonum obſervationi. 467
Papæ electio non valet niſi fiat à duabus ſaltem Cardinalium partibus. 404
Parœci, ac Parochi. 62
Parochiam intra propriam ſinguli Miſſam audiant, 230. & ſeq.
Parochis portio congrua attribuenda. 420
Paſcha de Dominica celebrandum. 27
Paſtophoria duo ad ſanctuarium hinc inde poſita. 394
Patarenorum hæreſes. 405. & ſeqq.
Patriarchalium ſedium ordo, & privilegia. 415
Paulinus Trevirorum Epiſcopus ſede ſua deponitur ab Arianis in Pſeudo-ſynodo Mediolanenſi. 117
Paulinus Trevirorum Epiſcopus pro fide ab Arianis mortem oppetiit. 131
Paulus Alexandro Conſtantinopolis Epiſcopo, ſucceſſor datur, ſed ab Arianis ſua ſede deiicitur, & tandem exul in carcere fame frigoreque penè exanimis ab Arianis Cucuſi ſtrangulatur. 87
Paulus Antiochenus hæreſiarcha. 14. Ejus judicium remiſit Ethnicus Imperator Dionyſio Papæ. 15
Pœnitentes publici non reconciliabantur niſi peracto tempore pœnitentiæ præfixo. 63
Pœnitentes ſimul, ac reconciliati fuerant, Euchariſtiæ participes fiebant. 64
Pœnitentes in mortis articulo reconciliati ſi convaleſce-
ſce-

ſtebant, interruptam pœnitentiam proſequi tenebantur. 64
Pœnitentes à Clero in perpetuum arcebantur. 181. 182
Pœnitentiæ publicæ fiebant etiam propter occulta delicta. 62. 63
Pœnitentiæ publicæ obnoxia delicta. 64
Pœnitentium ordines quatuor, flentium, audientium, proſtratorum, conſiſtentium. 61. 62
Pœnitentium priſcorum habitus. ib.
Pelagius hæreſiarcha. 199. Accuſatus ab Erote Arelatenſi, & Lazaro Aquenſi Epiſcopos in Synodo Dioſpolytana improvidè abſolvitur. ib.
Pelagius, & Cæleſtinus damnantur à Romanis Epiſcopis Innocentio, & Zoſimo, & à quatuor Africanis Conciliis. 200. & ſeq.
Pelagii hæreſin damnantes Canones octo, editi quidem fuerant in Conc. Milevitano, & poſtmodum confirmati in Conc. Africæ plenario Carthagine convocato. 201. & ſeqq.
Penſio clericalis aſtringit ad quotidianam Officii parvi B. M. V. recitationem. 468
Percutientes Clericum, aut Monachum excommunicantur ab Innocentio II. in Lateranenſi Conc. 402
[P]eriodeutæ, ſeu viſitatores. 151
Petrus Cnaphæus, ſeu Fullo Eutychianus ſedem Antiochenam occupat. 289. Idem hæreſi Theopaſchitarum induxit. 321. 322
Petrus Moggus Eutychianus Alexandriæ ſedis invaſor. 288. 289. 321.
Philippenſis Arianorum pſeudo-Synodus ſibi nomen Synodi Sardicenſis arrogavit, & cum Donatiſtis fædus iniit. 107
Philippus I. Galliæ Rex ob ementitum cum Bertrada pellice conjugium, à duobus Gallicanis Conc. Oſtienſi, & Claromontano excommunicatus. 193

Philippus quoque Auguſtus ſimili de cauſa in Synodo Divionenſi ſuppoſitus interdicto cum univerſo regno fuit. 196
Photinus hæreticus Sirmii Epiſcopus damnatur in tribus Synodis, Sardicenſi, Mediolanenſi, Sirmenſi, 123
Photius damnatur in Concilio generali. 160
Photius reſumpto poſt Ignatii mortem Epiſcopatu, Synodum propria authoritate convocavit, quam Græci ſchiſmatici loco octavæ œcumenicæ obtrudunt. 375
Photius poſt Ignatii obitum recuperat Conſtantinopolitanum Epiſcopatum, ſed iterùm ejicitur à Leone Philoſopho. 374. 375
Photius intruditur à Cæſare Barda in thronum Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ. 368. Dejicitur in Baſilio, à quo & Ignatius revocatur. 368. 369.
Picturæ laſcivæ ſub excommunicationis pœna prohibitæ. 309. 310
Polychronii Sacerdotis Monothelitæ, dementiæ editum ſpecimen in ſexta Synodo. 426. 427
Πολιςαύριον inſigne dignitatis primatuum Orientis. 164
Populi quidem teſtimonium, aut etiam preces plerumque adhibebantur ad minorum Sacerdotum, & clericorum ordinationem, minimè autem ſuffragia, præterquàm in electione Epiſcoporum. 136. 137
Portæ olim in Eccleſia hinc oſtiariis, hinc diaconiſſis commiſſæ. 247. 248
Portæ aliæ quatuor in ambone, duæ ſpecioſæ, & duæ ſanctæ ſub hypodiaconorum cura. 249
Potainon Heracleæ Ægypti Epiſcopus pro Athanaſio adversùs Cæſareenſem Euſebium conſtanter loquitur. 80. 81.
Pragmatica ſanctio aboletur, eique ſubrogatur concordatum. 469. 470
Præceptorialis præbenda in cunctis Cathedralibus Ec-

Eccleſiis. 395 396 & 414
Prædeſtinatio non cadit ſub meritum, neque perſeverantiæ donum. 276 & ſeqq.
Prædeſtinatio creaturæ in æterno, & immutabili Dei propoſito gratuito planè fundatur. ibid.
Prædeſtinatianorum nomen à Semipelagianis attributum diſcipulis S. Auguſtini. 279
Prædeſtinatur nemo ad malum. 278
Prædicandi verbi Dei ſumma ſollicitudo Epiſcopis incumbit. 471 472
Prædicantibus Dei verbum quænam evitanda, & cavenda, & quænam ſedulò ſervanda. 469 470
Præfecturarum Imperii diſtributiones, ac limites. 97 98
Præpoſiti, & Decani, & Archipresbyteri Sacerdotio initiari tenentur intra annum. 400
Præſcriptio nulla valet, ubi mala fides intervenit. 420 421
Primatum aliquot Orientis dinumeratio. 163 164
Primatum privilegia præcipua. 164 165
Primatibus Occidentis rariùs permittebatur conſecratio aliorum Epiſcoporum, quàm propriæ provinciæ, idque exemplis probatur Arelatenſium primatum Patrocli, & Hilarii. 165 166 Et ex litteris Hormiſdæ Papæ ad Salluſtium Hiſpalenſem, & ad Remigium Remenſem, & Vigilii Papæ ad Aurelianum Arelatenſem, & Gregorii Magni de Virgilio pariter Arelatenſi. 166 167
Principibus ſæcularibus authoritas abrogatur circa Epiſcoporum electionem. 377
Priſciliani hæreſis magicis præſtigiis, & fœdiſſimis libidinibus infamis. 217
Probationes occultorum ſcelerum vulgares, aliquando uſu receptæ, & canonibus approbatæ, ſed poſtmodum omninò vetitæ. 389 & ſeqq.
Proculus Maſſilienſis indebitè Metropolin ſecundæ Narbonenſis Provinciæ occupat manifeſto Taurinenſis

nenſis Concilii favore 170 171 At Zoſimus Papa illum hac uſurpatione deturbavit. 171
Πρόναος templi veſtibulum, in quo verſabantur flentes.
Προηγιασμένα, ſeu præſanctificata quid ſint. 146 147
Προσφορὰ & Προσφέρειν apud Patres Græcos ſacrificium, & ſacrificare ſignificant. 120
Πρόσκλαυσις locus flentium ante valvas Eccleſiæ. 247
Πρόθεσις, menſa quæ & Diaconium ubi ſacra vaſa, & panes parabantur à Diaconis ad ſacrificium. 251 252
Publicæ honeſtatis impedimentum reducitur ad primum gradum. 487 Quibus circumſtantiis locum habeat vel non. 487 488
Pyrrhi Monothelitæ relapſi ſcripta à Theodoro Romano Pontifice damnati, adhibito Chriſti de calice ſanguine. 325

Q

Quadrageſimale jejunium. 148 149 & 273 274
Quadrageſimalis jejunii refectio erat cœna poſt ſolis occaſum: in cæteris autem per annum jejuniis refectio ſumebatur poſt tertiam à meridie horam. 283 & ſeqq.
In Quadrageſima fideles Orientales, neque ſacrificabant, neque ulla feſta celebrabant, niſi Sabbathis, & Dominicis diebus. ſeq.

R

Rebellio ſubditorum in Regem anathemate punitur. 308
Reformatio Monaſteriorum per capitula, & Viſitationes. 415
Regaliæ jus ſupra vacantes Galliæ Eccleſias. 245 246
Religioſorum novi ordines prohibentur. 415

Religioſi extra Monaſteria delinquentes poſſunt ab Ordinariis puniri. 483
Religioſus reclamans contra factam à ſe profeſſionem quibus circumſtantiis audiendus ſit, vel non. 489
Rheticus Auguſtodunenſis Epiſcopus. 25.29
Reſidentia Epiſcoporum, & Beneficiariorum. 482.483
Ritualium ſub nomine libellorum officialium antiquus uſus, & commendatio. 305
Rodanius Toloſatum Epiſcopus pro fide exul, & martyr ab Arianis morte afficitur. 131
Rogationum antiquus uſus, & inſtitutio. 274
Romanum Concilium præſide Damaſo. 158

S

Sabbathis Romana Eccleſia iejunabat. 148
Sabbathorum iejunium Orientes Eccleſiæ damnabant. 149
Sabellii dogma in Synodo Alexandrina damnatum. 30.155
Sabellius hæreſiarcha damnatur in generali ſynodo. 160
Sacerdotes olim per vices & ſacrificabant, & de manu ſacrificantis communicabant. 263
Sacerdotum conceſſus in imo ſanctuario. 252
Sacerdotibus olim non licebat publicè in Eccleſiis benedicere. 270
Sacerdotibus in itinere occurrentibus cujuſmodi honor deferendus à laicis. 287.288
Sacramentorum materiæ, & formæ immutabiles inſtitutæ ſunt à Chriſto ſecundùm genus, ſed ab Eccleſia ſecundùm ſpeciem determinantur variabiliter. 384 & ſeq.
Sacriſta olim ſecretarium, & paſtophorium, & κειμηλιαρχεῖον dicta. Ipſe verò Sacriſta æditiuus, & σκευοφύλαξ 253
Sanctimoniales. V. Diaconiſſæ.

Sanguine fideles religioſè abſtinuerunt octo, vel amplius ſæculis. 88.89
Sanguine ipſo Chriſti de ſacro calice bis conſcripta hæreticorum condemnatio Pyrrhi ſcilicet, atque Phôtii. 325.326
Saracenorum ſub Mahumete duce incurſiones. 409
Sardicenſe Conc. Patribus Africanis ignotum. 212
Sardicenſe Concilium unum, idemque cum Nicęno habitum. 214
Satisfactio pro qualitate delictorum injungenda. 136 309
Satisfactio integra olim perſolvenda erat, antequàm pœnitens ad Euchariſtiæ communionem admitteretur. 136
Scenici, & hiſtriones excommunicati, & infames. 28
Scenicis ſpectaculis intereſſe prohibentur clerici. 151
Schiſmatis ortus, & progreſſus ex electione Vrbani VI. & Clemens VII. 443.& ſeqq.
Secretarii diverſa ſignificata 255
Secretarium Gręcè ἱερατεῖον ſanctiſſima, & intima Eccleſiæ pars, quæ & ſanctuarium dicta. 250
Secretum Conſiſtorii Cardinalium quiſquis violat, ipſo facto excommunicatur, nec poteſt niſi à Papa abſolvi. 468
Semiariani, qua in re ab Arianis abſolutis diſſidebant. 126.& ſeqq.
Seminaria Clericorum inſtituendorum. 304
Seminariorum erectio pręcepta, & privilegiis communita. 483.484
Semipelagianos poſt Auguſtinum refellunt ſcriptis eruditis Proſper, & Fulgentius. 203.204
Sepulturæ intra Eccleſiam ſolis olim martyribus deſtinabantur; reliquis fidelibus ſepultura dabatur in cœmeteriis. 257.258
Seſſionis Patrum ordo quiſnam in Nicæna aliiſque Synodis. 37.& ſeqq.
Se-